Dub.5. Vtrùm qui consulit alteri, quòd exponat se periculo mortis, sit irregularis morte sequuta. 374.2.
Dub.6. Vtrùm sit irregularis, qui ratũ habet homicidiũ suo nomine factũ, quod antequam fieret, potuit mãdare. 376.1.
Dub.7. Vtrùm non impediens homicidiũ, cùm tamẽ possit, fiat irregularis. ead.1.
SECT. III. De irregularitate prouenięte ex homicidio cõtingente in bello. 378.
Dub.1. An qui in bello occidit propria manu, fiat irregularis. ibid.
Dub.2. Vtrùm qui non occidunt propria manu.

manu, sed pugnant, vel solùm assistunt bello ad adiuuandum, vel exhortandum milites maneant irregulares, sequuta deformatione. 379.1.
*Dub.*3. Quando plures concurrunt ad homicidium, vtrùm omnes maneant irregulares. 381.1.
*Dub.*4. Quando plures concurrunt diuisim, & percutiunt, & vltimi tandem occidunt, vtrùm primus percussor maneat irregularis. 383.1.
*Dub.*5. Quando Petrus rixatur cum Ioanne, & superueniunt consanguinei, vel amici Petri, & occidunt Ioannem, vtrùm Petrus maneat irregularis quamuis expressè prohibuerit suis, ne quid mali inferrent Ioanni. 384.1.
SECTIO IV. De irregularitate proueniente ex aborsu. ead.2.
*Dub.*1. Vtrùm qui est causa aborsus, fiat irregularis. ibid.
*Dub.*2. Vtrùm qui dat fœminæ medicinam, aut venena sterilitatis ne concipiat, aut viro, ne possit generare, incurrat irregularitatem. 385.1.
SECTIO V. De dispensatione irregularitatis prouenientis ex homicidio iusto, vel iniusto. ead.2.
*Dub.*1. Vtrùm irregularitas prouenièns ex homicidio iusto sit reseruata Papæ. ibi.
*Dub.*2. Quis possit dispensare in irregularitate ex homicidio casuali, seu mixto. 386.2.
*Dub.*3. Quis possit dispensare cum homicida directè voluntario. 387.1.
*Dub.*4. Vtrùm quemadmodù dispensatio in homicidio directè voluntario reseruatur Papæ, ita etiá reseruetur dispensatio in mutilatione voluntaria. 388.2.
*Dub.*5. Vtrùm Episcopus possit modò dispensare in homicidio volito in se causa defensionis, excedendo moderamen inculpatæ tutelæ, si homicidium sit occultum. 389.1.

DISPVT. VII.

De irregularitate proueniente ex iteratione Baptismi. 390.1.
*Dub.*1. Vtrùm iterantes Baptismum sint irregulares. ibid.
*Dub.*2. Vtrùm qui ex ignorãtia rebaptizat, vel rebaptizatur, sit irregularis. ead.2.
*Dub.*3. Vtrùm rebaptizans sub conditione eum, quem scit esse baptizatum, fiat irregularis. 392.1.
*Dub.*4. Vtrùm qui timore mortis rebaptizat, sit irregularis. ibid.
*Dub.*5. Vtrùm reiterans reliqua Sacramenta, sit irregularis. ead.2.
*Dub.*6. Quis possit dispensare in irregularitate ex iteratione Baptismi. 393.1.

DISPVT. VIII.

De irregularitate proueniente ex iteratione Matrimonij, quæ dicitur bigamia. ead.2.
*Dub.*1. Vtrùm bigamus sit irregularis. ibi.
*Dub.*2. Vtrùm sit bigamus laicus, vel ordinatus minoribus, qui contrahit cum corrupta intalidè propter aliquod impedimentum, & consummat. 396.1.
*Dub.*3. Vtrùm bigami sint priuati omni priuilegio clericali. ead.2.
*Dub.*4. Quis possit dispensare in bigamia. 397.1.

DISPVT. IX.

De irregularitate proueniente ex mala receptione vel vsu Ordinum. 398.1.
SECTIO I. De mala Ordinum receptione. ibid.
*Dub.*1. De quibusdã irregularitatibus, quę antecedunt ipsam ordinationem. ibid.
*Dub.*2. Vtrùm sit irregularis, qui ordinatur per saltum, id est, qui conuolat ad superiores Ordines, relicto inferiori. 399.1.
*Dub.*3. Vtrùm sit irregularis, qui recipit Ordinem antequam recipiat sacramẽtum Confirmationis. 400.1.
*Dub.*4. Vtrùm qui eodem die recipit plures Ordines, sit irregularis. ead.2.
*Dub.*5. Vtrùm sit irregularis, qui post cõtractum matrimonium per verba de præsenti, quamuis non sit consummatum, recipit sacros Ordines, præter casus concessos in iure. 402.1.

*Dub.*6.

Dub.6. Vtrùm qui excommunicatus, ſuſpenſus, vel interdictus recipit Ordines, maneat irregularis? ibid.

SECTIO II. De irregularitate proueniente ex malo vſu Ordinum. 404.1.

Dub.1. Vtrùm excommunicatus, ſuſpenſus, vel interdictus exercens actum Ordinis, fiat irregularis. ibid.

Dub.2. Vtrùm irregularitas præcedentis dubij incurratur per quamcunque exſequutionem maioris Ordinis factam ab excommunicato, ſuſpenſo, vel interdicto, vel requiratur aliqua conditio ad incurrendam eam? 405.2.

Dub.3. Vtrum excommunicatus maiori, ſuſpenſus, vel interdictus exercens ſolemniter actus minorum Ordinum, fiat irregularis? 408.1.

Dub.4. Quando ſuſpenſus, vel interdictus ab ingreſſu Eccleſiæ incurrat irregularitatem? ibid.

Dub.5. Vtrùm quod diximus ſuſpenſum miniſtrantem in Ordinibus ſacris eſſe irregularem, intelligatur de quocunque ſuſpenſo? ead.2.

Dub.6. Vtrùm excommunicatus, ſuſpenſus, vel interdictus præſtans autoritatem celebrationi, maneat irregularis; verbi gratia, ſi Epiſcopus, vel alius Eccleſiaſticus faciat coram ſe celebrare? 409.1.

Dub.7. Vtrùm clericus non ligatus aliqua Cenſura, qui tamen celebrat coram excommunicato, vel interdicto, fiat irregularis? ibid.

Dub.8. Vtrùm qui violat interdictum locale, quamuis ipſe non ſit perſonaliter interdictus, maneat irregularis? ead.2.

Dub.9. Vtrùm ſit irregularis qui tempore interdicti localis pulſat campanas ad Officia diuina, vel aperit ianuas Eccleſiæ, cùm celebratur? 411.2.

Dub.10. Vtrum ſit irregularis, qui tempore interdicti, confert, vel recipit Ordines? 411.1.

Dub.11. Vtrùm ſit irregularis, qui celebrat tempore ceſſationis, vel in Eccleſia violata? 413.1.

Dub.12. Vtrùm clericus, qui exiſtens irregularis celebrat, incurrat nouam irregularitatem? ibid.

Dub.13. Vtrùm ſit irregularis, qui miniſtrat in Ordine, quem non habet? ibid.

Dub.14. Vtrùm laicus baptizans extra caſum neceſſitatis, fiat irregularis? 414.2.

Dub.15. Vtrùm laicus abſoluens à peccatis ſeriò, & ſacramentaliter, fiat irregularis? 451.1.

DISPVT. X

De diſpenſatione in communi. ead.2

Dub.1. Vtrùm diſpenſatio irregularitatis requirat cauſam? ibid.

Dub.2. Vtrùm irregularitas tollatur per Baptiſmum? 416.1.

Dub.3. Vtrùm irregularitas tollatur per profeſſionem Religionis? 416.1.

Dub.4. Vtrùm irregularitas contracta ex peccato poſſit diſpenſari per Bullam Cruciatæ? ead.2.

Dub.5. Vtrùm Commiſſarius Cruciatæ poſſit diſpenſare in irregularitate? 419.1.

Dub.6. Quæ conditiones requirantur, vt Epiſcopus diſpenſet in irregularitate per facultatem conceſſam à Concilio Tridentino, ſeſſ. 24. cap. 6. ead.2.

Dub.7. Si debitum fuit deductum ad forum contentioſum, & iudicium eſt finitum, & punitũ delictum, vtrùm Epiſcopus in hac irregularitate poſſit diſpenſare? 421.1.

Dub. vltimum. De illo, qui ſæpiùs committit delictum inducens irregularitatem. ead.2.

FINIS.

TRACTATVS DE CENSVRIS ECCLESIASTICIS.

Tractatus de censuris ecclesiasticis valde utilis est, imò & necessarius omnibus, qui in foro interiori pœnitentiæ, & in exteriori ecclesiastico iudicant; est autem diuidendus in septem partes. Prima erit de censura in communi, secunda de excommunicatione; tertia de suspensione; quarta de depositione & degradatione; quinta de interdicto; sexta de cessatione à diuinis; septima denique de irregularitate.

PRIMA PARS DE CENSVRA IN COMMVNI.

DVBIVM I.

De nomine censuræ, quid significet?

RESPONDETVR, quòd duplicem habet significationem; primò enim significat dignitatem Censoris; erat autē Censor apud Romanos, qui moribus totius populi præerat, & ad quē pertinebat corrigere & punire populi delicta, & hinc deriuatum est, vt etiam significet correctionem ipsam & punitionem. Vnde Iuuenalis Satyra 1. ait, *Dat* (Iuno) *veniam coruis, vexat censura columbas*, id est, venia cōceditur perditis & flagitiosis hominibus, simplicibus autem, id est, ex simplicitate & fragilitate aliquando deficiētibus, durum infligitur supplicium. Et in prima hac significatione sumitur in præsenti. Vnde censura ecclesiastica est castigatio seu correctio ecclesiastica, qua Ecclesia fideles delinquentes punit in bonis spiritualibus, quæ sunt propria Reipub. ecclesiasticæ, & in hoc distinguitur hæc pœna ab aliis, quæ sunt communes foro ciuili & ecclesiastico, nempe carcer, exilium, pœna pecuniaria, &c.

DVBIVM II.

Vtrùm sit in Ecclesia potestas infligendi censuras?

ET quidem loquendo de censura excommunicationis in particulari, fuit antiquus error quorundam, absolutè negantium esse in Ecclesia potestatem ad excommunicandum. Hunc tenuerunt Albanenses, vt refert Prateolus, de Vitijs hæreticorum. eundem tenuit Vvicleph, vt patet ex Concil. Constantiensi sess. 8.

errore 11. & 30. à quo non longè distat Erasmus in Colloquiis de fide, asserens quòd excommunicatio territat pueros; non verò viros fortes; Lutherus autem quamuis concedat Ecclesiam posse excommunicare; dicit tamen quòd non potest priuare homines suffragiis Ecclesiæ, nec orationibus fidelium, sed tantùm externo conuictu. Vnde ait apud Rosensem art. 23. quòd excommunicationes tantùm sunt pœnæ externæ, & ar. 24. dicit excommunicationem plus esse diligendam quàm timendam, potestque sententia Lutheri sic probari. Primò, quia in spiritualibus nemo læditur nisi à seipso; ergo non potest ab Ecclesia lædi; læderetur autem, si ab illa priuaretur bonis spiritualibus; ergo non potest ab illa priuari Secundò, Christus solùm reliquit Ecclesiæ potestatem imponendi fidelibus pœnas medicinales, sed si excommunicatio priuaret suffragiis & orationibus Ecclesiæ, non esset medicinalis: ergo. Tertiò, excommunicatio pertinet ad iurisdictionem in foro exteriori; ergo non potest nocere in interiori: loquendo autem de censuris in communi Ioannes Hus generaliter negat hanc potestatem in Ecclesia esse, vt constat ex Concilio Constantiensi sess. 15. errore 14. & 19. vbi generaliter irridet omnes censuras Ecclesiæ. Eundem errorem tenet Marsilius Patauinus, qui cùm dixerit nec summum Pontificem, nec reliquos Prælatos habere potestatem à Christo, sed à Principibus secularibus, consequenter tenet Prælatos non habere potestatem ordinariam ferendi censuras: contra quem hæreticum specialiter disputat Pighius li. 5. de eccles. hierarchia. c. 2. Verùm contra hos errores sit prima conclusio. In Ecclesia est potestas ad excommunicandum; quæ est de fide, & oppositum hæreticum. Probatur Matth. 16. vbi Christus contulit Apostolis potestatem ligãdi atque soluendi: quæ verba Aug. 1. contra aduersarium legis & Prophetarum, c. 17. exponit de potestate excommunicandi. Videte plura Sanctorum testimonia in Soto in 4. d. 22. q. 1. ar. 1. Secundò, probatur ex definitione Ecclesiæ in Concil. Constantiensi sess. 8. vbi damnatur error Vvicleph.

Secunda conclusio. Non solùm priuat excommunicatio externo conuictu fidelium, sed etiam suffragiis & orationibus Ecclesiæ. Hęc similiter est de fide, & oppositum hęreticum. Probatur primò, ex sacra Scriptura Matth. 18. *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi tanquam ethnicus & publicanus*, quibus verbis denotatur excommunicatum priuari suffragiis & orationibus Ecclesiæ, nam Ecclesia non impertitur huiusmodi bona, nisi existentibus intra gremium eius; ethnicus autem non debet reputari intra gremium Ecclesiæ, nec in numero fratrũ, vt dicit Aug. super eundem locum, & idipsum probatur ex verbis sequentibus, *Quæcunque ligaueritis super terram, erunt ligata & in cælo*, vbi manifestè denotatur excommunicationem non solùm excludere hominem à terreno conuictu, sed etiam à subsidiis spiritualibus, quæ maximam habent efficaciam in cælo apud Deum. Super quæ verba dicit Chrysost. *Vide qualiter duplicibus colligauit necessitatibus, & pœna quæ hic est, scilicet proiectione ab Ecclesia, sit tibi sicut ethnicus & publicanus, & supplicio futuro, quod est esse ligatum in cælo.* Præterea 1. Cor. 5. de illo incestuoso, qui abutebatur nouerca, dicit Paulus, *Iudicaui tradere huiusmodi hominem Satanæ in interitum carnis, vt spiritus saluus fiat in die Domini nostri.* & 1. ad Timoth. 1. dicit se tradidisse Satanæ Hymenæum & Alexandrum, quia defecerãt à fide. Dicitur autem, excommunicatum tradi Satanæ, quoniam licèt dæmon habeat potestatem in hominem iam lapsum in mortali, tamen quandiu iste est vnitus Ecclesiæ, & participat eius suffragiis & orationibus, non tam liberè vexatur à dæmone, ac si huiusmodi præsidiis destituatur, quod fit per excommunicationem. Ad hoc facit quod dicit Aug. Serm. 68. de verbis Apostoli, & refertur can. omnis Christianus. 11. qu. 3. *Omnis Christianus, qui à sacerdote excommunicatur, Satanæ traditur,*

quia

quia extra Ecclesiam diabolus est, sicut in Ecclesia Christus; sed speciali quadam ratione inquit Paulus se tradere Satanæ quos excõmunicabat: nam in Ecclesia primitiua dæmon visibiliter vexabat excommunicatos, vt postea dicemus. & 1. Cor. 1. ait, *cum huiusmodi homine nec cibum sumere.* & 2. Ioan. 1. dicitur, *nec Aue ei dixeritis*, quibus in locis hæc particula, *nec*, designat, quòd excommunicatus non solùm priuatur communicatione exteriori & politica, sed quòd multo magis priuatur communicatione spiritualium bonorũ, scilicet suffragiorum & orationum Ecclesiæ: illa enim particula, *nec*, tantum valet, ac si diceret, non solùm non licet orare pro excommunicato, verùm nec cum eo cibum sumere, nec eum salutare. Secundò probatur ex definitione Ecclesiæ: nam Fabianus Papa, vt refertur can. sicut Apostoli. 11. q. 3. dicit, *Si quis cum excommunicato simul orauerit, communione priuetur.* Idem habetur can. seq. qui incipit, excommunicatus. & can. nemo sacerdotum. eodem tit. excommunicatio dicitur æternæ mortis damnatio, & in Trident. sess. 25. c. 4. de reformat. appellatur gladius spiritualis. Tertiò probatur ratione. Quæcunque Respublica habet potestatem priuandi rebelles bonis propriis ipsius Reipublicæ, & separandi illos à cõsortio reliquorum ciuium; ergo etiam Ecclesia, quæ est perfectissima Respublica, habet potestatem priuandi rebelles suffragiis & orationibus, quæ sunt bona ipsius Ecclesiæ, & pendent ex eius applicatione.

Ex dictis sequitur reiiciendam esse omnino glossam in can. quodcunque. 24. q. 1. asserentem, quòd excommunicatio nihil operatur apud Ecclesiam triumphantem, sed tantùm quoad militantem: quam glossam Covar. c. alma mater. p. 1. in initio. num. 9. versiculo 5. *Hinc patet* (ait) *esse planè alienam à Catholica veritate.*

Tertia conclusio, generaliter loquendo est in Ecclesia potestas infligendi censuras; hæc etiam est de fide, & oppositum hæreticum. Probatur Matth. 16. vbi contulit Christus Apostolis potestatem ligandi atque soluendi; quæ verba cùm generalia sint, ad omnes censuras sunt extendenda. Secundò probatur ex Concil. Constantiensi sess. 15. vbi damnatur error 19. Ioannis Hus, & in sess. vltima eiusdem Concilij, in interrogatione Martini V. damnatur idem error. Denique probatur ex antiquissima Ecclesiæ traditione infligendi censuras, vt videbimus dubio sequenti.

Pro solutione argumentorum, notatur primò cum D. Tho. in opus. 5. de expositione Symboli, in explicatione illius particulæ, *Sanctorum communionem*, & Conimbricens. 2. p. 4. q. 23. ar. 1. quòd triplex est communicatio fidelium. Prima purè interior, secunda purè exterior, tertia mixta, partim exterior, partim interior. Purè interior est, qua fideles iusti communicant inter se in fide & charitate, quibus vniuntur inter se, & Christo tanquam capiti; dicuntur autem iusti communicare in charitate, non quòd per opera vnius iusti augeatur alteri iusto charitas, vel gratia, vel meritum, sed quia iusti participant ad inuicem satisfactiones reliquorum, & Deus per opera vnius iusti, etiam sine speciali illius intentione, confert alteri iusto multa auxilia specialia & inspirationes, & quia vnus fidelis gaudet de bono spirituali alterius fidelis. Communicatio purè exterior est, qua communicant inter se in conuictu politico, nempe in contractibus, & colloquiis, & aliis rebus & commerciis politicis, quæ secundùm ius gentium sunt in vsu apud omnes Respublicas. Mixta est, qua fideles, etiamsi peccatores sint, communicant sacramentis, suffragiis & orationibus Ecclesiæ; hæc dicitur partim interior, quia ordinatur ad spiritualia bona, nempe ad gratiam conferendam vel conseruandam, ad dolendum de peccatis, &c. Dicitur autem partim exterior, quoniam habet actus & cæremonias exteriores; communicatio purè exterior est communis reipub. ecclesiasticæ, & cuicũque alij Reipublicę & nationi

quantumuis barbaræ: purè autem interior & mixta sunt propriæ Reipublicæ ecclesiasticæ.

Secundò notatur, communicationem purè interiorem & mixtam posse haberi dupliciter. Primò modo, per applicationē priuatam vnius ad alterum, vt quando vnus iustus intentione priuata speciali applicat suas satisfactiones alteri iusto: secundo modo, per applicationem communem, vt quando Ecclesias per suos ministros applicat fidelibus ea bona, quorum ipsa est dispensatrix, vt cōmunia suffragia & satisfactiones Christi, & Sanctorum.

Tertiò notatur magnum esse discrimē inter communicationem, quæ est inter fideles iustos, & illam, quæ est inter fideles peccatores: nam iusti quia sunt perfectè vniti Christo capiti & membris per charitatem, sunt capaces ad communicandum omnibus bonis spiritualibus, quæ secundùm se sunt communicabilia, vt satisfactiones Sanctorum, suffragia, &c. fideles autem peccatores quia tantùm sunt uniti per fidē, & sunt membra mortua, non possunt communicare omnibus bonis spiritualibus, quæ secundùm se sunt communicabilia, sed aliquibus tantùm, vnde non communicant satisfactiones iustorum, sed orationes fidelium & suffragia Ecclesiæ quoad impetrationem, scilicet vt illuminentur à Deo, & conuertantur, vt protegantur ab incursibus dæmonum. Et iuxta hoc explicari potest articulus Symboli de communione Sanctorum, vt intelligatur etiam de fidelibus peccatoribus, qui aliquando etiam vocantur Sancti, vt Roman. 1. *Omnibus qui Romæ sunt dilectis Dei, vocatis Sanctis*, ideo autem vocantur Sancti, quia habent fidem sanctam, quia vocati sunt ad sanctitatem, & eam professi sunt in Baptismo, & quia sanctissimum habent caput, scilicet Christum.

His suppositis, ad primum respondetur, quòd Ecclesia nō potest priuare fideles prima communicatione, sicut non est in hominis potestate, quòd membrum viuum & vnitum reliquis non participet cibo digesto per stomachum; solum igitur peccatum mortale priuat communicatione fidelium, quæ est mediante charitate, & solum peccatum infidelitatis priuat communicatione, quæ est mediante fide.

Hinc sequitur primò, Ecclesia dum excommunicat aliquem, non priuat illum communicatione quæ fit per charitatem, sed supponit iam esse priuatum per mortale peccatum contumaciæ. Secundò sequitur, quòd si excommunicatus, antequam absoluatur ab excommunicatione, conuertatur ad Deum, fruetur hac communicatione, quæ fit mediante charitate, quod colligitur ex can. dixi. & can. magnæ. de pœnit. d. 1. Reliquarum verò communicationum, nempe secunda & tertia, bene potest Ecclesia priuare. Quòd possit secunda, patet: nam quælibet Respublica potest; ergo etiam Ecclesia, quod etiam Lutherus ipse concedit. Ex qua ratione etiam probatur quòd possit priuare tertia, vt vidimus in probatione secundæ conclusionis. In forma ergo respondetur ad argumentum, dicendo ad antecedens, quòd in spiritualibus pertinentibus ad primam communicationem nemo læditur nisi à seipso, secus est in spiritualibus pertinentibus ad tertiam communicationem.

Ad secundum respondetur, concedo excommunicationem esse medicinalem pœnam, c. cùm medicinalis. de sent. excommunicationis. in 6. & negatur minor: nam sicut in corporalibus amara potio dicitur medicina, quia ordinatur ad salutem, licèt aliquod damnum corpori afferat, ita etiam excommunicatio licèt animæ afferat hoc damnum, quod est priuare illam suffragiis & orationibus Ecclesiæ, nihilominus dicitur & est medicinalis, quia totum hoc ordinatur ad salutem animæ: ideo enim priuat illum hominum conuictu, vt sic erubescat; orationibus autem & suffragiis ideo priuat excommunicatum, vt sibi ipsi relictus agnoscat

noscat propriam infirmitatem, & conuertatur ad Deum, iuxta illud 1. Cor. 5. *vt spiritus saluus fiat in die Domini.* Si obiicias, quòd excommunicatio aliquando nõ prodest excommunicato propter eius indispositionem; ergo tunc non erit illi medicinalis. Respondetur, satis esse quòd quantùm est de se sit medicinalis, sicut medicina salutifera applicata infirmo medicinalis est, quamuis non prosit infirmo, propter eius indispositionem & malum regimen. Videte Couar. in c. alma mater. p. 1. in initio n. 9.

Ad tertium respondetur, quòd cùm excommunicatio priuet sacramentis & suffragiis, quæ plurimum vtilitatis afferunt animæ, ideo nocet in foro interiori.

Ex dictis sequitur contra Lutherum excommunicationem non esse optandam, sed summopere timendam. Vnde Aug. 1. contra aduersarium legis & Prophetarum, cap. 17. dicit, *Si Ecclesiam non audieris, sit tibi tanquam ethnicus & publicanus, & grauius est quàm si gladio ferretur, si flammis absumeretur, si feris subigeretur.* Et postea subdit; *Ecce ab hominibus non reddentibus malum pro malo alligatur homo amarius & infœlicius. Ecclesiæ clauibus, quam quibuscunque durissimis & grauissimis ferreis vel adamantinis nexibus.* Et vt homines intelligerent, quàm timenda sit excommunicatio, permittebat Deus in Ecclesia primitiua, vt excommunicati visibiliter arriperentur à dæmone, aut in magnos corporis languores inciderent, vt refert Chrysost. in 1. Timoth. cap. 1. homil. 5. & Theodoret. ibidem.

Secundò sequitur, potestatem quam habet Ecclesia ferendi censuras, esse ex iure diuino, vt patet ex testimoniis Matth. 16. & 18. iam citatis, per quæ explodituer hæresis Marsilij Patauini dicentis Ecclesiam habere potestatem à principibus secularibus.

Dvbivm III.

Vtrùm vsus ferendi censuras sit antiquus in Ecclesia.

Conclvsio, certum est antiquissimum esse, à tempore Apostolorum, & vsque nunc obseruatum. Probatur: nam in canonibus Apostolorum, in can. 3. imponitur pœna depositionis, & à can. 6. vsque ad 83. pauci sunt qui non contineant aliquam censuram excommunicationis, suspensionis, depositionis, vel irregularitatis, quæ intelligitur, quando dicitur, *non ordinetur*, vel *non potest ordinari*; voco nunc depositionem & irregularitatem censuras, disputaturus postea dubio quinto, vtrùm sint censuræ. Secundò probatur Decretis Pontificum, nempe can. Episcopus. de consecrat. d. 1. ex Anacleto Papa, cui successit Clemens c. videte. 24. q. 3. & d. 33. vbi sunt plures canones eiusdem Anacleti, in quorum nonnullis imponuntur censuræ. Constat etiam ex multis aliis Decretis Pontificũ & Conciliorum. Tertiò probatur specialiter de excommunicatione 1. Cor. 5. & 1. ad Timoth. 1. vt vidimus dubio precedenti, & in Concil. Niceno, in confessione fidei, & c. 5. & 12. anathematizatur Arius, & Concil. Chalcedonense, & alia Concilia antiquissima, & nouissimè Trident. idem fecerunt contra alios hæreticos.

Dvbivm IV.

Quid sit censura?

Conclvsio, censura est pœna ecclesiastica, qua baptizati puniuntur priuatione bonorũ spiritualiũ. Contra definitionem hanc arguitur primò. Ecclesia non est domina bonorum spiritualium; ergo non potest priuare huiusmodi bonis. Secundò, nam Ecclesia aliquando priuat fideles bonis temporalibus & corporalibus, cuiusmodi sunt, ingressus

in templum, ecclesiastica sepultura, & aliquando priuat bonis omnino naturalibus, vt conuictu hominum. Tertiò, nam hæc definitio conuenit irregularitati, quæ tamen non est censura.

Pro explicatione huius definitionis primò notatur, hanc esse differentiam inter Rempublicam ciuilem ac temporalem, & inter ecclesiasticam ac spiritualem, quòd finis Reipublicæ ciuilis est tèporalis, scilicet pax & tranquillitas Reipublicæ, finis autem ecclesiasticæ Reipublicæ est supernaturalis, nempe clara Dei visio; & quoniam media debent esse proportionata fini, ideo media Reipub. ciuilis (nempe media quibus se ipsam defendit, præmia & supplicia, quæ proponit ciuibus) temporalia sunt; è contra verò media Reipub. ecclesiasticæ, nempe anima, quibus se defendit, præmia & supplicia, quæ proponit fidelibus, sunt spiritualia.

Secundò notatur, quòd licèt Ecclesia directè versetur circa spiritualia, indirectè tamen versatur etiam circa temporalia in ordine ad spiritualia: non enim esset satis prouisum Ecclesiæ, si careret hac potestate. Et ideo si aliquis Princeps defecerit à fide, potest summus Pontifex illum priuare regno, & alium substituere, & abrogare leges Principum secularium, si aduersentur fini spirituali & rationi. His suppositis dicimus definitionem traditam optimam esse: nam pœna ecclesiastica ponitur loco generis, & etiam ad denotandum quòd cẽsura ecclesiastica est quidam effectus clauium Ecclesiæ, illa particula *baptizati*, ponitur ad denotandum subiectum censuræ: nam Ecclesia tantum potest ferre censuras in homines baptizatos; denique illa particula, *bonorum spiritualium*, ponitur ad differentiam aliarum pœnarum ecclesiasticarum, quæ fiunt aliquando in bonis communibus Ecclesiæ & Reipublicæ ciuili, vt carcer, exilium, pœna pecuniaria, & alia huiusmodi: bona enim spiritualia sunt propria Ecclesiæ.

Ad primum respondetur, quòd licèt Ecclesia non sit domina bonorum spiritualium, satis est quòd sit dispensatrix. Pro solutione secundi notatur, quòd spirituale dupliciter sumitur. Primo modo, vt distinguitur contra corporale, vt anima, Angelus. Secundo modo, vt distinguitur contra temporale, & hoc modo omne quod pertinet ad ordinem supernaturalem gratiæ & gloriæ, dicitur spirituale, siue sit entitas spiritualis, vt gratia & charitas, siue corporea & materialis, vt sacramenta, sacerdotes, vasa sacra, templa, & beneficia ecclesiastica. Hæc omnia pertinent ad ordinem supernaturalem, vel per institutionem Christi, vt sacramenta, vel per consecrationem Ecclesiæ, vt sacerdotes, vestes, & vasa sacra, & templa, vel per annexionem ad res supernaturales, vt beneficia ecclesiastica. Hinc patet ad argumentum, quòd ingressus templi, & ecclesiastica sepultura sunt bona spiritualia, ideo potest Ecclesia directè priuare huiusmodi bonis. Conuictus autem hominum est quidem merè naturalis, sed bene potest Ecclesia priuare isto bono indirectè in ordine ad spiritualia bona. Tertium atgumentum petit

---

DVBIVM V.

Quot sint species censuræ?

PRIMA sententia est Soti d. 22. q. 3. ar. 1. in principio, vbi dicit, esse quinque, nempe excommunicationem, interdictum, cessationem à diuinis, suspensionem, & irregularitatem, quando est pœna, qualis est illa, quæ incurritur propter homicidium iniustum, vel propter celebrandum, quando est irretitus suspensione, vel excommunicatione: idem videtur tenere Corduba 5. Quæstionarij. q. 43. dub. 4. Quæ sententia probatur: nam, vt vidimus, censura est pœna Ecclesiastica, per quam fideles puniuntur in bonis spiritualibus, fideles autem puniuntur

niuntur in huiusmodi bonis non solùm per excommunicationem, suspensionem, & interdictum, sed etiam per cessationem à diuinis, & irregularitatem: ergo etiam istæ sunt censuræ.

Secunda sententia aliorum moderno-rum, quòd sunt septem cēsuræ: nam vltra quinque modò relatas addunt duas, scilicet depositionem, & degradationem.

Sit tamen conclusio, tantùm sunt tres species censurę, scilicet excommunicatio, suspensio, & interdictum. Sic Antonin. 3. par. n 26. Syluest. verb. interdictum. n. 3. & verb. censuræ. Angel. Armilla, & alij Summistæ eodem verb. censuræ. Nauarr. c. 27. n. 151. & 194. & communiter Doct. Canonistæ. Probatur ex c. quærenti. de verborum significat. vbi consultus Innocent. III. quid debeat intelligi per censuram ecclesiasticam, quando ponitur in literis Pontificiis, respondet quòd non solùm interdictum, sed etiam suspensio & excommunicatio.

Dices, quòd ibi non negatur esse plures species censuræ, sed solùm referuntur istæ tres, qui magis communiter sunt in vsu. Contra hoc replicatur primò, quòd licèt argumentum negatiuum non sit firmum in Metaphysica; in iure tamen firmum est, vt ait Nauar. c. 27. num. 221. Secundò: nam aliàs responsio Pontificis esset diminuta, nec deberet poni inter decreta, sub titulo de verborum significatione, vbi explicantur verba secundùm totam suam significationem. Alij respondent, quòd Pontifex tantùm voluit recensere censuras illas, quæ imponuntur à Iudicibus, vt patet ex illis verbis, *nisi Iudex discretus rerum & personarum circunstantiis indagatis ferat quam magis videri expedire*, censuræ autem quę imponuntur à Iudicibus sunt tres, quoniam irregularitas nunquam imponitur ab homine, sed tantùm à iure. Verùm nec hæc solutio satisfacit, quoniam cessatio imponitur ab homine, & tamen non recensetur in isto textu. Secundò probatur: nam quando in iure habetur sermo de censuris, tantùm numerantur tres suprà positæ, vt patet c. 1. &c. his qui. & c. statutum. de sent. excommunicationis in 6. Tertiò probatur: nam, vt testatur Nauar. c. 27. n. 250. secundùm stylum Romanæ curiæ, quando in Bullis datur facultas absoluendi à censuris, non comprehenditur irregularitas, nisi exprimatur; stylus autem Romanæ curiæ facit ius. rextus in c. ex literis. de constitutionibus. & cap. quàm graui. de crimine falsi. Quartò probatur & efficaciter: nam qui violat censuras Ecclesiæ celebrando, incurrit irregularitatem, & tamen quamuis aliquis celebret existens irregularis, etiam irregularitate contracta ratione delicti, non incurrit aliam irregularitatem; ergo irregularitas non est censura. Et eodem argumento probatur, cessationem non esse censuram: nam qui transgreditur cessationem à diuinis etiam particularem, non est irregularis, vt ostendit Nauarr. cap. 27. n. 188. & Syluest. verb. cessatio à diuinis. in fine. Ex quo argumento sequitur contra nonnullos iuniores quæstionem hanc non esse tantùm de nomine, sed etiam de re.

Ex dictis sequitur, depositionem & degradationem non esse cēsuras, sed pœnas quasdam contra incorrigibiles, quos ecclesiasticæ censuræ non correxerunt.

Ad argumentum factum pro sententia Soti respondetur, quòd cessatio non est prohibitio diuinorum officiorum & sacramentorum, sed desistentia, & omissio ipsa diuinorum officiorum & sacramentorū, vt ait Nau. c. 27. n. 164. & 168. & ideo non est censura: similiter dicimus de irregularitate, quòd non est censura, quia non tam instituta est ad corrigendos fideles, quàm vt ministri ordinis habeant decentiam requisitam ad suum statum, cuius lignum est, quòd excommunicatio, suspensio, & interdictum, quamuis impediant ordines & eorum vsus, quatenus sunt communicatio fidelium, aut sacramenta; non tamen impediunt saltem directè à receptione vel exercitio ordinum quatenus sunt ordines: sola irregularitas est, quæ impedit

impedit à receptione vel executione ordinum, quatenus ordines sunt.

Dvbivm VI.

Virùm fœmina, vel laicus possit ferre censuras?

Prima conclusio, fœmina nec iure communi, nec ex commissione Papæ potest ferre censuras: hæc est contra Armil. verbo, excommunicatio, num. 24. dicentem, quòd ex commissione Papæ potest excommunicare; quod Paludan. in 4. d. 19. q. 2. dicit esse probabile, sed nostram conclusionem tenet expressè Ledes. 2. 4. q. 21. art. 3. & q. 24. art. 2. & aliqui viri doctissimi, & colligitur de mente Sylvestri verb. Abbatissa. n. 1. & Soti d. 20. q. 1. art. 4. in solutione ad 4. Et probatur prima pars, scilicet quòd non possit iure communi, ex c. dilecta. de maiorit. & obedientia. Secunda verò pars probatur, potestas iurisdictionis spiritualis ordinatur ad clauem ordinis, scilicet ad remittendum peccatum, & habet ortum ex illa, & ideo solùm est in iis, qui habent clauem ordinis, vel possunt habere, sed mulier est omnino incapax etiam stando in iure diuino, potestatis ordinis; ergo & iurisdictionis spiritualis. Secundò: nam videmus quòd nec Christus, nec Ecclesia contulit vnquam hanc potestatem alicui fœminæ, vt bene perpendit Innocent. III. c. noua. de pœnit. & remissionibus. Hinc sequitur, quòd licèt nonnullæ Abbatissæ possint aliquo modo suspendere ab officio & beneficio, & largo modo interdicere, & suspendere ab ordine clericali subiectos suæ iurisdictioni, verbi gratia, præcipiendo eis, ne celebrent, donec satisfecerint; proprie tamen loquendo non possint interdicere, nec suspendere interdicto & suspensione, quæ sint veræ censuræ ecclesiasticæ, & inducant irregularitatem, si violentur. Ita Panormit. & communiter Doctores Canonistæ in c. dilecta. iam citato.

Secunda conclusio, viri merè laici, qui nec primam tonsuram habent, non possunt ferre censuras iure communi, bene tamen ex commissione solius Papæ. ita Sylvest. verb. excommunicatio. 1. num. 6. Couar. cap. alma mater. 1. p. §. 11. num. 3. Nauar. c. 27. num. 6. & Doctores communiter. Et probatur prima pars: nam laici spiritualia tractare non possunt. c. Ecclesia sanctæ Mariæ. de constitutionibus. cap. bene quidem. 96. d. & in c. decernimus. de iudiciis statuitur quòd laici ecclesiastica negotia tractare non præsumant; potestas autem ferendi censuras pertinet ad iurisdictionem spiritualem & ecclesiasticam. Et hæc prima pars intelligitur, quamuis sint Religiosi professi, secunda verò probatur ex can. præter. §. verum. 90. d. & glossa ibidem, verbo, ducibus. Et ratione probatur: nam prima tonsura solo iure positiuo est requisita ad ferendas censuras, in quo iure Papa dispensare potest. Dixi, *solus Papa*, quia non sufficit dispensatio Episcopi: nam solus Papa potest in hoc iure dispensare. Vnde quando Couar. ait, quòd laicus est incapax iurisdictionis ad excommunicandum, intelligendus est de incapacitate proueniente ex iure communi, non ex iure diuino, sicut est incapacitas fœminæ.

Ex dictis sequitur, quòd merè laicus non habens primam tonsuram, non potest constitui vicarius Episcopi, nisi ex commissione Papæ. ita Panormit. & Felin. quos refert & sequitur Couar. vbi sup. & habetur ex can. in nona. 16. q. 7. Et quod diximus de laicis non habentibus primam tonsuram, idem dicendum est de clericis coniugatis, quamuis habeant quatuor minores ordines. Sic Panormit. & Ioannes Andreas, quos refert & sequitur Couar. ibidem. & probatur ex c. sanè. el 1. de clericis coniugatis. vbi decernitur, quòd clericus coniugatus non admittatur ad beneficia ecclesiastica, nec ad ordines sacros, nec ad negotia ecclesiastica, sed ferre censuras est negotium ecclesiasticum; ergo. Fauet etiam c. vnicum.

cum de clericis coniugatis in 6. versiculo in cæteris.

Tertia conclusio, qui non sunt sacerdotes, dummodo habeant primam tonsuram, bene possunt iure communi ferre censuras, supposito quòd habeant iurisdictionem in foro exteriori. ita D. Thom. in additio. ad 3. p. q. 22. art. 2. & est communis. & probatur ex c. transmissa. de elect. vbi decernitur quòd Episcopus confirmatus nondum consecratus potest excommunicare. Et probatur ratione D. Tho. quia potestas ferendi censuras, non est potestas ordinis, sed iurisdictionis; quæ autem personæ in particulari sint illæ, quæ possunt excommunicare, in 2. p. c. 3. dicendum est.

DVBIVM VII.

Vtrùm censuræ incurrantur ipso facto?

VERBI gratia, transgreditur aliquis legem imponentem censuras ipso facto, vel latæ sententiæ, vtrùm incurrat statim censuras nulla expectata sententia Iudicis? Dico, *ipso facto*, nam quando sententia est comminatoria seu inferenda, certum est quòd non incurruntur ante sententiam Iudicis.

Conclusio, quòd iste talis incurret statim censuras nulla expectata Iudicis sententia, est communis Doctorum, & est text. in c. pastoralis. §. verum. de appellationibus, vbi dicitur, quòd excommunicatio secum trahit excutionem; vtrùm in assignāda ratione magna est inter Doctores varietas. Caiet. num. 22. q. 62. ar. 3. assignat pro ratione, quòd ad incurrendas censuras nulla requiritur actio, quia consistunt in priuatione: tractans enim ibi de lege pœnali, constituit hanc regulam generalem, quòd quando pœnæ sunt tales, quòd ad executionem earum aliqua requiritur actio, vt pœna mortis, mutilationis membrorum, exilij, pœna pecuniaria, & aliæ huiusmodi, tunc non incurruntur ante sententiam Iudicis, quia idem non debet esse agens & patiens; at verò quando sunt tales, quòd ad executionem earum nulla requiratur actio, quia consistunt in priuatione, vt pœna excommunicationis, suspensionis, &c. incurruntur nulla expectata sententia Iudicis. Eandem rationem tradit Sylu. verb. assassinus. dicēs quòd pœna excommunicationis & huiusmodi ideo incurritur nō expectata sententia Iudicis, quia ad eius executionem non requiritur factum hominis; sed hanc rationem impugnat Soto 1. de iust. & iure. quæst. 6. art. 6. quia sequeretur ex illa, quòd damnatus per legem ad nunquam exeundum de carcere, vel ad nunquam sumendum cibum etiam sibi propositum, teneretur in conscientia ad subeundas huiusmodi pœnas ante sententiam Iudicis, quod tamen est falsum. Patet sequela: nam istæ pœnæ sunt purè negationes, ad quarum executionem nulla requiritur actio. Verum est quod hoc argumentum parum cōcludit; tum quoniam licèt huiusmodi pœnæ videantur negationes, tamen in illo casu idem est non comedere, ac se occidere, ad quod nullus potest obligari; tum etiam quoniam ad huiusmodi pœnas nec per sententiam Iudicis potest obligari homo cum periculo vitæ. Nihilominus tamen regula Caietani vniuersaliter intellecta non est vera: nam ex illa sequeretur primò, quòd quando lex imponit ipso facto pœnam priuationis beneficij, obligaret ad subeundam pœnam ante sententiam Iudicis; quod tamen falsum est, vt dicunt Archidiaconus, Ioannes Andreas, & Alexand. de Immola, quos refert & sequitur Sylvest. verbo, assassinus. idem dicit Soto art. citato. in solut. ad 4. Et probatur præterea: nam quando leges intendunt obligare ante sententiam Iudicis ad huiusmodi pœnam, id exprimunt, vt patet in extrauag. ambitiosè. vbi clerici vendentes beneficia priuantur beneficiis, & dicitur quòd censeantur priuati nulla declaratione Iudicis requisita; ergo quando non exprimunt, signum est, quòd non

intendunt obligare cum tanto rigore. Secundò, sequeretur quòd hæreticus amitteret ipso facto dominiũ suorũm bonorum ante sententiam Iudicis, quod licèt concedatur à Caietano, tamen est contra sententiam magis receptam, vt vidimus in materia de legibus, qu. 96. artic. 4. disputat. 2. dub. 4. Tertiò, sequeretur quòd possit hæreticus priuari vsu suorum bonorum ante sententiam Iudicis, quod tamen nec ipse Caiet. concedit. Vnde nec ipse videtur persistere in ratione suprà tradita: nam in Summa, verb. pœna, dicit quòd pœnæ priuatiuæ non obligant ante sententiam Iudicis, exceptis censuris Ecclesiasticis, & pœnis testamentariis. Omissa igitur hac ratione Caietani, aliam tradit Soto, scilicet ideo censuras incurri ante sententiam Iudicis, quia Ecclesia per huiusmodi leges non priuat hominem bonis propriis ipsius hominis, sed communibus Ecclesiæ, quorum ipsa est vel domina, vel dispensatrix. Sed nec ista ratio videtur omnino firma. Primò: nam ex illa sequeretur, quòd lex Ecclesiastica, vel ciuilis, quæ priuat ipso facto beneficio, publico officio, obligaret ad pœnam ante sententiam Iudicis, quod tamen falsum est, vt patet ex extrauag. ambitiosè. iam citata. Secundò: nam etiam sequeretur, quòd leges Academiarum priuantes ipso facto iure suffragandi scholasticum, qui subornauerit, vel intrauerit domum oppositoris, &c. obligarent ad pœnam ante sententiam Iudicis: nam suffragandi ius est beneficium acceptum ab ipsa Academia, & per consequẽs scholasticus qui violauerit huiusmodi leges, quamuis crimen sit occultum, teneretur in conscientia non suffragari, quod tamen falsum est, & contra ipsum Sot. 1. de iust. quæst. 6. artic. 6. in solutione ad 4. & lib. 4. quæst. 6. artic. 3. in fine, & contra alios Doctores, quos citaui 12. loco citato, dub. 5. par. 1.

Vnde firmior nostræ conclusionis ratio ea est, quòd Ecclesia sic intendit obligare, vt constat ex communi consensu & interpretatione ipsius Ecclesiæ & Doctorum, vt patet: nam quando Ecclesia vult pœnas censurarum incurri ante sententiam Iudicis, solùm dicit, ipso iure, ipso facto, vel quid simile; nec vnquam consueuit addere, nulla expectata sententia Iudicis, vel aliquid simile, sicut consueuit in aliis pœnis, etiamsi priuent bonis, quæ homo habet ab ipsa Ecclesia, vt constat ex extrauag. ambitiosè. citata, & aliis textibus citatis in materia de legibus. Meritò autem Ecclesia obseruat hanc consuetudinem: nam cùm censuræ sint pœnæ spirituales, habent maiorem proportionem cum culpa, & ideo faciliùs eam comitantur. Præterea cùm sint pœnæ occultæ, incurruntur cum minori nota. Contrà: nam excommunicatio non solùm priuat bonis spiritualibus, qualia sunt suffragia & sacramenta, sed etiam commercio & conuictu humano, & Iudicem etiam laicum non toleratum priuat potestate iudicandi; ergo pœnæ cẽsurarum non solùm sunt spirituales, sed etiam tẽporales. Respondetur, quòd excommunicatio directè & per se primò priuat suffragiis & sacramentis Ecclesiæ, commercio autem humano & potestate iudicandi priuat secundariò & indirectè, & in ordine ad finem spiritualem; accessorium autem sequitur principale.

Sed contra conclusionem est argumentum. Depositio, degradatio, & cessatio à diuinis non incurruntur ipso facto; ergo falsa conclusio. Respondetur primò, quòd non sunt censuræ, vt vidimus dub. 5. Secundò, quòd cùm sint pœnæ grauissimæ, Ecclesia propter suam benignitatem noluit, quòd imponerentur frequenter, sed rarò in grauissimis casibus, & tunc noluit quòd incurrerentur ipso facto ante sententiam Iudicis.

DVBIVM VIII.

Vtrùm leges continentes pœnas censurarum ipso facto incurrendas, possint abrogari per contrariam consuetudinem?

NON

NONNVLLI relati à Sylueſt. verb. conſuetudo. q. 6. negant. Idem tenet Caſtro 2. de lege pœnali. cap. 12. poſt primam concluſionem: nam violantes huiuſmodi leges, ſtatim incidunt in cenſuras; ergo. Concluſio, quòd oppoſitum eſt verum: ita Panormit. cap. de treuga & pace. Sylueſt. ſup. Probatur: nam fieri poteſt, quòd paulatim homines non reputent ſe incidere in cenſuras, & ſic paulatim remittetur vigor legis, & tandem totaliter abrogabitur, & hoc licèt conſuetudo fuerit in principio cum peccato introducta, iuxta doctrinam Soti 1. de iuſt. q. 7. art. 2. ad 2. & Caiet. 1. 2. q. 97. art. 3. vbi generaliter hoc dicunt de conſuetudine.

Ad fundamentum in contrarium reſponderur antecedens tãtùm eſſe verum, quando lex eſt in ſuo vigore, aliàs non.

DVBIVM IX.

Vtrùm ad hoc quòd cenſura ſit valida, requiratur quòd præcedat aliquod peccatum, vel ſufficiat ſola voluntas Prælati?

CONCLVSIO, quòd requiritur præcedere aliquod peccatum, aliàs cenſura erit nulla. Eſt communis ſententia, & probatur: nam poteſtas data Eccleſiæ in ædificationem eſt, non in deſtructionem; ſed ſi Prælatus poſſet pro libito imponere pœnas cenſurarum nullo præcedente peccato, eſſet in deſtructionem fidelium & Eccleſiæ; ergo. Secundò: nam ſententia quæ punit innocentem eſt nulla omnino, cùm ſit contra rationem.

DVBIVM X.

Vtrùm ad validitatem cenſuræ requiratur quòd præcedat peccatũ exterius, vel ſufficiat purè interius, quod nullo modo exiit in actum exteriorem? Vt deſiderium occidendi clericum, error merè interior contra res fidei cum pertinacia abſque vllo ſigno exteriori.

PRIMA opinio tenet partem affirmatiuam, & ita concedit hæreticum purè interiorem incurrere excommunicationem latam contra hæreticos. Sic gloſſa Clement. 1. de hæreticis. Panormit. & multi alij Doctores Canoniſtæ, quos refert Roias Inquiſitor tract. de hæreticis. 1. part. num. 246. idem tenet Adrianus quodlib. 8. quæſt. 2. & in 4. quæſt. 2. de confeſſ. Et probatur primò, poteſtas Eccleſiæ eſt ſpiritualis; ergo poteſt punire peccata purè interna. Secundò, Eccleſia habet iuriſdictionem circa actus interiores, & poteſt illos præcipere, ac prohibere; ergo poteſt excommunicare pro illis, ſi ſint mali. Antecedens probatur: nam abſoluit à peccatis purè mentalibus, & poteſt eorum abſolutionem reſeruare, poteſt diſpenſare in voto purè mentali, & quando definit aliquid de fide, obligat ad credendum illud, & cap. dolentes, de celebratione Miſſarum: clericis recitantibus diuinum officium præcipit attentionem & deuotionem, & Clement. multorum. de hæreticis. §. verùm, præcipit ſub excommunicatione ne Inquiſitores amore vel odio aliquid faciant, vel facere omittant. & in Clement. ne in agro Dominico. §. quia verò de ſtatu monachorũ. imponitur excommunicatio contra Religioſos, qui pergunt ad curias Principum animo nocendi ſuis Prælatis. & in c. vnico. de ſchiſmaticis. in 6. excommunicantur qui certas perſonas ibi numeratas habuerint pro Cardinalibus. Confirmatur, Eccleſia punit aliquando eos, qui omittunt actus externos; ergo tunc ſolùm punit actum interiorem, quo vult homo omittere exteriorem actum. Antecedens probatur nonnullis exemplis. Primò, Lutheranus, qui ex eo quòd credit corpus Chriſti non eſſe realiter in Euchariſtia, non audit Miſſam, quamuis non aliter manifeſtauerit exteriùs ſuam hæreſim, incurret excommunicationem latam contra hæreticos. Secundò, qui non defendit clericum à percuſſione, cùm poſſit, & teneatur ex iuſtitia, verbi gratia, Iudex, incidit in excommunicationem, can. ſi quis ſuadente. tex. ex cap. quantæ. de ſen-

tent. excommunicat. & communis ibid. Tertiò, quando in iudictis Prælatorum præcipitur sub excommunicatione latæ sententiæ denunciari aliquod delictum, qui non denunciat, cùm teneatur, incurrit excommunicationem.

Secunda opinio tenet partem negatiuam, & hæc est longè probabilior. Eam tenet Simancas de Catholicis institutionibus. titul. 32. num. 7. Antonin. 3. part. tit. 14. §. 4. Sylvest. verb. excommunicatio. 7. §. 3. Caietan. 2. 2. q. 11. articul. 3. Soto in 4. d. 22. quæst. 2. artic. 3. Castro 2. de lege pœnali, & alij multi, quos refert & sequitur Corduba in Quæstion. libr. 4. q. 13. Pro cuius explicatione notatur cum Caiet. loco citato, quòd dupliciter aliquid dicitur occultum. Primo modo, per se, nempe illud, quod non subditur sensibus hominum, vnde incipit omnis nostra cognitio, vt desiderium internum occidendi, vel furandi. Secundo modo, per accidens, nempe illud quòd licèt subdatur sensibus hominum, caret tamen omnino testibus quibus possit probari; vt quando aliquis nullo alio audiente in cubiculo, vel in agro manifestat verbis hæresim cui assentitur interiùs.

Secundò notatur, Ecclesiam duobus modis posse infligere censuras. Primo modo, in communi per aliquam legem communem, vt qui hoc fecerit, sit ipso facto excommunicatus. Secundo modo, per sententiam contra aliquem nominatim & in particulari.

Sit prima conclusio, Ecclesia non potest punire censuris peccatum occultum per se, id est, purè interius. Hæc est de mente secundæ opinionis. Probatur: nam Ecclesia non iudicat de occultis. can. erubescant. 32. d. vbi dicitur, *de manifestis loquimur*, occultorum enim tantùm Deus Iudex est & cognitor. Idem habetur can. consuluit. 2. quæst. 5. & can. cogn. 9. de pœnitent. d. 1. vbi dicitur cogitationem quando suis terminis contenta est (id est, quando manet intra limites actus interioris) non mereri pœnam lege ciuili, id est, ab homine, secus à Deo, vt ait glossa. Secundò probatur ex D. Thom. 1. 2. q. 91. articul. 4. vbi ait, quòd de his potest homo legem ferre, de quibus potest iudicare, & quia iudicium humanum non potest esse de actibus interioribus, qui latèt, ideo nulla lex ecclesiastica potest ferri de huiusmodi actibus, sed necessaria est lex diuina.

Secunda conclusio, Ecclesia bene potest punire per legem generalem pœna censurarum peccatum, quod est occultum per accidens; non tamen per modum sententiæ & nominatim, quandiu manet sic occultum. Prima pars probatur: nam qui exteriùs manifestauit hæresim, cui interiùs assentitur, manet excommunicatus, quantumuis in occulto manifestauerit. ita Simancas tit. 43. n. 3. & omnes Doctores. Et probatur: nam hoc peccatum est occultum per accidens; per se namque potest subiici Ecclesiæ iudicio. Secunda verò pars probatur ex textibus citatis in prima conclusione.

Ad primum respondetur, quòd licèt Ecclesiæ potestas sit spiritualis, tamen quia residet in hominibus, debet exerceri humano modo, ita vt solùm se extendat directè ad ea, quæ homines possunt cognoscere.

Ad secundum respondetur, quòd Ecclesia non habet directè iurisdictionẽ in actus interiores, sed indirectè tantùm, scilicet in ordine ad actus exteriores, quibus coniunguntur tanquam causæ, vel conditiones modificantes ipsos actus internos, vel inquantùm sponte manifestantur exteriùs, & subiiciuntur Ecclesiæ iudicio, & hac ratione absoluit à peccatis mentalibus sibi manifestatis; potest autem reseruare peccata purè interiora, non ex eo quòd habeat directè iurisdictionem erga illa, sed quia Prælatus non vult concedere Confessario inferiori iurisdictionem ad ea absoluenda. Potest etiam dispensare in voto purè mentali sibi manifestato, quia iam subiicitur Ecclesiæ potestati, & cùm præcipit audire Missam, & recitare

& recitare diuinum officium, non præcipit directè attentionem, sed actum exteriorem audiendi, vel recitandi cum tali modo, scilicet attentè & deuotè: similiter obligat nos ad credendum aliquid de fide, non quidem præcipiendo directè actum interiorem, sed explicando, & constituendo veritatem, quam definit sub obiecto fidei, quod iure diuino tenemur credere: similiter Inquisitoribus non prohibet directè odium, vel amorem internum, sed prohibet, ne exeat in actum externum indebitum; scilicet vel cessando ab actu debito, vel prorumpendo in actum indebitum. Vnde quamuis Inquisitor habeat intestinum odium contra aliquem reum; si tamen rectè se gerat in procedendo contra illum, non incidet in excommunicationem: similiter in Religiosis punit illum actum interiorem, vt est causa exterioris: vnde si animus nocendi Prælato nullo modo exiret in opus exterius, non incurrerent. Verbi gratia, si Religiosus pergeret ad curiam ex obedientia Prælati; ipse tamen haberet istum malum animum, qui non prorumperet in actum exteriorem. Ad c. vnicum. de schismaticis, respondetur cum Castro 2. de lege pœnali. capit. vlt. paulum post primam conclusionem, non esse intelligendum de interiori existimatione, sed se exteriori, nempe quando per exteriora signa aliqui significant illos esse Cardinales, videlicet nominando illos Cardinales, vel exhibendo eis reuerentiam Cardinalibus debitam, & in eodem loco tradit Castro explicationem, quam tradidimus clementinæ multorum. de hæreticis. Ad confirmationem respondetur, concedo omnia illa exempla, & tunc Ecclesia non punit solum actum interiorem, sed omissiones actuum exteriorem, ad quos tenebatur homo, & punit ipsum actum interiorem, in quantum est causa huiusmodi omissionis.

DVBIVM XI.

Quando aliquis actus exterior est malus, & tamen actus interior à quo procedit, non habet eam malitiam, quæ est prohibita sub aliqua censura, vtrùm homo incidat tunc in illam censuram?

VERBI gratia, est imposita excommunicatio contra hæreticos, & aliquis metu mortis facit actum exteriorem infidelitatis, vt apud Sarracenos adorat Mahumetum, apud Paganos thurificat idolo, retenta tamen interiùs fide, vtrùm incurrat excommunicationem?

Et quæstio procedit in foro conscientiæ: nam in foro exteriori puniretur vt hæreticus, quoniam Ecclesia non iudicat de occultis, nisi probaretur fictio: tunc enim non puniretur pœna ordinaria hæreticorũ. Et quidem Caiet. 2. 2. q. 94. art. 4. tenet istũ incurrere excõmunicationem.

Sit tamen prima conclusio, si actus non esset malus de facto, & in individuo non posset puniri ab Ecclesia, vt homicidium factum ab amente. Probatur: nam vbi nulla est culpa, non potest esse pœna contrà: nam ante Clement. si furiosus. dẽ homicidio, si aliquis vt mortem euaderet, occidebat aggressorem etiam cum moderamine inculpatæ tutelæ, erat irregularis, & tamen ista occisio nõ erat peccatum: nam iure naturæ vim vi repellere licet; ergo conclusio falsa. Respondetur, quòd illa irregularitas non erat pœna, sed defectus significationis, sicut est in Iudice occidente iustè malefactorem.

Secunda conclusio, quamuis actus exterior malus non sit volitus in se, & formaliter, sed in causa, potest puniri ab Ecclesia, & de facto punitur censuris impositis contra tale peccatum. hæc est de mẽte Sylvest. verbo, ebrietas, q. 4. Castri 2. de lege pœnali. c. 14. §. 1. principalis conclusio Couar. Clement. si furiosus. de homicidio. 3 part. in initio. n. 4. verficulo, posset quidem, & aliorum, quos ipse citat n. 3.

quæ exemplis erit manifesta. Inebriatur aliquis sciens & aduertens quòd factus ebrius solet arma sumere & percutere, ac ferire; si iste de facto percutiat clericum, erit excommunicatus, si mutilet, vel occidat aliquem, erit irregularis, vt in terminis tenet Couar. ibidem. & Nauar. cap. 27. num. 230. Præterea sit aliquis, qui scit, quòd dormiens solet arripere arma & ferire, si non adhibeat debitam diligentiam ad præcauendum homicidium, & occidat, erit irregularis, vt tenet Cardinal. Ancara. Nauarr. & Couarru. loco citato, n. 6. Verum est, quòd non sufficit quæcunque ebrietas etiam culpabilis, vt bene dicunt Nauar. & Couar. locis citatis, sed requiritur quòd homicidium vel mutilatio sit præuisum formaliter, vel interpretatiuè. formaliter, vt in exemplo posito, quando aliquis inebriatur sciens & præuidens quòd inebriatus solet arma sumere & ferire, interpretatiuè, vt quando licèt non præuiderit formaliter, tenebatur tamen præuidere, verbi gratia, quando aliquis iam scit, & expertus est, quòd inebriatus solet ferire, & vult inebriari non aduertens quòd solet ferire, & idem proportionaliter dicendum est de dormiente.

Tertia conclusio, quando actus exterior malus non procedit ab actu interiori habente eam malitiam, quæ prohibetur aliqua censura, quamuis possit puniri ab Ecclesia; tamen de facto non incidit in censuram positam contra tale peccatum, vt in exemplo posito de illo, qui exteriùs tantùm facit actum infidelitatis mentu mortis. sic Anton. 2. par. tit. 12. cap. 5. §. 1. Soto in 4. dist. 22. quæst. 2. artic. 3. & communiter alij contra Caiet. loco citato. Et prima pars probatur: nam talis actus est verè peccatum exterius; secunda verò patet. Excommunicatio lata contra hæreticos solùm comprehendit eos, qui verè sunt hæretici, sed iste non est verè hæreticus; ergo. Minor probatur: nam de intrinseca ratione hæresis est error in intellectu contra fidem, & ideo hæresis consummatur in actu interiori.

DVBIVM XII.

Vtrùm ille qui ponit censuras, possit eas imponere per solum actum interiorem, vt dicendo intra se, Volo, & mando, quòd qui tale delictum commiserit, maneat excommunicatus, vel suspensus?

CONCLVSIO, non potest, sed requiritur actus exterior, quo manifestet suam voluntatem. Ita supponunt communiter Doctores. Probatur: nam potestas Ecclesiæ ad ferendas censuras pertinet ad forum exterius.

Secundò: nam vt censuræ comprehendant, requiritur quòd ille qui in eas incidit, possit cognoscere se in eas incidisse, vt sic quærat remedium; ergo requiritur quòd imponantur aliquo signo exteriori. Hæc de prima parte, vel de censura in communi.

SECVN

SECVNDA PARS

De excommunicatione.

De hac materia tractant Doctores in 4. d. 18. Ant. 3. p. tit. 24. Adrian. in 4. tract. de clauibus, à q. 3. Soto d. 22. Conimbr. 2. p. 4. q. 21. & Mexic. in Sum. de sacramentis; in Decretalibus, & in 6. habetur titulus de excommunicatione, & ibi videndi sunt Doctores Canonistæ. Couar. c. alma mater: vbi latissimè tractat hanc materiam, & Summistæ verbo, excommunicatio. Quam materiam in septem diuidam capita. Primum de essentia excommunicationis; secundum de forma; tertium de causa efficienti; quartum de causa materiali, id est, de subiecto; quintum de causa, propter quam fertur; sextum de effectu; septimum de absolutione.

De quidditate & essentia excommunicationis. *Caput I.*

DISPVTATIO I.

De definitione excommunicationis.

DVBITATVR primò de definitione, quid nominis, vel quid significet excommunicatio? Respondetur, quòd significatio huius nominis facilè intelligetur ex ipsa etymologia; excommunicatio enim dicitur à nomine *communio*, & præpositione *ex*, vnde excommunicatio idem est, quod extra communionem; communio autem inter fideles per Antonomasiã significat Eucharistiam, vt ait Dionys. de Ecclesiastica Hierar. c. 3. cuius rationem reddit Damaso 4. fidei, c. 14. quia per Eucharistiam vnimur Christo, & in eius carnem transformatur; ab hac enim sancta communione desumptũ fuit in Ecclesia primitiua nomen excommunicatio: nam quando fideles commiserant grauia peccata, arcebantur à sancta communione Eucharistiæ, & dicebantur excommunicati, id est, extra communionem facti; postea verò, quoniam propter eadem vel grauiora peccata arcebantur fideles à reliquis sacramentis & suffragiis Ecclesiæ, orationibus communibus, ac fidelium conuictu, extensum est hoc nomen *excommunicatio*, vt significaret hanc separationem. Dicimus præterea quòd licèt stando in rigore & proprietate vocabuli, anathema non significet idem quod excommunicatio; anathema enim stando in rigore vocabuli solum significat maledictionem; tamen secundùm iura anathema & excommunicatio maior sunt idem, vt ait Syluester verbo, excommunicatio. 1. n. 23. Vnde non differunt quantùm ad vinculum, sed solùm quantùm ad solemnitatem, vt ait Couar. cap alma mater. 1. p. §. 8. num. 6. propter quod excommunicatio maior in iure solet appellari anathema, vt can. certum. 24. q. 3. Quòd verò differant quoad solemnitatem, habetur can. debent. 11. qu. 3. vbi ponitur anathematis solemnitas, nempe quòd Episcopum debeant circunstare duodecim Sacerdotes habentes in manibus lucernas ardentes, quas in fine anathematis debent in terram proiicere, & pedibus conculcare, & debet mitti epistola per

paro

parochia continens nomen excommunicati, & causas excommunicationis. Hinc fit quòd licèt anathema non liget magis quàm excommunicatio maior, nihilominus incutit maiorem timorem. Et ob hanc causam Concilia, præsertim Tridentinum, quando excommunicant hæreticos, vtuntur nomine anathematis. Per hæc facilè intelligitur text. in cap. cùm non ab homine, de iudiciis. vbi dicitur quòd si clericus depositus fuerit incorrigibilis, excommunicetur; si autem adhuc perstat in sua pertinacia, anathematis mucrone feriatur; sensus est, quòd prius excommunicetur simplici excommunicatione maiori, deinde excommunicatione solenni.

Sed opponimus textui can. Engeltrudam. 3. qu. 4. *Engeltrudam noueris non solùm excommunicatione, quæ à fraterna societate separat, sed etiam anathemate, quod ab ipso Christi corpore (quod est Ecclesia) recidit, crebrò percussam esse*; ergo excommunicatio maior & anathema non sunt idem. Respõdetur cum glossa, quòd ibi anathema sumitur pro maiori excommunicatione, excommunicatio autem sumitur pro excommunicatione minori, ita vt sit sensus, quòd Engeltruda non solùm erat punita priuatione sacramentorum, in qua consistit effectus minoris excommunicationis: verùm etiam erat punita priuatione suffragiorum & orationum communium Ecclesiæ, & ratione huius priuationis dicitur præcisa à corpore Christi, quod est Ecclesia.

Præterea notatur cum gloss. in c. cùm Ecclesiarum. de offic. ordinarij. potestatem anathamatizandi, vel cum solennitate, solis Episcopis competere. Deinde notatur, quòd anathema aliquando significat excommunicationem maiorem sine alia solennitate, vt in dicto can. Engeltruda. De etymologia autem huius nominis anathema, & vtrùm sit Græcum, vel Hebraicum, eruditè tractat Couarruuias loco modò citato.

Vltimò notatur, quòd aliquãdo vtuntur Pontifices hac voce anathema, Maranatha, vt in can. Guilisarius. 23. qu. 4. & significat vehementem quandam maledictionem.

His positis dubitatur secundò de definitione quid rei, quid sit excommunicatio? Respondetur, Excommunicatio est separatio à communione Ecclesiæ quo ad fructum & suffragia generalia. Hæc definitio traditur à D. Tho. in add. q. 21. art. 1. & cõmuniter à Theologis; sed quoniam non comprehendit excommunicationem minorẽ (hæc enim non priuat suffragiis, nec conuictu fidelium, sed tantùm receptione passiua sacramentorum) ideo assignanda est alia definitio, quæ eo nueniat excommunicationi in communi, & comprehendat maiorem & minorem, quæ talis est, Excommunicatio est cẽsura Ecclesiastica, qua separatur homo ab aliqua Ecclesiæ communicatione, vel à sacramentorum receptione tãtùm, vel ab illa, & à suffragiis & orationibus communibus, & conuictu fidelium simul. Dicitur censura tanquam genus: nam censura est genus ad excommunicationem, suspensionem, & interdictum. Hinc sequitur primò, quòd malè dixit Gab. in 4. d. 18. q. 2. & quidam alij, per quodcunque peccatum mortale incurrere hominem in minorem excommunicationem, quia fit indignus receptione Eucharistiæ & reliquorum sacramentorum. Sed certè hoc est ignorare propriam vocem: nam indignitas, quam propter mortale peccatum habet homo ad recipienda sacramenta, prouenit ex ipsa lege diuina, & ex natura ipsius peccati; indignitas autem, quam habet ratione excommunicationis, prouenit ex ipsa censura Ecclesiæ. Secundò sequitur, excommunicationem differre ab aliis pœnis, quæ non sunt censuræ, nec priuant bonis spiritualibus, sed temporalibus, nempe ieiunium, exilium, carcer, & aliæ pœnæ, quas Ecclesiastici Prælati solent imponere. Dicitur præterea, *ab aliqua Ecclesiæ communicatione*, quoniam

niam excommunicatio non potest comprehendere non baptizatos, qui nũquam fuerunt admissi ad communionem Ecclesiæ: dicit enim Paulus 1.Cor.5. *Quid mihi de his, qui foris sunt iudicare?* Reliquæ particulæ sunt loco differentiæ, per quas differt excommunicatio à reliquis censuris, nempe interdicto & suspensione, quoniam excommunicatio priuat sacramentis, suffragiis Ecclesiæ, & conuictu fidelium, quatenus hæc sunt communicatio Christiana; interdictum verò priuat sacramentis & diuinis officiiis, inquãtum sunt sacramenta & officia diuina; suspensio priuat vsu ecclesiasticæ potestatis, quatenus est potestas ecclesiastica. Denique dicitur, *à suffragiis & orationibus communibus*: quoniam licèt Ecclesia posset priuare excommunicatum ab illis suffragiis & orationibus, quæ per intentionem priuatam & specialem applicantur fidelibus, tamen de facto non priuat; sed solùm illis suffragiis, & orationibus, quæ applicantur nomine Ecclesiæ per intentionem communem, vt in sequentibus dicemus.

Excommunicatio autẽ minor sic potest definiri: Est censura ecclesiastica, qua priuatur homo susceptione, seu participatione passiua sacramentorum, & electione passiua. quæ definitio facilè intelligitur ex dictis.

DISPVTATIO II.

De diuisione excommunicationis.

DVBIVM VNICVM.

Quotuplex sit excommunicatio?

RESPONDETVR, multiplex. Primò namque diuiditur in maiorẽ & minorem, quę distinctio habetur ex c.nemo Episcoporum.11.q.3. Dicitur autem excommunicatio minor, vt aduertit Soto dist.21.q.1.art.1. non propter paruitatem obiecti: res enim grauissima est, quòd homo priuetur receptione sacramentorum, sed dicitur minor, per comparationem ad maiorẽ, cuius est pars, & propter materiam, supra quam cadit: incurritur enim propter peccatum veniale.

Contrà diuisionem hanc notatur primò, quòd quãdo excommuncatio absolutè fertur, est intelligenda de maiori. ita Nauar.c.27.n.1. Couar.c. alma mater.p.1. §.8.num.6. & omnes Doctores, & est tex. c.si quem. de sententia excommunicationis. Hoc autem non solùm est intelligendum in excommunicatione lata ab homine, sed etiam in lata à iure. Sic Angel. verb. excommunicar. 2.n.19. & Couar. loco citato, qui dicit esse cómunem sententiam, & colligitur ex Rubrica dicti c. si quem. Contrà arguitur, primò ex illa regula iuris in 6. in pœnis benignior pars est accipienda. Secundò: nam aliquando in iure nomine excommunicationis absolutè sumptæ intelligitur minor excommunicatio, vt patet ex Concilio 4. Carthaginens. & refertur can. sacerdote. de consec. dist.1. & facit can. Engeltrudam. 3. q.4. vbi excommunicatio absolutè sumpta accipitur pro minori, & anathema pro excommunicatione maiori.

Ad primum respondetur, illam regulã esse intelligendam, nisi vbi ius, vel consuetudo contrarium declarauerit.

Ad secundum respõdetur, distinguenda esse tempora, vt concordemus iura: nam pro diuersis temporibus fuit diuersus vsus in Ecclesia circa hoc, quoniam ante Gregorium IX. qui fuit conditor illius can. si quem. & ante quam conditus est ille canon sacerdote, & etiam can. Engeltrudam (siue autor huius can. fuerit Ioannes VIII. vt dicitur in Decreto antiquo, siue Nicolaus I. vt habetur in Decreto Gregoriano: nam vterque Pontifex præcessit Gregorium IX.) ante Gregor. igitur IX. erat maximus feruor fidelium in frequentatione sacramẽtorum, & ideo fideles pro graui pœna reputabãt priuari receptione sacramentorũ, & hac de causa aliquando in iure excommucatio absolutè sumpta intelligebatur de minori.

Cæterùm postea refrigescente charitate, & cessante illo feruore, parum dolebant fideles, cò quod priuarétur sola receptione sacramentorum, & ideo ab illo tempore excommunicatio absolutè sumpta intelligitur de maiori. Contrà: nam Innocentius IV. qui fuit post Gregorium IX. cap. 1. de exceptionibus. in 6. statuit non sufficere ad repellendum actorem, obiicere quòd est excõmunicatus, sed esse necessarium obiicere illi quòd est excommunicatus excommunicatione maiori. Respondetur cum Couar. c. alma mater. p. 1. §. 8. n. 5. versiculo, adhuc. in fine; decisionem huius textus esse specialem in fauorem causarum iudicialium & Iudicum, ne scilicet huiusmodi exceptionibus lites differantur, & cõremnatur Iudex. Et hæc de prima diuisione.

Secundò diuiditur excommunicatio, siue maior sit, siue minor, in excommunicationem generalem & particularem. Generalis est, quando fertur in communi contra eos, qui commiserint tale delictũ in nominando illos, vt contra percutientes clericum, contra alloquentes excommunicatum maiori. Particularis est, quãdo fertur contra personas in particulari, verbi gratia, contra Ioannem, vel contra Prætorem.

Tertiò diuiditur excommunicatio generalis, siue maior sit, siue minor, in latam à iure, & latam ab homine. Lata à iure est, quando fertur in statuto perpetuo, siue tale statutum contineatur in iure communi, siue in statutis Prouincialibus, vel Synodalibus, vel, vt clariùs ait Sylu. verb. excommunicatio. 1. num. 3. excommunicatio lata à iure est, quando ab eo, qui potest constitutionem facere, constituitur aliquid animo iuris statuendi in perpetuum & generaliter, & statutum illud roboratur per excommunicationem. Lata ab homine est, quando fertur à Iudice per sententiam temporalem. Vbi aduertendum est obiter cum Nauar. cap. 27. num. 2 quòd excommunicatio lata in mandatis visitationum non est à iure, sed ab homine, quod intelligo de illis excommunicationibus, sub quibus præcipiunt Visitatores hoc vel illud sibi reuelari: nam, vt postea dicemus cap. 3. Visitatores bene possunt relinquere ordinationes in scriptis cum pœna excommunicationis, quæ durant, dum per alium reuocentur, & ideo quodam modo est per modum statuti. Inter excommunicationem autem latam à iure, & latam ab homine, est magna differentia: nam lata ab homine expirat mortuo, vel amoto ab officio, qui eam tulit, nisi aliquis eam incurrisset ante mortem, vel amotionem Iudicis; lata verò à iure non expirat per mortem, vel amotionem statuentis. ita Sylvest. vbi sup. & Nauarr. c. 27. num. 2. vbi dicit esse communem.

Rogas, vtrùm excommunicationes contentæ in Bulla Cœnæ sint à iure vel ab homine? Respondeo, quòd ante Pium V. erant ab homine, & consequenter expirabant mortuo Pontifice; at verò post Pium V. sunt à iure, quia Papa noluit quòd finirentur sua morte. ita Nauar. cap. 27. num. 74. nam de hoc habetur noua clausula in ipsa Bulla, quæ non habebatur antea; vnde si Apostolica sedes vacaret per multos annos, vltima Bulla haberet suum vigorem. Sed est præterea aduertendum, quòd licèt minor excommunicatio possit ferri à Iudice, vt tenet Sylvest. verb. excommunicatio. 4. num. 2. Nauarr. cap. 27. num. 25. tamen de facto nunquam imponitur nisi à iure.

Quartò diuiditur excommunicatio in excommunicationem iustam & in iniustam, de quibus agendum est cap. 6.

Quintò diuiditur excommunicatio in eam, quæ est latæ sententiæ, & quæ est ferendæ, quæ alio nomine dicitur comminatoria. Latæ sententiæ est illa, quæ statim incurritur sine alia sententia Iudicis, cùm primùm committitur illud peccatũ, quod prohibetur sub excõmunicatione: Comminatoria est, quæ non statim incurritur, sed requiritur sententia Iudicis excommunicans. De verbis autem latæ, vel ferendæ, dicemus capite sequenti.

De

De forma & modo seruando in imponenda excommunicatione.

Caput II.

DISPVTATIO VNICA.

De verbis, quibus imponenda sit excommunicatio, & vtrùm debeat ferri in scriptis.

DVBITATVR primò, vtrùm ad ferendam excommunicationem sint aliqua verba certa & determinata, sine quibus excommunicatio sit nulla? Respondetur quòd non sunt, sed sufficiunt quæcunq; verba, quibus Iudex sufficienter manifestet suam intentionem. ita Sylvest. ver. excommunicatio. 1. n. 15. Nauar. c. 27. n. 12. Hostiens. ibid. citatus, & communis Doctorum. Vnde parum refert, quòd Iudex dicat, *Excommunico te*, vel, *Separo te à communione*, vel similia. Hinc inferunt Sylvest. ver. excommunicatio. 1. n. 13. & Nauar. cita. hæc verba, *Denuncio te excommunicatum*, vel, *Habeo te pro excommunicato*, non sufficere ad excommunicandum, sed solùm ad declarandum hominem iam incidisse in excommunicationem. Hoc autem limitat Nau. nisi hęc verba ponantur in excommunicatione canonis, aut in excommunicatione conditionali, quales sunt omnes, quæ dantur cum monitione canonica, vel propter peccata futura, vt qui hoc fecerit denunciemus esse excommunicatum. Aliam limitationem apponit Tabiens. verbo, excommunicatio. 2. num. 4. nisi constaret de intentione Iudicis, quia scilicet hoc modo solitus est excommunicare: tunc enim ait, in foro conscientiæ sequenda est tutior via. Sed quid si Iudex dicat, *Excommunico vnum de duobus?* Angel. verb. excommunicatio. 2. num. 4. absolutè dicit neutrum esse excommunicatum. Sed melius respondet Tabien. loco citato, vbi allegat Rosellam & alios, quòd si intentio fuit vaga, neuter est excommunicatus; si verò fuit determinata ad vnum, ille erit excommunicatus. & idem tenet Glossator ipsius Angeli; alij tamen non tenentur illum vitare, vt ait Tabien. nisi cognoscant, quem illorum intendebat Iudex excommunicare.

DVBITATVR secundò, quibus verbis imponi solet excommunicatio ferenda, & quibus excommunicatio lata? Dico primò, ad cognoscendum quando excommunicatio est ferenda, tres regulæ sunt obseruandæ, cum Castro 2. de lege pœnali. c. 1. Prima, quando verba sunt comminatoria, & nihil aliud additur, est excommunicatio ferenda. Verba comminatoria sunt, *sub pœna excommunicationis*, *sub interminatione excommunicationis*; & hæc regula habet verum, siue sententia sit à Iudice, siue à canone, vt bene ait Sylvest. verb. excommunicatio. 1. numer. 21. contra Hostiensem & alios Canonistas dicentes prædictam regulam solùm habere verum, quando excommunicatio imponitur à iure; non tamen quando imponitur ab homine: tunc enim dicunt, excommunicatio est lata, quia mitiùs agitur cum lege, quàm cum ministro legis. Sed nostra sententia tenetur communiter, vt ait Sylu. & pro ea allegat glossam multis in locis. Dixi, *& nihil aliud additur*: nam si superaddantur verba, quæ exprimant excommunicationem esse latam, vt cùm dicitur, *Sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, vel ipso facto*, tunc erit lata. Secunda regula, quando lex continet verba, vel participia de futuro significantia talem passionem, vt cùm dicitur, *Qui hoc fecerit, erit excommunicãdus, vel excommunicetur*; quam regulam etiam tradit Syl. supr. Tertia regula, quando verbum est imperatiui modi, quamuis sit temporis præsentis, vt cùm dicitur, *Qui hoc fecerit, excommunicetis illum, vel priuetis communione.* Hæc autem regula duas habet exceptiones. Prima est, quando verbum nullum significat ministerium Iudicis, nec exprimit aliquã hominis actionẽ ad infligẽdam pœnam, vt cùm dicitur, *Subiaceat excõmunicationi,*

habeatur pro excommunicato, incidat, incurrat excommunicationem, tunc est sententia lata; vt ait Sylvest. suprà: idem est si dicat, *Si hoc feceris, sciaste esse excommunicatum.* Sic Fabien. verb. excommunicatio. 2. numer. 4. vbi allegat Panormit. & dicit esse communiter receptum. Secunda exceptio est, quando licèt verbum sit imperatiui, tamen subiungitur hoc verbum, *Sit excommunicatus ipso facto, vel ipso iure.*

Dico secundò, ad cognoscendum quãdo excommunicatio est lata, præter duas exceptiones modò assignatas, sunt etiam obseruandæ aliæ tres regulæ. Prima quando lex continet verba de præsenti, & indicatiui modi, quibus Iudex vti solet, quando profert sententiam contra reum, vt, *Excommunicamus, priuamus communione*, quam regulam etiam tradit Sylvest. suprà. Contrà, idem est dicere, *Excommunico*, & dicere, *Præcipio sub pœna excommunicationis*: nam vtrobique est loquutio de præsenti; ergo in vtroque casu est sententia lata, vel ferenda. Respondetur, magnum esse discrimen: nam in primo casu est loquutio de præsenti, quãtùm ad ipsum actum excommunicandi; in secundo autem solùm est loquutio de præsenti, quantùm ad actum præcipiendi, non tamen quantùm ad actum excommunicandi.

Secunda regula, quando lex continet verba declaratoria vt, *Declaramus, censemus*, si post illa sequatur verbum præsentis temporis, vel participium futuri importans pœnam, vt cùm dicitur, *Declaramus, qui hoc fecerit, esse excommunicatum*, est sententia lata; idem est si dicat, *Qui hoc fecerit, declara, vel denuncia illum esse excommunicatum.* Has duas regulas tradit Castro suprà cap. 6. Tertia regula est desumpta ex Panormitano in capitulo *Nobis* 1. de sententia excommunic. in 6. & aliis, quos refert & sequitur Sylvest. verb. excommunicatio. num. 12. Natal. cap. 27. num. 12. & Armil. verb. excommunicatio num. 18. quando lex vtitur participio temporis præteriti, vt, *Sit excommunicatus*, est lata, nisi per aliud ius constet esse ferendam; addit verò Armill. quòd si talis lex non contineat pœnam excommunicationis, sed aliam pœnam, tunc secundùm subiectam materiam dignoscetur, vtrùm sit ferenda; verbi gratia, si lex dicat, *Qui hoc fecerit, priuetur bonis suis*, est sententia ferenda. Denique quando lex continet verba dubia, quæ non satis denotant vtrũ excommunicatio sit lata, vel ferenda, iudicandum est esse ferendam. Hanc regulam tradit glossa c. in pœnis de regulis iuris. in 6. & probatur ex ipso textu, *In pœnis benignior faciendæ est interpretatio.*

DVBITATVR tertiò, vtrùm excommunicatio debeat ferri in scriptis? Respondetur, quòd non debet ferri solo verbo, sed in scriptis, quod scriptum debet expressè continere causam, propter quam fertur excommunicatio, ipsique excommunicato tradatur, si petierit. text. cap. 1. de sententia excommunicationis. in 6. Et Iudex qui excommunicat solo verbo sine scriptura publica, aut priuata, mortaliter peccat, vt ait Navar. cap. 27. num. 8. & insuper manet suspensus per vnum mensem ab ingressu Ecclesiæ, & diuinis officiis. cap. 2 citato. & cap. sacro. de sententia excommunicationis, intra quem mensem si celebrat aliquod officium alicui ordini particulariter deputatum, erit irregularis. Hæc autem pœna suspensionis non comprehendit Episcopos nec denunciantes excommunicatum. Nau. cons. 75. de reg. ad 3. dub. num. 21. quia non fit specialis mentio eorum, quod necessarium est, vt incurrant suspensionem. cap. quia periculosum. de sent. excommunic. in 6. Præterea excusantur à pœna, & etiam à culpa, qui excommunicant solo verbo propter aliquam instam & vrgentem causam: nam dictum c. 1. ait, *Si quis temerarius violator*. vide ibi glossam. & etiam Prælati religionum, si constitutiones sui ordinis confirmatæ à summo Pontifice aliud præscribant. Dico, *confirmare*: nam cùm forma excommunicandi in scri

in scriptis sit iuris communis, non potest derogari per constitutiones, quæ non sint confirmatæ à summo Pontifice, vt ait Nau. vbi suprà. Causa autem iusta, vt excommunicatio feratur solo verbo, erit verbi gratia, quando laicus iniustè extractus ab Ecclesia, vel clericus, subitò fertur ad supplicium per Iudicem secularem; & quod diximus de culpa & pœna excommunicantis solo verbo, idem dicendum est de excommunicante ex non præmissa trina monitione. Hîc disputandum erat de monitionibus, sed commodiùs reseruabitur in caput quintum, ne cogamur eadem sæpe repetere.

De causa efficienti excommunicationis, nempe de eo, qui potest excommunicare. *Cap. III.*

Disputatio I.

De iurisdictione & potestate necessaria ad excommunicandum.

De hac tractat Couar. c. alma mater. 1. p. §. 11. Sotod. 22 q. 2. Sylu. verb. excommunicatio 1. n. 4. & 7. Nau. c. 27. n. 5.

Dvbitatvr primò, vtrùm omnes Prælati ecclesiastici habeant potestatem ad excommunicandum? Conclusio, omnes habentes iurisdictionem ecclesiasticam in foro exteriori, siue ordinariam, siue delegatam, siue ex consuetudine præscripta, possunt excommunicare. Vnde excommunicare possunt Papa, Episcopi, quamuis non sint consecrati, dummodo sint confirmati, quoniam potestas ad excommunicandum non pertinet ad potestatem ordinis, sed iurisdictionis; possunt etiam eorum Vicarij; possunt etiam Capitulum sede vacante; Concilium tam generale quàm Prouinciale, & etiam Abbates, & Præpositi, & Priores Ecclesiarum collegiatarum, licèt non sint consecrati vel benedicti, dummodo sint confirmati, vel prouisi. cap. transmissam. & cap. Suffraganeis. de elect. & c. cùm olim. de maiorit. & obedient. Dixi, *collegiatarum*: nam alij, qui in multis Religionibus vocantur Priores, eò quòd sunt Rectores Ecclesiarum habentium multos beneficiarios non viuentes collegialiter (vt sunt multi in Galitia & Nauarra) non possunt excommunicare stando in isto communi, quia nullam habēt iurisdictionem in foro exteriori, ita Nauar. suprà. & Soto, art. 1. Item excommunicare possunt Prælati Religionum, sic Henri. c. 24. num. 3. vt Generales, Prouinciales, Priores, Guardiani, Præpositi & Rectores Societatis, item Metropolitanus excommunicare potest suos Suffraganeos, secundùm Sylu. eccl. supr. num. 5. circa finem. Archidiaconi etiam possunt excommunicare, nisi consuetudo sit in contrarium, secundùm Archidiaconum citatum à Sylu. Sed Panormit. capit. cùm in cunctis. de elect. §. inferiora. num. 4. ait, quòd stando in iure communi non habent iurisdictionem in foro contentioso, sed de consuetudine aliquando visitant diœcesim loco Episcopi, & tūc possunt excommunicare, & hoc sequitur Sylu. eccl. & Ledes. 2. 4. art. 1. imò idem tenet glossa c. Archidiaconis. & c. cùm satis. de offic. Archidiaconi. & multùm fauet ipsum cap. Archidiaconis. De Archipresbytero autem Soto vbi sup. ait, quòd potest excommunicare, sed hoc ego intelligo ex consuetudine, quia non habet maiorem potestatem, quàm Archidiaconus, imò minorem habet, vt patet ex toto titulo de officio Archipresbyteri. Et præterea probatur; nam est subiectus Archidiacono, vt habetur cap. 1. de offic. Archipresbyteri. Hæc autem consuetudo nescio an alicubi vigeat. Dixi suprà, *consuetudine præscripta*, quia sola consuetudo sine sententia vel constitutione non potest excommunicare, nisi legitimè prescripta sit, vel approbata à Papa, vel ab alio Prælato quoad suos subditos, vt ait Sylu. eccl. vbi sup. n. 4. & Nau. n. 7. Vnde si talis consuetudo habeat, quòd facientes

hoc, vel illud, se reputent excommunicatos, verè ligat excommunicatio. Iam probatur conclusio ratione. Potestas ecclesiastica in foro exteriori ordinatur ad puniendà delicta, & coërcendos subditos in foro exteriori; ergo potest excommunicare: nam aliàs potestas ecclesiastica esset inermis & infirma ad exequendas leges & statuta. Vnde excommunicatio meritò appellatur ensis. can. visis. 16. quæst. 2. & in cap. dilecto. de sententia excommunicationis. & cap. venerabilem. qui filij sint legitimi. appellatur gladius spiritualis, & in Trident. sess. 25. cap. 3. dicitur neruus ecclesiasticæ disciplinæ. Contrà, potestas concedendi indulgentias etiam respicit forum exterius, & tamen solùm residet in Episcopis & Prælatis superioribus; ergo idem dicendum est de potestate excommunicandi. Respondetur negando consequentiam: nam potestas concedendi indulgentias respicit forum exterius, non tanquam illi necessaria, sed tanquam vtilis: nam sine tali potestate posset exerceri & conseruari iurisdictio ecclesiastica in foro exteriori, ligando & absoluendo ab excommunicatione, & ab aliis pœnis exterioribus. Cæterùm potestas excommunicandi respicit forum exterius tanquam illi quodammodo necessaria, quia non posset Respub. Christiana conseruari, si fideles non possent coërceri, quod potissimùm fit per excommunicationem, quæ est arma fortissima & efficacissima, & ideo omnis qui habet potestatem in foro exteriori, potest excommunicare. Et quod diximus de Prælatis Religionum, intelligitur de iure: nam loquendo de facto, attendenda est consuetudo Religionũ: fertur enim consuetudinem esse in quibusdam Religionibus, vt Priores locales, vel conuentuales non excommunicent, sed tantùm Prouinciales. Rectores autẽ collegiorum nostræ Societatis videan compendium nostrum, verbo, correctio. §. 2. & verbo, Apostatæ. §. 7. & 8.

Ex dictis sequitur quòd in Religionibus Vicarij domus, Superiores, & Ministri in Societate, qui non habent absolutam gubernationem domus, sed sunt veluti adiutores Prælatorum, non possunt excommunicare, nisi vacante sede principalis Prælati. hoc est de mente Syluestri, verbo, Prælatus. num. 2. & Sot. dist. 18. q. 2. art. 1. colum. 3.

Sed notandum est cum Syluest. verb. excommunicatio. 1. num. 5. in fine, & Panormitano loco statim citando. n. 5. & cum glossa cap. cùm Ecclesiarum. de offic. ordinarij. quòd nullus Prælatus inferior Episcopo potest excommunicare cum illa solennitate anathematis, de qua can. debent. 11. qu. 3. scilicet circunstantibus duodecim sacerdotibus, &c. vt vidimus disputatione prima.

Vltimò sequitur ex dictis, quòd qui excommunicat non habens ad id potestatem, mortaliter peccat, vt ait Nauarr. capit. 27. n. 8. quia vsurpat iurisdictionem in re graui.

Dvbitatvr secundò, vtrùm Parochi possint excommunicare? Prima conclusio, Curati Ecclesiarum parochialium, qui in quibusdam regionibus vocantur Abbates, in aliis Rectores, non habent potestatem excommunicandi, stando in iure communi. ita Syluest. verb. excommunicatio. 1. num. 5. Sot. d. 22. q. 2. artic. 1. Nauarr. c. 27. n. 5. Probatur, quia non habent iurisdictionem in foro exteriori, sed tantùm in foro pœnitentiæ; verum est quod Syluest. Sot. & nõnulli dicũt, quòd iure conceditur illis potestas ad excommunicandum in aliquibus casibus, vt in rapina & furto. Allegat Sot. pro se cap. cùm ab Ecclesiarum. de offic. ordinarij. vbi pro rato habetur quòd Plebanus S. Pancratij excommunicet suos subditos; veruntamen textus iste intelligendus est (vt insinuat glossa) de Plebano, qui erat Prælatus alicuius Ecclesiæ collegiatæ, vel vt ait Panorm. ibidem. num. 2. intelligendus est ratione consuetudinis præscriptæ, vel priuilegij, non tamen stando in iure communi, & nostram sententiam tenet Nauar. num. 5. citato: imò licèt daremus, quòd

quòd possent iure communi, tamen iam generaliter loquendo, per contrariam cõsuetudinem est abrogatum, vt inquit Sot. Et Concil. Trident. sess. 25. cap. 3, de reformat. statuit excommunicationẽ pro furtis à solo Episcopo esse ferendam.

Secunda conclusio, quamuis isti non possint excommunicare stando in iure communi, bene tamen poterunt ex commissione Prælati, vel ex consuetudine præscripta; & in aliquibus constitutionibus Synodalibus solet concedi Parochis potestas ad excommunicandum in aliquibus casibus.

DVBITATVR tertiò, vtrùm delegatus, qui durante delegatione poterat excommunicare, possit etiam ea finita? Respondetur quòd postquam ad eum peruenit reuocatio, non potest excommunicare, & si tenet facere, excommunicatio erit nulla. ita Sylues. verb. excommunicatio. 1. num. 6. Et probatur: nam deficit ei iurisdictio; probatur etiam ex cap. auditis. & cap. mandato. de procuratoribus. & melior text. in c. vt debitus honor. de appellationibus. si tamen excommunicet, antequam ad eũ potuerit reuocatio peruenire, valida erit excommunicatio, vt patet ex eisdem textibus; hoc tamen limitat Sylues. cum Panormit. c. audita. de restitut. spoliator. nisi delegans intendat per reuocationem sic auferre potestatem delegato, vt quicquid fecerit, irritum sit & inane: tunc enim excommunicatio erit nulla. Verum est, quòd hoc non est præsumendum, nisi constet apertè de intentione reuocantis, vnde si reuocatio fiat simpliciter, nihil aliud exprimendo, valida erunt gesta per delegatum, antequam reuocatio ad eum perueniat.

DDBITATVR quartò, vtrùm omnes, quos diximus posse excommunicare, id possint per modum canonis, vel statuti? Notabile est, excommunicationem posse ferri dupliciter. Primo modo, quando præcipitur aliquid sub excommunicatione lata, vel ferenda. Secundo modo, per modum sententiæ, vt quando ferrur excommunicatio contra eum, qui violauit legem continentem pœnam excommunicationis ferendæ, vel declarando & denunciando aliquem incurrisse excommunicationem.

Dico primò, omnes, quos diximus posse excommunicare, possunt excommunicare secundo modo, nisi fortè sit illis prohibitum à superioribus Prælatis, quod dico propter Rectores nostræ Societatis, de quo videant compendium nostrum locis citatis. In dub. 1. probatur: nam sunt veri Iudices in foro exteriori.

Dico secundò, loquendo de excommunicatione primo modo, summus Pontifex & Concilium generale possunt excommunicare per modum legis, vt condendo legem, ne hoc, vel illud fiat sub excommunicatione: Episcopi autẽ & Concilia Prouincialia possunt excommunicare sub eadem forma, faciendo constitutiones, quæ non tam leges quàm statuta dicuntur; sed minores Prælati nequeunt condere leges aut statuta, atque adeò eorum præcepta expirant condente mortuo, vel amoto; Visitatores autem diœcesum & Religionum dum visitant, possunt facere ordinationes in scriptis cum pœna excommunicationis, quæ durant, donec per alium reuocentur. ita Sot. d. 22. q. 2. art. 1. ante secundam conclusionem, & Ledes. Mex. difficult. 7. de excommunicatio. in conclus. 3. Capitulum verò cùm non possit statutum condere sine consensu Episcopi (nam Episcopus est caput, & sine capite nihil est faciendum) consequenter non poterit sine consensu Episcopi condere statutum cõtinens pœnam excommunicationis; poterit tamen Capitulum, sede vacante, excommunicare per modum statuti, quod statutum durabit etiam post aduentum Episcopi, vt ait Panorm. c. à nobis. el 1. de sentent. excommunicat. n. vlr. nam de natura statuti est, quòd duret, quamuis expirer potestas statuentis. cap. fin. de offic. legati. poterit tamen Episcopus illud statutum reuocare: nam Capitulum nihil potuit statuere

cucre in præiudicium Episcopi futuri. Videre Sylvest. verb. Capitulum. Legatus etiam potest excommunicare per modum statuti pro suo districto. sic Anton. 1. par. tit. 18. cap. vnico. §. 13.

DVBITATVR quintò, vtrùm omnes, quos diximus posse excommunicare, habeant hanc potestatem ex iure diuino? Hæc quæstio in duplici sensu potest disputari. Primus est, vtrùm qui excommunicat, habeat iure diuino potestatem ad priuandum eum, quem excommunicat, suffragiis, & communione fidelium totius Ecclesiæ, in quo sensu disputabitur infrà cap. 6. Secundus est, vtrùm habeat potestatem iure diuino ad excommunicandum suos subditos, siue eodem iure habeat potestatem ad priuādum eos suffragiis & communione non solùm suorum subditorum, sed etiam omnium fidelium totius Ecclesiæ, siue non, & in hoc sensu disputatur modò.

Prima conclusio. Certum est, omnes qui ex sola commissione possunt excommunicare, non habere hanc potestatem ex iure diuino. Probatur, quia non sunt Iudices ordinarij. Idem dicendum est de Archidiaconis & Archipresbyteris, & aliis, qui ex sola consuetudine habēt potestatem ad excommunicandum.

Secunda conclusio. Certum est, etiam Episcopos habere hanc potestatem ex iure diuino. Probatur ex illo Matth. 18. vbi Christus contulit Apostolis potestatem ligandi atque soluendi etiam in foro exteriori, sed Episcopi succedunt Apostolis, vt habetur cap. quorum vices. 68. dist. ergo. Vnde tota controuersia est de Prælatis Religionum: nonnulli enim recentiores dicunt eos habere hanc potestatem iure diuino. Allegant pro se Sotum dist. 22. q. 2. art. 1. vbi in prima conclusione ait omnes Prælatos habere ex officio potestatem excommunicandi, & postea subdit se nomine Prælatorum intelligere Cōcilia, Prælatos Religionum, &c.

Sit tamen tertia conclusio. Mihi probabilius est, quòd non habent hanc potestatem ex iure diuino, sed humano, nempe in c. cùm contingat. de foro compet. iuncta glossa, verbo, vel consuetudine. Hanc conclusionem tenuit Magist. Cano. Et probatur: nam stando in solo iure diuino, omnes Religiosi essent subiecti & subordinati Episcopis; ergo. quòd modò sint exempti, & consequenter quòd habeant potestatem excommunicandi, est ex iure humano. Præterea: nam licèt status Religionis sit ex iure diuino (vt tradit P. Enr. lib. 12. de matrim. c. 5. n. 6.) non tamen ex hoc necessariò sequitur, quòd habeant potestatē in foro exteriori, satis est quòd habeant eam in foro pœnitentiali, sicut Parochi etiam sunt instituti iure diuino: nam, vt habetur can. in nouo. 21. dist. successerunt septuaginta & duobus discipulis, quos Christus elegit, sicut Episcopi successerunt Apostolis, & tamen Parochi non habent potestatem in foro exteriori.

Nec verba Soti in contrarium adducta faciunt contra nos: nam Soto inter Prælatos etiam connumerat Archidiaconum & Archipresbyterum, quos tamen certissimum est, non habere iure diuino potestatem ad excommunicandum. Iam quòd in Episcopis & superioribus Prælatis est potestas iure diuino ad excommunicandum.

DVBITATVR sextò, vtrùm aliqua excommunicatio sit lata iure diuino? nempe lege lata à Christo, vel ab Apostolis tanquam ab Scriptoribus canonicis? Prima sententia tenet, iure diuino latam esse excommunicationem contra hæreticos. ita Driedo lib. 2. de captiuitate & redemptione generis humani. c. 8. & æquiùs in Enchiridio, cap. 26. de comburendis hæreticis. quam sententiam probabilem reputat Castro lib. 2. de lege pœnali, c. 18. & probatur ex illo Matth. 18. S *Ecclesiam non audierit, sit tibi tanquam ethnicus & publicanus*, vbi Christus videtur tulisse excommunicationem; & Paulus 1. Corinth. 5. ait *cum huiusmodi nec cibum sumere.* & Ioannes in sua 2. Canonica dicit, *nec Aue ei dixeritis*, vbi videntur tanquam Scri-

ptores

ptores canonici imposuisse excommunicationem latam.

Secunda opinio tenet nullam excommunicationem esse latam iure diuino. ita Sylues. verb. excommunicatio. 5. dub. 1. Sot. d. 22. quæst. 1. art. 1. circa medium, & Castr. vbi sup. & hæc est tenenda tanquam certa. Quæ probatur primò: nam Matth. 18. postquam Christus dixit, *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi tanquam ethnicus & publicanus*, subdit, *Amen amen dico vobis, quidquid ligaueritis super terram, erit ligatum & in cœlis*; quibus verbis ostendit nullum habendum esse pro excommunicato, donec per Apostolos, vel alios Prælatos Ecclesiæ feratur excommunicatio. Secundò: nam aliàs eo ipso quòd hæreticus pœniteret, restitueretur communioni fidelium absque alia absolutione. Tertiò: nam Ecclesia in Concilio Constantiensi cõcessit facultatem communicandi etiam in diuinis cum excommunicatis, dummodo non sint denunciati, nec notoriè percussores clericorum. Sed si hæc prohibitio esset de iure diuino; non posset Ecclesia in hac lege dispensare, vel potiùs eam abrogare; ergo non est de iure diuino: sed nonnulli impugnant hanc rationem, quoniam obligatio voti est de iure diuino, & tamen Ecclesia dispensat in votis. Verùm hæc replica facilè reiicitur. Primò: nam ex eo quòd obligatio voti est de iure diuino, si dispensatio fiat sine causa, non valet, sed dispensatio in ista lege non cõmunicandi cum excommunicato, quamuis fieret sine causa, esset valida; ergo talis lex non est de iure diuino. Secundò; nam quamuis Ecclesia possit dispensare in hoc, vel illo voto in particulari, non tamen potest abrogare legem votorum, nec potest statuere in generali quòd vota non obligent; at verò Ecclesia in generali statuit, quòd possimus cõmunicare cum omnibus excommunicatis, illis duobus exceptis, quod non est propriè dispensatio, sed potiùs abrogatio legis; ergo hæc lex non erat de iure diuino.

Ad argumentum in cõtrarium respondetur. Ad illud Matth. dicimus, solùm probare quòd potestas ad excommunicandum est in Ecclesia, ex iure diuino. Ad illud Pauli & Ioãnis dicimus, quòd Apostoli tulerunt excommunicationem contra aliquos in particulari tanquam Prælati & Iudicis; non tamen contra hæreticos in communi, tanquam Scriptores canonici.

DVBITATVR septimò, vtrùm possit aliquis seipsum, vel æqualem, vel superiorem excõmunicare? Notandum est, quòd possumus loqui de eo, qui denunciat excommunicationem latam ab alio, vel de eo, qui excommunicat: rursus qui excommunicat, potest excommunicare autoritate propria, vel ex commissione & delegatione.

Prima conclusio. Bene potest aliquis denunciare excommunicationem æquãli, vel superiori, vt tenet Nau. cap. 27. n. 6. vbi dicit esse communem, imò & sibi ipsi, vt tenent multi viri docti; verbi gratia, præcipit Papa parocho, quòd intimet excommunicationem Papalem contra omnes, qui fecerint tale delictum, si Archiepiscopus, vel Episcopus, vel ipse Parochus illud commiserint, incurrent excommunicationem. Probatur: nam iste non excommunicat, sed solùm denunciat & intimat excommunicationẽ. Sed quid si Papa daret Parocho facultatem vt ipse imponeret excõmunicationem contra facientes tale delictum, incurrétne ipse Parochus excommunicationem si committeret illud delictum? Respondetur quòd non: nam illa excommunicatio tantùm ligaret quos ipse Parochus intendit ligare, cùm ipse sit qui ligat; ipse autem non intendit seipsum ligare: imò credo quòd licèt id intenderet, non incurreret, quia nullus nec ex commissione potest recipere potestatem cõactiuã contra seipsum; quia est incapax talis potestatis, nam idem esset agens & patiens.

Secunda conclusio. Loquendo de autoritate propria ad excommunicandum

nemo potest seipsum, vel æqualem, vel superiorem excommunicare. ita Sylvest. verb. excommunicatio. 1. n. 8. & 9. Soto d. 22. quæst. 2. artic. 2. Nau. num. 6. citatio. & num. 13. & alij quàm plurimi. Probatur. Excommunicatio est actus iurisdictionis per modum sententiæ coactiuæ, sed nemo potest cogere nisi sibi subditum; nullus verò sibi subditus esse potest nec æqualis, quia par in parem nõ habet imperium; ergo. Minor verò probatur ex c. à nobis. de sen. excommunic. el 1. vbi decernitur, quòd quando aliquis pronunciat, vt qui tale crimen commiserit, sit excommunicatus, hac sententia subditi tantùm comprehenduntur. Idem habetur c. cùm inferior. de maiorit. & obed. & can. inferior. 21. d. loquendo de potestate ex commissione seu delegatione.

Sit tertia conclusio. Bene potest aliquis excommunicare sibi æqualem, vel superiorem, dummodo sit inferior ei, à quo accepit potestatem: verbi gratia, simplex sacerdos potest ex commissione Papæ excommunicare Episcopum, vel Patriarcham. habetur ex dicto c. à nobis. in illis verbis, *nisi fortè plus contulerit largior auctoritas delegantis.* Et probatur: nam tunc per commissionem fit superior in hoc, Episcopo, vel Patriarchæ. Dixi, *dummodo sit inferior ei, à quo accepit potestatem*, quia nullus potest alteri committere facultatem vt excommunicet ipsum delegantem, nec superiorem ipsius. Verbi gratia, Episcopus non potest committere Parocho facultatem, vt excommunicet ipsum Episcopum, vel Archiepiscopum. Probatur ratione suprà facta, quòd nullus per se nec per alium potest cogere nisi sibi subditum.

Ex dictis sequitur primò, non esse potestatem in Ecclesia ad excommunicandum Papam, quia nec in Ecclesia est potestas superior ipsi Papæ, nec ipse potest alteri committere facultatem, vt excommunicet ipsum, de quo latiùs disputatur in materia de fide.

Sequitur secundò, quòd si Pontifex, verbi gratia, imponeret excommunicationem latæ sententiæ contra sacerdotes assistentes agitationi taurorum, quamuis ipse assisteret, non incurreret excommunicationem; & si Episcopus ferat excommunicationem contra eos, qui fecerunt tale furtum, si fortè ipse esset particeps furti, non incurreret, quamuis non restitueret.

Sed contra secundam conclusionem arguitur primò, non posset aliquis seipsum excommunicare, maximè propter rationem factam, scilicet quia excommunicatio est actus iurisdictionis, sed hæc ratio est nulla: nam concedere indulgentias etiam est actus iurisdictionis, & tamen potest aliquis sibi ipsi indulgentias concedere; ergo.

Secundò arguitur contra tertiam conclusionem, in foro pœnitentiæ potest aliquis per commissionem absoluere sibi æqualem, vl superiorem, vt patet in Confessario, quem Papa eligit sibi ipsi; ergo etiam potest excommunicare.

Tertiò: nam Paulus ad Galat. 1. excommunicauit Angelum dicens: *Si nos aut Angelus de cælo euangelizauerit vobis aliter quàm euangelizatum est à me, anathema sit*; sed Angelus erat maior Paulo, iuxta illud Matth. 10. *Qui minor est regno cælorum, maior est illo*, scilicet Ioanne Baptista.

Ad primum respondetur, longè diuersam esse rationem: nam concessio indulgentiarum non est per modum sententiæ coactiuæ, sicut est excommunicatio, nullus autem potest mediatè, nec immediatè exercere in seipsum iurisdictionem coactiuam, vt patet ex dictis. Aliqui secundò respondent, quòd Papa potest concedere sibi indulgentias non per modum absolutionis, sed per modum solutionis, & hoc non est actus iurisdictionis erga illum cui conceduntur.

Ad secundum respondetur, diuersam esse rationem: nam absolutio sacramentalis pertinet ad forum interius, & in ordine ad Deum, cui quilibet homo est inferior, & ideo per peccatum fit inferior alteri

alteri homini tanquam ministro Dei; at verò excommunicatio pertinet ad forum exterius, & in ordine ad ipsos homines, quibus Prælatus est superior, & quia hæc potestas non amittitur per peccatum, ideo in foro exteriori non subiicitur per peccatum alicui homini, cui ante peccatum non esset subiectus.

Ad tertium respondetur cum Richard. in 4.d.18.artic.5.quæst.1.quòd anathema non sumitur ibi pro excommunicatione, sed pro vehementi quadam maledictione, vel execratione. Et patet: nam licèt per impossibile Angelus bonus peccaret, non fieret subditus Ecclesiæ militantis, sicut nec modò est dæmon. An autem excommunicatus, vel suspensus possit excommunicare, commodiùs disputabitur in c.6. Vtrùm verò laicus, vel fœmina possit excommunicare, facilè constat ex his, quæ tradidimus 1.p.dub.6 nam quæ dicta sunt ibi de potestate ferendi censuras in communi, idem prorsus de excommunicatione dicendum est.

DISPVT. II.

De conditione requisita ad excommunicandum ex parte territorij.

DVBITATVR primò, vtrùm Episcopus existens extra propriũ territorium possit excommunicare suos subditos? Conclusio, quòd non potest, ita Nau.c.26.num.6.habetur ex can. Episcopum.9. quæst. 2. iuncta glossa. Et probatur: nam iurisdictio contentiosa (qualis est iurisdictio ad excommunicãdum) non potest exerceri in alieno territorio, vt ait Couar.libr.3. variarum. capit.20 num.8. & Doctores communiter, & est text.cap. nouit. de offic.delegati. & l.2.ff. de offic. Proconsulis. Facit ratio text.c.vt animarum. de constitutionibus. in 6. cùm extra territorium ius dicenti non pareatur impunè. Quæ conclusio intelligitur etiamsi vi esset expulsus, posset tamen excommunicare in loco viciniori suo Episcopatui, vel in re adeò manifesta, quæ non requirat causæ cognitionem: sic Nau.vbi supr. & Sylvest. verbo, excommunicatio.1.n. 6.in fine, vel etiam de consensu Episcopi illius diœcesis, sed contrà Prælatus sacerdos existens extra proprium territorium potest absoluere in foro pœnitentiæ suum subditum ibi existentem; ergo etiam poterit excommunicare. Concesso antecedenti, negatur consequentia: nam iurisdictio voluntaria & gratiosa, qualis est ad absoluendum in foro pœnitentiæ, potest exerceri in alieno territorio; secus iurisdictio contentiosa, vt tradit Couar.loco citato.

DVBITATVR secũdò, vtrùm Episcopus in proprio territorio possit excõmunicare suum subditum existentem in alieno territorio? Verbi gratia, Episcopus Cusquensis subditum existentem Limæ. Quædam opinio absolutè tenet Episcopum excommunicare non posse subditum existentem in alieno territorio. ita Gabr. in 4.d.18. quæst.2. conclus.6. Quæ sententia probatur primò ex c. vt animarum.de constitutionibus. in 6. vbi Bonifacius VIII. decernit statuta Episcopi excommunicantis eum, qui furtum fecerat, non comprehendere eum, qui furtum fecit extra diœcesim; & reddit rationem text. *cùm extra territorium ius dicenti non pareatur impunè*, idest, cùm sit dignus pœna, qui paret Iudici dicenti ius extra proprium territorium. Quam rationem sic explicat Tabien. verb. excommunicatio 4.numer. 4. Statutum propriè est lex territorij, potest vires suas extendere extra territorium, quia videtur ibi legem dicere, quæ explicatio etiam est de mente Panormit.in cap.licèt. de foro competenti. n. 40. qui dicit; vbi statutum imponit pœnam ipso facto, cùm incontinenti liget, fingitur esse in illo loco, vbi commissum est delictum. Secundò probatur: nam sicut Episcopus habet limites circa personas, ita habet circa locum; ergo non debet transgredi limites à iure præfixos. Tertiò, Episcopus non potest

punire subditum existentem in aliena diœcesi aliqua pœna corporali, vt carceris, vel pecuniaria; ergo nec pœna excommunicationis.

Sit prima conclusio. Episcopus non potest excommunicare subditum existentē in alieno territorio, pro crimine quod commisit in territorio alieno, siue ferat excommunicationem per statutum, vel sententiam generalem, excommunicando omnes qui furtum fecerint, vel qui fecerunt, nisi restituant, vel per sententiam specialem, vt si excommunicet Petrum, qui tale furtum fecit, nisi restituat; & quamuis feratur talis excommunicatio, non ligabit. Hæc conclusio est communis omnium, vt testatur Couar. c. alma mater. 1. p. §. 10. n. 3. etiam Panorm. in c. à nobis el 1. de sentēn. excommunic. n. 10. Et probatur argumentis factis pro præcedenti opinione, imò est expressè definita in dicto c. vt animarum. nam quamuis ibi solùm sit sermo de excommunicatione posita per statutum generale, tamen ratio textus æqualiter militat in excommunicatione lata per sententiam specialem. Vbi notatur primò cum Sylvest. ver. excommunicatio. 1. n. 6. circa finem, quòd hæc excommunicatio non potest ratificari per proprium Episcopum, etiam si lata sit in eius territorio, quia ab initio fuit nulla.

Secundò notatur, quòd hæc conclusio etiam habet verum, quamuis Episcopus exprimat suam esse intentionem, excommunicare subditos existentes in alieno territorio. Hoc est contra Bartolum & nonnullos Iuristas relatos à Couar. Sed hæc sententia Bartoli non potest iure defendi, vt testatur ipse Couar. & alij multi relati ab eo, & probo ratione desumpta ex Panormit. loco citato: textus enim non dicit illum subditum non ligari ex defectu voluntatis statuentis, sed potiùs ex defectu iurisdictionis, vt patet ex illis verbis, quia extra territorium ius dicenti non paretur impunè; ergo parum refert quòd exprimat suam esse intentionem illum excommunicare.

Secunda conclusio. Episcopus bene potest excommunicare subditum existentē in alieno territorio pro crimine quod commisit in proprio territorio Episcopi, vt si subditus Episcopi Cusquensis committat illic furtum, & statim fugiat, bene potest excommunicari ab Episcopo Cusquensi. ita Soto d. 22. q. 2. art. 1. post 1. concl. Sylvest. ver. excommunicatio. 2. n. 8. Armilla verb. excommunicatio. n. 30. & alij. Probatur primò: nam c. vt animarum. solùm loquitur de subdito delinquēte in alieno territorio; sed iste delinquit intra proprium territorium; ergo non excusatur per hunc textum. Secundò: nam si ist non posset excommunicari in territorio, in quo delinquit, cùm non possit excommunicari in alieno, ad quod se contulit, facilè posset subterfugere excommunicationem, & per consequens ecclesiastica iurisdictio in multis casibus contemneretur, & defraudaretur quantum ad forum exterius. Imò Sylvest. n. 9. citato. in casu 4. ait hanc conclusionem etiam habere verum, quando factum principiatum est in proprio territorio, licèt alibi sit completum; prout ipse latiùs explicat, & idem habetur ex Nau. cap. 27. n. 6.

Tertia conclusio, quando statutum principaliter respicit rem existentem in territorio statuentis, bene potest quis excommunicari, licèt existat in alieno territorio. Verbi gratia, clericus diœcesis Cusquensis existit Limæ, & habet in diœcesi Cusquensi beneficium, quod requirit personalem residentiam, bene potest Episcopus Cusquensis excommunicare illum, si non venerit ad residendum, ita Sylvest. num. 8. Nauar. c. 27. n. 6. qui aliam rationem assignat, scilicet quia ista non residentia incœpta est in proprio territorio; potest denique alia ratio assignari ex ipso Sylvest. quia iste fictione quadam iuris censetur peccare in proprio territorio, quia tenebatur ibi residere: nam vbi aliquis tenetur aliquid facere, & non facit, factum videtur, vbi id facere debebat.

l.qui non facit.ff.de regulis iuris.& c.1.de vsuris.in 6. Ex quo infert Sylvest.quòd si Episcopus præcipiat sub excommunicatione,vt omnes clerici veniant ad Synodum,clerici subditi licèt existant in alieno territorio ligantur. Ex hoc nonnulli colligunt,quòd si subditus deliquit in alieno territorio ,& existens ibi conuenitur coram proprio Episcopo, potest Episcopus vocare illum,& si non compareat, potest illum excommunicare. Sed alij viri docti tenent contrarium , vnde dicunt , quòd Episcopus non potest compellere subditum existentem in aliena diœcesi,vt compareat , nisi quando ille aliàs tenebatur comparere ratione officij,vel alia via,scilicet propter magnam necessitatem , vel vtilitatem suæ diœcesis,vt si valde necessarium sit ad rectam eius gubernationem, vt in casibus dictis de residentia & Synodo , quos casus ego quidem libenter admitto. Sed vt clariùs resoluatur hæc difficultas,quæ duo continet puncta,primum de citatione , secundum de excommunicatione.

De primo puncto sciendum est , quòd illud tractat latissimè Geminianus in c. Romana. §. contrahentes. à numer. 12.de foro competenti. in 6. vbi ponit quamplurimas distinctiones. Panormit. autem in cap.licèt de foro competenti.n.41.Cynus, & alij, absolutè dicunt, quòd Iudex potest citare subditum existentem in alieno territorio. Sed mihi verior videtur doctrina Bartoli in l.1.§.1.ff.de requirendis reis.quam refert & sequitur Hippolytus de Marsiliis super legem finalem.ff.de iurisdictio.omnium Iudicum.n.34 & Didacus Peres.lib.3.ordinamenti.tit.2.leg.1. q.3. quòd quando ciuitates sunt sub vno Principe , permittitur talis citatio verbalis,aliàs non ; quam doctrinam Iason testatur esse communem. Vnde secundùm sententiam hanc sit

Quarta conclusio. Subditus, qui deliquit in alieno territorio , & existit ibi, quamuis conueniatur coram Prælato sui domicilij , non potest citari , si diœceses distinctæ sint,secus si territoria sunt subiecta eidem Episcopo; verbi gratia,territoria duorum Vicariorum foraneorum eiusdem Episcopi , *como el Vicario de Truxillo,y el Vicario de Yca.* Et loquor in conclusione de citatione ratione delicti:nam quando citatio est ratione contractus , bene potest fieri de vno Episcopatu ad alium,vt habetur ex dicta Clement. Romana. §. contrahentes. quoniam citatio, quę fit ratione contractus,non afficit immediatè personam , sed rem , scilicet eius bona ; at verò citatio ratione delicti , immediatè afficit personam.Si opponas tex. in Clement. Pastoralis.de sententia & re iudicata.versiculo,vt illud,vbi declaratur, citationem quandam ratione delicti factam in alieno territorio fuisse nullam. Respondetur,quòd ista facta est extra regnum,atque adeò ciuitates non erant sub vno Principe.

Quinta conclusio.Etiam in casu in quo potest fieri citatio extra territorium, non potest ferri excommunicatio. Hæc est contra Geminianum,cuius fundamẽtum est , quod excommunicatio non requirit executionem realem hominis, sed transit inuisibiliter: sed certè hoc fundamentum destruit rationem textus in cap.vt animarum.scilicet,quia extra territorium ius dicenti non paretur impunè : nam text. ibi loquitur de excommunicatione,vnde nostram conclusionem tenent aliqui relati à Geminiano. Et probatur primò:nam excommunicatio est pœna afflictiua personæ. Vnde glossa magna in d.c.Romana.§. contrahentes,dicit, quòd sicut iudex non potest facere citationem realem , idest, quòd reus capiatur extra territorium, sic etiam non potest facere citationem ad hoc , vt possit Iudex contractus excommunicare.quia excommunicatio est pœna afflictiua personæ.Secundò , quia per excommunicationem magis perturbarẽtur iurisdictiones , quàm per solam citationem verbalem. Tertiò:nam cùm excommunicatio secum trahat executionem, sicut Iudex nõ potest exequi actualiter ex-

tra proprium territorium, ita non potest excommunicare.

Nec obstat dicere, quòd qui non potest facere tecum iudicium, non potest partem; ergo qui non potest excommunicare, non potest citare. Non, inquã, obstat, quia sæpe licet in parte, quod non licet in toto.

Sexta conclusio. Quando subditus deliquit in alieno territorio, & reuertitur ad proprium, & ibi conuenitur, potest excommunicari à proprio Episcopo; verbi gratia, subditus Quitensis commisit furtum in Episcopatu Cusquensi, & reuertitur Quitum, ibique conuenitur vt restituat, bene potest excommunicari ab Episcopo Quitensi; ita Syluest. & Sot. locis citatis. Henr. num. 1. in fin. Et probatur. Delinquens ratione personæ est subditus Quitẽsis, & causa eius agitur in proprio territorio; ergo. Ex dictis infero cum Syluest. c. vt animarum. tunc habere locum, quando delinquens, & res circa quas delinquit, & ipsum delictum sunt totaliter extra territorium excommunicantis. Ad argumenta in contrarium.

Ad primum & secũdum dicimus, quòd solum probant primam conclusionem.

Ad tertium respondetur, concesso antecedenti negatur consequentia, & ratio discriminis est: nam illæ pœnę corporales non incurruntur ipso facto, sed per condemnationem Iudicis, & ad earũ executionẽ necessariò debet fieri aliquis actus iudicialis in aliena diœcesi; at verò excommunicatio cùm incurratur ipso facto, & secum trahat executionem, non requirit actum iudicialem in aliena diœcesi, ad hoc quòd incurratur, & ideo in aliquibus casibus potest comprehendere existentem in alieno territorio.

DVBITATVR tertiò, vtrùm Episcopus possit excommunicare subditũ alienum in proprio territorio? De hoc bene tractat Panorm. c. à nobis. el 1. de sent. excommunic. num. 7. hoc enim caput est fundamentũ huius dubij. Notatur, quòd excommunicatio potest ferri pro culpa præterita, vt propter furtum, si non restituat; vel pro culpa futura, verbi gratia, quãdo præcipitur sub excommunicatione, vt qui scit, quis fecerit furtum, vel contineat tales scripturas, denunciet illum; & loquendo de culpa præterita,

Prima conclusio sit. Episcopus bene potest excõmunicare subditum alienum, qui deliquit in proprio territorio Episcopi, & ibi manet. Hęc est certissima, & probatur: nam vt est textus in c. finali. de foro competenti. ratione delicti sortitur quis forum, & per consequens fit subditus; ergo poterit puniri pœna excommunicationis, sicut & qualibet alia pœna.

Secunda conclusio. Si autem iste alienigena profectus est ab ea diœcesi, antequam ferretur excommunicatio, non potest excommunicari, ita Syluest. ver. excommunicatio. 2. num. 10. Tabien. ver. excommunicatio. 4. num. 6. Armil. num. 35. Contrà, iste iam factus fuit subditus ratione delicti; ergo potest excommunicari extra illud territorium, sicut ille qui est subditus ratione personæ, vt vidimus in secunda conclusione dubij præcedentis. Nonnulli hoc argumento conuicti concedũt consequentiam, sed alij melius negant: est enim longè diuersa ratio in subdito ratione personæ, vel ratione delicti: nam subditus ratione personæ, est subditus simpliciter & absolutè; at verò subditus ratione delicti, nõ est simpliciter subditus, sed secundùm quid, scilicet ratione delicti, vt notat glossa Clement. quamuis. de foro competenti. verbo, indulgemus. & ideo solùm potest puniri ab Episcopo alieno, quandiu manet in diœcesi ipsius Episcopi, in qua deliquit. Verùm hæc secunda conclusio duas habet limitationes. Prima, quòd iste alienigena non sit præuentus citatione, antequam discederet: tunc enim excommunicari potest, quia iam inceptum est iudicium in tempore & loco, quo iste erat subditus; ergo rectè potest finiri; idem est si ad requisitionem Episcopi eius territorij, in quo deliquit, citetur à proprio Episcopo, ad quod Episcopus

scopus requisitus tenetur, vt notant Doctores in c. finali, de foro competéti, tunc enim tenetur respondere, & si non faciat, potest excommunicari ab Episcopo territorij, in quo deliquit. ita Sylues. & Armil. locis citatis. Secunda limitatio est, nisi ille qui deliquit in alieno territorio, habeat ibi domicilium. tunc enim potest excommunicari etiam extra illud territorium, quia est subditus ratione domicilij, & non tantum ratione delicti. Has duas limitationes ponit Sylvester, sed certè hæc secunda non tam videtur limitatio secundæ conclusionis, quàm distinctus casus pertinens ad secundam conclusionem dubij præcedentis: nam qui est subditus ratione domicilij, est subditus ratione personæ, & non solùm ratione delicti loquendo de culpa futura.

Sit tertia conclusio. Si excommunicatio feratur per sententiam Iudicis, non comprehendet alienigenas, qui postea ibi deliquerit, & generaliter loquendo solùm ligat eos, qui tempore latæ sententiæ erant subditi iurisdictioni ferentis eam; non tamen eos, qui postea fiunt subditi, siue ratione delicti, siue ratione personæ; vt si Episcopus Cusquensis ferat excommunicationem contra scientes, quisnam fecerit tale furtum, & non manifestantes, si Petrus originarius Limensis perueniat ad ciuitatem Cusquensem post latam hanc sententiam, quamuis ibi acquirat domicilium, & cognoscat furem, & non manifestet, non ligabitur. ita Sylues. & Armill. locis proximè citatis. Tabien. ver. excommunicatio. 4. num. 2. in fine, & Couar. ru. loco citato. numer. 2. vbi allegat Innocent. Panormit. & alios, inter quos est Henr. num. 2. in fin. qui hanc rationem assignant, quòd sententia referenda est ad tempus, in quo pronunciatur; tunc enim in continenti fumit vires aduersùs eos, contra quos fertur; ergo solùm habet vim contra eos, qui tunc erant subditi. Ex quo inferunt viri docti, quòd licèt tempore quo profertur huiusmodi sententia, ille alienigena existat in ciuitate Cusquensi, si tamen nondum est factus subditus ratione personæ, quia nondum acquisiuit domicilium, non ligabitur, quoniam tempore prolationis sententiæ non erat subditus nec ratione delicti, nec ratione personæ.

Quarta conclusio. Si excommunicatio feratur per statutum generale, ligat non solùm eos, qui tempore quo statutum conditur, sunt subditi, sed etiam eos, qui postea fiunt subditi siue ratione personæ, siue ratione delicti. Ita Couar. n. 2. citato, & Tabien. loco citato, vbi allegat Panormit. in c. à nobis. el 1. de sentent. excommunicationis. Et probatur ex eodem c. iuncta glossa, verbo, nonnisi subditi. Secundò: nam lex de se est perpetua, nisi derogetur, & semper loquitur, vt habetur in l. Arriani. C. de hæreticis.

Circa corollarium tertiæ conclusionis notatur, quòd vt aliquis ligetur illa sententia, satis est quòd non existat ibi tanquam hospes per modum transitus, sed animo habitandi per aliquod tempus, verbi gratia, per annum, vel dimidium. Et hoc tantùm intendunt, qui inferunt illud corollarium, imò nec possunt aliud intendere. nam sicut leges obligant huiusmodi hominem, quamuis post latam legem venerit ad habitandum, vt tenent communiter omnes Doctores, ita etiam obligabit eum sententia, si tempore quo ipsa fertur, existat ibi animo habitandi.

Dvbitatvr quartò, vtrũ subditi Religiosorum exemptorũ extra loca, in quibus degunt, delinquentes ligẽtur excommunicationibus suorum Prælatorum? Respondetur, quòd ligantur; quamuis oppositum teneat Angel. ver. excommunicatio. 1. n. 15. Sed nostram sententiam videtur tenere Sylues. ver. excommunicatio. 2. n. 15. vbi refert Laurentium dicentem, quòd totus mundus est eis pro territorio; vnde vbicunque est persona subiecta, vel potiùs relegata, illuc extendit se Prælatorum potestas; & probatur efficacissima ratione, meo iudicio: nam aliàs sequeretur, quòd si Prælatus præciperet sub excommunicatione

tione latæ ſententiæ, quòd nullus Religioſus ingrediatur aliquam domum fœminæ ſuſpectæ, talis excommunicatio non ligaret religioſum violantem hoc præceptum, quod tamen videtur abſurdum; & probatur præterea: nam Prælati Religioſorum non habent territoria diuiſa, ſicut Epiſcopi.

Præterea dico, quòd ſi Religioſus fugiat, poteſt Prælatus illum vbicunque ſit, capere propria autoritate, etiam non implorato auxilio brachij ſecularis. ita Nauar. lib. 5. Conſil. tit. de ſententia excommunicationis. con. 33. vbi citat Baldum l. 1. C. ſi quis curialis vel cohortalis. dicentem, omnes qui debent obedientiam perpetuam, ſi ab obedientia fugiant, poſſunt propria autoritate capi, & conuicti debent ad obedientiã reduci. Vnde ſi Religioſus fugiat à monaſterio, vel vxor à viro, propria autoritate poteſt capi, ſi non eſt quæſtio de obedientia, ſecus eſt, ſi ſit quæſtio de obediẽtia, quia negat ſe ad obedientiam teneri, vel habere vxorem; & hoc intelligo, quamuis teneremus cum Angelo, quòd non poſſet ibi eum excommunicare; & ratio eſt, quoniam hæc captio non tam eſt per viam iuriſdictionis, quàm per viam dominij & rei vendicationem. Vnde gloſſa ff. de rei vendic. l. 1. §. 1. verbo, vendicare, dicit patrem vendicare ſuum filiũ, ſicut Abbas petit Monachum ſuum. Et hanc doctrinam intelligo non ſolùm quando Religioſus fugit ſine licentia, ſed etiam quãdo iuit cum licentia per certum terminum, & eo tranſacto non vult redire ad obedientiam. Probatur: nam militat eadem ratio.

DVBITATVR quintò, vtrùm excommunicatio lata per Epiſcopos comprehendat eos, qui delinquunt in loco exempto ſito in territorio Epiſcopi? Archidiaconus & alij relati à Syluеſ. ver. excommunicatio. 2. n. 12. tenent quòd ſic. Probant: nam iſte locus exemptus eſt de diœceſi & territorio Epiſcopi. Cõtrarium eſt probabilius. ſic Tabien. ver. excommunicatio, 4. num. 4. circa finem, Armil. ver excommunicatio. num. 30. Syluеſ. loco citato. & multi, quos ibi citat; multi etiam recentiores. Videtur etiam de mẽte Nau. conſ. 50. de reg. vbi ſequutus Decium & alios dicit, quòd Iudici ordinario non pareatur in loco exẽpto. Verbi gratia, præcipit Epiſcopus ſub excommunicatione, ne aliquis furetur rem ſacrã, ſi ſubditus eius furetur calicem in loco exempto, non incurrit. Probatur: nam locus exemptus & locus extra territorium æquiparantur quoad iuriſdictionem; & ſic patet ad fundamentum contrariorum: nam locus ille eſt de territorio Epiſcopi quantùm ad ſitum, ſed non quãtùm ad iuriſdictionem; nec per hoc manebit delictum impunitum: nam poterit conueniri coram ſuo ordinario. ita Geminianus cap. vt animarum. de conſtitutionibus. in 6. n. 18.

Ex dictis ſequitur, quòd ſi Epiſcopus ponat excõmunicationem contra ingredientes monaſteria monialium ad loquẽdum cum illis, qui ingreditur monaſterium exemptum, non incurret; ſecus eſt, ſi ferret excommunicationem contra accedẽtes ad monaſteria etiam exempta. ſic Armil. & Syuеſ. vbi ſup. nam licèt monaſterium ſit exemptum, tamen via qua pergitur ad illud, non eſt exẽpta. Et ratio diſcriminis inter hos duos caſus eſt quòd in primo excommunicatio non ponitur propter acceſſum, ſed propter peccatum, quod committitur intra monaſterium; in ſecundo verò imponitur propter acceſſum ad monaſterium.

DVBITATVR ſextò, vtrùm excommunicatio lata ab Archiepiſcopo comprehendat etiã Suffraganeos, vel tantùm diœceſanos? Reſpõdetur, ſi excommunicatio feratur per ſtatutum, comprehẽdit etiam Suffraganeos; ſi verò feratur per ſententiam, comprehendit tantùm diœceſanos. ita Geminianus in c. Romana de ſentent. excommunicationis. in 6. & Couarru. num. 3. ſup citato, vbi ait hoc eſſe receptum communiter; ſed primus modus intelligendus eſt, quãdo ſtatutum factum eſt in Concilio Prouinciali; aliàs tantùm

tantùm ligabit diœcesanos. sic glossa d. c. Romana. in principio, & etiam verbo, sententiæ. Et probatur: nam Archiepiscopus non habet iurisdictionem ordinariam erga Suffraganeos Prouinciales, nisi in quibusdam casibus, relatis à Sylvest. verb. Archiepiscopus. Hinc infert Couar. quòd nomine subditorum Archiepiscopi, propriè loquendo, non intelliguntur Suffraganei, sed diœcesani.

Vltimò notatur cum Armil. verb. excommunicatio. n. 29. & Tabien. verb. excommunicat. 4. n. 2. quòd Archiepiscopus & Mendicantes non fiunt subditi ratione delicti; sed quantùm ad Mendicantes limitatum est per Trident. sess. 6. Decreto de reform. c. 3. sess. 21. Decreto de reform. c. 8. sess. 25. de Regularibus. c. 14. quibus in locis designantur quidam casus, in quibus Regulares etiam exempti, si delinquant, possunt puniri ab Episcopis.

De causa materiali excommunicationis, nempe de subiecto, in quo recipitur excommunicatio.

Caput IV.

Disput. vnica.

De personis, quæ possunt excommunicari.

Dvbitatvr primò, vtrùm licitè possit excõmunicari is, de quo creditur, non esse corrigendum per excommunicationem, sed potiùs indurandum? Ioannes Andreas, Dominicus, & alij relati à Couar. cap. alma mater. p. 1. in initio. num. 10. tenent, quòd non debet Iudex hunc excommunicare. Quorum opinio sic probatur: non debet quis fraternaliter corripere peccatorem, si credat illum magis esse indurandum; ergo idem dicẽdum est de correctione, quæ fit per excommunicationem.

Pro resolutione supponendum est primò, quòd excommunicatio non est à Iudice temere ferenda, sed maxima cum deliberatione, tentatis priùs aliis facilioribus remediis instar prudentis Chirurgi, qui priùs quàm resecet membrum, adhibet alias faciliores medicinas. sic decretum est in can. ecce autem crimina. 24. q. 3. & in Trid. sess. 25. c. 3. de reformat.

Secundò supponendum est, hoc multò magis obseruandum esse, si timeatur, peccatorem potiùs esse indurandum excommunicatione, quàm emolliendum: tunc enim temperantiùs debet procedere Iudex, adhibendo plura remedia faciliora. Quòd si hæc non sufficiant, dicendum est quòd licitè & prudenter faciet fulminando excommunicationem. ita Couar. supr. & Palacios in 4. d. 18. disput. 3. ad 4. Probatur, quoniam licèt excommunicatio non sit medicinalis huic propter eius proteruiam, erit tamen aliis, vt timeant. Secundò ex August. & refertur can. corripiantur. 24. q. 3. & ex Hieronym. vt refertur can. resecandæ. eod. titul. vbi dicit, *Resecandæ sunt putridæ carnes, & scabiosæ oues à caulis repellendæ, ne tota domus, massa, corpus, & pecora ardeant, corrumpantur, putrescant & intereant.* Sed notandum est, quòd non intendimus modò vniuersaliter definire, quòd licitè possit Iudex excommunicare peccatorem, licèt credat illum obdurandum: nam quæstio est valde controuersa, vtrùm hoc liceat, quando proceditur via correctionis fraternæ; quam quæstionem tractat Sot. 5. de iust. quæst. 6. artic. 2. & Bañes 2. 2. q. 33. artic. 8. dub. 4. sed solùm intendimus non esse vniuersaliter verum, quòd quando peccator indurandus, non possit excommunicari licitè.

Ad argumentum in contrarium, concesso antecedenti negatur consequentia: nam fraterna correctio principaliter ordinatur in bonum ipsius delinquentis; at verò correctio iudicialis, qualis est excommunicatio, principaliter ordinatur in bonum commune membrorum Ecclesiæ, secundùm doctrinam D. Thom. 2. 2. q. 33. artcul. 6.

Dvbitatvr secundò, vtrùm non

subditus possit excommunicari? Conclusio, nemo potest excommunicari ab aliquo, cuius non sit subditus. textus est c. à nobis. de sent. excommunicatio. el 1. & c. cùm inferior. de maiorit. & obedientia. Hinc sequitur non baptizatum, licèt sit catechumenus, non posse excommunicari. ita Sylvest. verb. excommunic. 1. n. 7. & Nau. c. 27. n. 13. quia non est subditus Ecclesiæ, iuxta illud Pauli: *De iis qui foris sunt quid ad nos?*

DVBITATVR tertiò, vtrùm locusta possit excómunicari? Respondetur quòd non. ita Nauar. loco modò citato, & Soto 5. de iust. q. 12. art. 2. concl. 4. quia est incapax culpæ.

DVBITATVR quartò, vtrùm Princeps, verbi gratia, Rex, vel Imperator, possint excommunicari?

Prima conclusio. Stando in iure diuino & etiam in iure cómuni antiquo, bene potest excommunicari, non solùm à Papa, sed etiam ab Episcopo suo. Probatur primò de iure diuino: nam stando in iure diuino, Episcopus in sua diœcesi potest omne illud, quod potest in tota Ecclesia, excepta potestate infallibiliter definiendi res fidei. Secundò, probatur de iure communi antiquo: nam, vt habetur can. duo. 96. dist. Innocentius excommunicauit Arcadium Imperatorem, & Ambrosius Episcopus excommunicauit Imperatorem Theodosium.

Secunda conclusio. Stando in iure cõmuni minùs antiquo, potest quidem Papa excommunicare Regem & Imperatorem, sed particularis Episcopus id non potest propria autoritate. Prima pars probatur: nam Papa semper retinet supremam autoritatem, in foro interiori & exteriori, super omnia membra Ecclesiæ. Secunda verò est recepta communiter à Doctoribus, scilicet Anton. 3. p. tit. 25. cap. 7. circa finem. Sylvest. verb. excommunicat. 2. n. 10. Tabien. verb. excommunicat. 4. paulo ante quæst. 3. Armil. verb. excommunicatio, num. 28. Sylvest. allegat §. cùm humana. 2. quæst. 7. sed ibi §. non inuenitur ibi. Tabien. & Armill. allegant can. nos si incompetenter. §. Baalam. 2. qu. 7. sed certè nihil probat ad propositum. Sufficiat nobis tantorum virorum autoritas.

Tertia conclusio. Loquendo de priuilegiis particularibus, certũ videtur, quòd Imperator & Rex sunt exempti à iurisdictione Episcoporum, ita vt non possint Episcopi eos excommunicare autoritate propria.

DVBITATVR quintò, vtrùm Vniuersitas possit excommunicari?

Prima conclusio. Vniuersitas, vel collegium immediatè non potest excommunicari, vt dicendo, *Excommunico talem communitatem, vel collegium.* Hæc recipitur ab omnibus, & habetur in c. Romana. de sentent. excommunicatio. in 6. & ratione probatur; Excommunicatio maior non fertur nisi pro peccato mortali, sed peccatum est actus personalis: Vniuersitas enim non peccat, nisi quia singuli peccãt; ergo excommunicatio non debet immediatè ferri in ipsam cõmunitatem. Confirmatur ratione, quam tradit text. quia non est probabile, quòd omnes & singuli de aliqua communitate peccent; ergo excommunicatio non est ferenda in totam communitatem: nam cõprehenderet aliquos innocentes. Contrà primò Vniuersitas potest interdici; ergo etiam excommunicari. Concesso antecedenti negatur consequentia: nam interdictum non semper ponitur pro culpa eorum, qui interdicuntur, sed in odium illius, qui in ciuitate est excommunicatus, quare interdicti si non habeant culpam licèt arceantur à diuinis officiis, non tamen priuantur Ecclesiæ suffragiis. Secundò, aliquãdo puniuntur pœna temporali innocentes pro nocentibus; ergo etiam tota Vniuersitas potest excommunicari pro aliquibus eiusdem Vniuersitatis delinquentibus. Negatur consequentia, nam in bonis temporalibus vnus dependet ab alio, & ideo pœnæ temporales vnius deriuantur ad aliud. Verbi gratia, Pater hæreticus punitur in filiis; at verò quoniam spiritualia bona

sunt

sunt propria vniuscuiusque, ideo nullus punitur in illis, nisi pro peccato proprio.

Secunda conclusio. Si excommunicatio feratur contra singulos nocentes de Vniuersitate, licita erit. ita Nauarr. lib. 5. Consil. tit. de sentent. excommunication. consil. 20. dicto 4. & alij. Probatur, quoniam nec punitus aliquis innocens, nec remanet impunitur aliquis nocens; hæc autem excommunicatio duobus modis potest ferri, scilicet generaliter, vt dicendo, *Excommunico omnes & singulos nocentes de tali Vniuersitate, qui commiserunt tale, vel tale delictum.* ita Nauar. suprà, vel specialiter dicendo, *Excommunico Petrum & Paulum, & Alphonsum, &c.* nominando singulos de tali Vniuersitate, quos constat esse nocentes, & hæc conclusio solùm intelligitur de nocentibus mortaliter, non venialiter. ita Nauar. suprà, consil. 24.

Dvbitatvr sextò, si de facto excõmunicatio feratur immediatè in ipsam Vniuersitatem, vtrùm talis excommunicatio non solùm sit illicita, sed etiã nulla?

Prima opinio tenet, quòd esset valida, sic glossa dicto cap. Romana, verbo, penitus. Angel. verb. excommunicatio. 1. n. 7. Couar. 2. variarum. cap. 8. n. 9. dicit hanc esse tutiorem.

Secunda opinio dicit quòd esset inualida, hanc tenent Doctores infrà citandi pro secunda conclusione, & Couar. ait esse veriorem secundùm rigorem iuris, quamuis primam dicat esse tutiorem.

Pro resolutione notatur primò, quòd Vniuersitas potest dupliciter sumi. Primo modo absolutè, vt abstrahit & præscindit à singularibus membris: secundo modo pro omnibus singularibus membris simul sumptis.

Secundò notatur, quòd excommunicatio potest ferri nullo præcedente examine, vtrùm ibi reperiãtur aliqui nocentes, & nulla facta restrictione ad nocentes, vel præcedente examine, & facta restrictione ad solos nocentes.

Sit prima conclusio. Si excommunicatio feratur in Vniuersitatem, vt abstrahit & præscindit à singularibus membris, est nulla, sine præcedat examen, siue non, siue feratur à Prælato inferiori, siue ab ipso Papa. Hæc est Sylvest. verb. excommunicatio. 1. num. 10. & recepta communiter. nam communitas hoc modo sumpta non est persona vera, sed repræsentata & ficta. ff. de fideiussoribus. l. mortuo. neque est baptizata, sed sententia excommunicationis tantùm ligat veram personam habentem animam rationalem; ergo. Minor probatur; communitas hoc modo sumpta non communicat suffragiis Ecclesiæ: communicatio enim consistit in actibus singularibus. Sumendo autem Vniuersitatem secundo modo; scilicet pro omnibus singularibus membris simul sumptis, sit

Secunda conclusio. Si excommunicatio feratur contra Vniuersitatem, nullo examine præcedente, & nulla facta restrictione ad solos delinquentes, esset nulla, taliter quòd non ligaret etiam eos qui fuerunt in culpa, siue feratur ab inferiori Prælato, siue ab ipso Papa. Hæc est de mente secundæ opinionis, & tenet eam Richard. in 4. dist. 18. art. 5. q. 3. Soto dist. 22. q. 2. art. 2. Nauar. cap. 27. num. 13. & 5. Consil. titul. de sententia excommunicationis. consil. 20. dicto 3. & alij. Probatur primò: nam contineret errorem intolerabilem contra ius naturale & diuinũ, quod prohibet puniri innocentes, qui nullo modo sunt probati nocentes; quod dico: nam Ecclesia & Respublica ciuilis aliquãdo punit innocentes probatos nocentes. Secundò: nam licèt in illo cap. Romana. non annulletur expresè talis excommunicatio, sed solùm prohibeatur, tamen attendendo rationem textus, quæ talis est (quoniam aliàs sequeretur hoc inconueniens, quòd talis excommunicatio comprehenderet innocentes!) sequitur quòd Pontifex intendit annullare huiusmodi excommunicationem, quia aliàs non euitaretur istud inconueniens.

Si obiicias, quòd innocentes in foro interiori non manerent excommunicati;

ergo non sequeretur illud inconueniens. Respondetur, quòd si talis excommunicatio esset valida, sequeretur quòd innocens non probatus, nocès puniretur, saltem in foro exteriori: nam haberetur pro excommunicato, quod tamen esset contra ius naturæ: & hæc conclusio habet verum, siue excommunicatio feratur sub hac forma, *Excommunico totam hanc Vniuersitatem*; siue sub hac, *Excommunico omnes & singulos huius Vniuersitatis.* Probatur: nam ratio dudum facta militat eodem modo, imò propter eandem rationem etiam haberet verum conclusio, licèt excommunicatio feratur sub hac forma, *Excommunico Prepositum, Decanum, Archidiaconum, &c.* nominando singulos de collegio. ita Sylvest. verb. excommunicatio. 1. num. 10.

Tertia conclusio, si præcedente examine constaret omnes & singulos de tali communitate esse nocentes, excommunicatio lata ab Episcopo contra talem communitatem sumptam pro singulis membris, esset illicita, sed valida, lata verò à Papa non solùm esset valida, sed etiã licita. Quòd lata ab Episcopo esset illicita, probatur: nam esset contra tenorem illius cap. Romana, cui Episcopus debet esse subiectus, quòd esset valida, probatur: nam in isto casu constat singulos huius communitatis esse nocentes; ergo nullus innocens puniretur. Quòd verò lata à Papa esset licita, probatur: nam Papa non subiicitur iuri communi, sed potest in illo dispensare. Et hæc dicta sint loquendo de excommunicatione per viam sententiæ: nam si feratur per viam statuti, sit

Quarta conclusio, quòd licitè potest ferri contra singulos de Vniuersitate, verbi gratia, quòd nullus collega egrediatur noctu è collegio sub excommunicatione latæ sententiæ, & tunc quilibet delinquens ligaretur. ita Sot. supr. & Sylvest. verb. excommunicatio. 9. num. 33.

Dvbitatvr septimò, vtrùm semel excommunicatus possit iterum excommunicari? Et videtur quòd non: nam excommunicatio cõsistit in priuatione suffragiorum Ecclesiæ, sed priuatio non suscipit magis & minus; ergo. Secundò: nam plura accidentia solo numero differentia non possunt esse simul in eodem subiecto.

Conclusio tamen sit affirmatiua, quam tenet D. Tho. in addition. q. 22. art. 6. Soto d. 22. q. 2. art. 2. concl. 3. Sylvest. ver. excommunicatio. 1. num. 10. Couar. c. alma mater. p. 1. §. 11. n. 13. & Doctores communiter. Probatur ex can. Engeltrudam. 3. q. 4. & can. excellentissimus. 11. q. 3. sed ego allego optimum text. c. cùm pro causa. de sententia excommunicationis. Et hæc conclusio non solùm intelligitur quãdo est nouum crimen, sed etiã propter idem crimen aggrauatis censuris ad maiorem terrorem & confusionẽ: æquum est enim vt sicut obstinatio crescit, ita etiam crescat rigor pœnæ. sic D. Tho. & Sot. & ad hoc facit dictus canon. excellentissimus. Sed aduertit D. Tho. quòd in primo casu, scilicet quando est nouum crimen, tot erunt principales excommunicationes, quot sunt causæ, propter quas excommunicatur, vnde iste potest absolui ab vna excommunicatione manendo in alia, vt habetur dicto cap. cùm pro causa. De quo plura dicemus in cap. 7.

Ad primum in contrarium respondetur ad minorem, quòd priuatio licèt in se non suscipiat magis & minus, suscipit tamen in ordine ad suam causam, sicut tenebræ dicuntur suscipere magis & minus propter appositionem pluriũ corporum opacorum, & eodem modo excommunicatus pluribus excommunicationibus est indignior suffragiis, & magis elongatus ab illis, quàm excommunicatus vnica excommunicatione. Et sicut quando sunt duo corpora opaca, sublato vno, requiritur vlteriùs auferre alterum, vt aër maneat lucidus, sic ablata vna excommunicatione, requiritur auferre alteram, vt homo possit frui suffragiis Ecclesiæ.

Ad secundum respõdetur primò, quòd illa maxima intelligitur de accidentibus realibus

realibus; hæc enim sunt quæ verè & realiter inhærent subiecto. Secundò, quòd illa maxima non habet verum in accidentibus, quæ dicunt ordinem ad aliquid extrinsecum, & hunc ordinem dicit excommunicatio ad actum excommunicantis, & ad causam propter quam excommunicat.

DVBITATVR octauò, vtrùm defunctus possit excommunicari? Quam quæstionem eruditè tractat Castro 2. de iusta hæreticorum punitione. cap. 19. & 20. Prima opinio tenet, quòd licèt non omnes defuncti possint excommunicari, tamen ille qui mortuus est in peccato hæresis, licèt non incidisset in excommunicationem ante mortem, vt si daretur casus, quod in iure non esset imposita excommunicatio contra hæreticos, vt fortè non erat in Ecclesia primitiua, iste post mortem posset excommunicari propter grauitatem criminis. Hanc videtur tenere Gratianus 24. quæst. 2. can. penult. & vlt. Eandem sequitur glossa c. si quis Episcopus. de hæreticis. verbo, post mortem. & Panormit. eod. cap. probat Gratian. ex 5. Synodo generali, act. 1. & 4. ex August. & aliis Sanctis dicentibus hæreticos defunctos esse anathematizandos, prout refertur in can. sanè. el 2. 24. q. 2. Et confirmatur primò ex multis testimoniis Conciliorum relatis à Castro cap. 19. scilicet Constantiensi sess. 8. vbi anathematizauit Vvicleph. iam defunctum; & 6. Synodus generalis act. 1. anathematizauit Dioscorum & Pyrrhum, & act. vlt anathematizauit Theodorum & alios hæreticos iam defunctos. Et vrget multum c. à nobis. el 2. de sententia excommunicationis. vbi Innocentius III. determinat excommunicatum posse absolui post mortem; & reddit rationem, quia scilicet Ecclesia potest soluere & ligare defunctos. Confirmatur secundò ex vsu Inquisitorum, qui solent damnare sua sententia hæreticos, eos anathematizando, & exhumando eorum corpora, vt comburantur. Secundò probatur, Ecclesia concedit indulgentias defunctis; ergo potest illos excommunicare.

Secunda sententia, quæ communis est, generaliter tenet nullum defunctum posse excommunicari directè & immediatè. Pro quo notandum est, quòd dupliciter possumus loqui de excommunicatione. Primo modo de excommunicatione propriè, directè, & immediatè: secundo modo, largè, indirectè, & mediatè, ad excommunicãdum. Primo modo requiritur iurisdictio erga ipsas personas excommunicandas; ad excommunicandum autem secundo modo non requiritur iurisdictio erga personas excommunicandas, sed satis est iurisdictio circa alias, quibus potest præcipere quòd non offerant sacrificia nec suffragia Ecclesiæ pro tali, vel tali persona.

Prima conclusio. Qui dum viueret incurrit excommunicationem, si ante absolutionem moriatur, excommunicatus manet post mortem, & est priuatus ecclesiastica sepultura, & suffragiis Ecclesiæ, nisi absoluatur post mortem, vt postea dicemus. Hæc habetur ex cap. sacris. de sentent. excommunicat. Quæ conclusio habet verum, licèt ante mortem ostendisset signa contritionis. ita Nauar. cons. 3. de sepult.

Secunda conclusio, loquendo de excommunicatione primo modo, scilicet, directè & immediatè, nullus potest excommunicari post mortem propter aliquod crimen quantumcunque enorme, licèt sit crimen hæresis, dato quòd in iure non esset imposita excommunicatio contra hæreticos. Hanc tenent autores secundæ opinionis, scilicet Anton. 3. par. tit. 25. c. 7. Syluest. verbo, excommunicatio. 1. n. 7. Soto d. 22. q. 2. art. 2. Castro suprà, c. 19. Nauc. c. 26. num. 35. & cap. 27. n. 13. Couar. cap. alma mater. p. 1. §. 11. n. 8. Aranil. verb. excommunicatio. num. 28. & Doctores communiter. Probatur, ad excommunicandum immediatè & directè requiritur iurisdictio erga personas excommunicandas, sed hanc iurisdictionem

nem non habet Ecclesia erga defunctos; ergo. Minor probatur, in qua est tota difficultas. Primò: nam potestas ad excommunicandum collata est Ecclesiæ in illis verbis, *Quæcunque ligaueritis super terram; &c* sed defuncti non sunt super terram, ergo. Secundò, Ecclesia solùm potest excommunicare inobedientes & contumaces, sed defunctus iam non est contumax Ecclesiæ, cùm sit extra eius territorium; ergo. Contrà, nam satis est quòd viuens fuerit contumax. Respondeo, nego hoc esse satis, imò vt aliquis excommunicetur, requiritur, quòd pro tunc sit de iurisdictione Ecclesiæ: sed defunctus iam est extra iurisdictionem Ecclesiæ militantis; ergo. Tertiò, Ecclesia non habet iurisdictionem ad absoluendum directè defunctum excommunicatum, vt dicemus; ergo neque ad excommunicandum. Et hæc argumenta æqualiter militant in hæretico defuncto. Notandum est, quòd hæc conclusio habet verum, licèt homo ante mortem fuerit monitus ab Ecclesia, scilicet præcipiendo ei aliquid sub pœna excommunicationis; hoc est contra nonnullos iuniores, sed alij tenent nostram sententiam, & meritò: nam, vt diximus c. 3. disput. 2. dub. 3. sententia in continenti sumit vires, & ideo solùm habet vim contra eos, qui tempore quo fertur sententia, sunt subditi. Hinc sequitur quòd si Ioannes mandauit Petro percutere clericum, & quando mandatum exequitur, iam est defunctus Ioannes, non incurret excommunicationem canonis, si quis suadente.

Tertia conclusio. Loquendo de excommunicatione secundo modo, scilicet mediatè & indirectè, bene potest Ecclesia excommunicare defunctum, qui decessit in peccato: huiusmodi enim excommunicatio nihil aliud est, quàm præcipere suis ministris, ne offerant pro illo sacrificia & suffragia Ecclesiæ; quod p...et ex notabili suprà posito.

Quarta conclusio. Ecclesia bene potest declarare, defunctum decessisse excommunicatum, ita Sylvest. Soto, & Couarr. locis vbi suprà: & patet ex practica Inquisitorum, qui solent iuridicè declarare aliquem decessisse hæreticum & excommunicatum. Sed quoniam hîc erit facillimum intelligere ea, quæ dicuntur de absolutione ab excõmunicatione post mortem, pro eius dilucidatione notandum; quòd dupliciter potest aliquis decedere in communicatione. Primo modo, cum vera pœnitentia & signis contritionis, & desiderio obtinendi absolutionem ab excommunicatione, sed eam obtinere non potuit ex aliqua causa accidentali. Secundo modo, sine vera pœnitentia & signis contritionis, & absque desiderio obtinendi absolutionem. Quo posito

Quinta conclusio sit. Ecclesia non potest directè absoluere defunctum excommunicatum, quamuis decesserit cum vera pœnitentia & desiderio obtinendi absolutionem, bene tamen indirectè. Sic Armil. verb. absolutio. n. 55. & 63. Couarr. loco citato, vbi hoc tractat ex professo; & pro vtraque parte conclusionis est text. c. à nobis. el 2. & cap. sacris. de sentent. excommunicationis. Prima pars probatur eisdé argumentis factis pro secunda conclusione: nam ad directè absoluendum requiritur iurisdictio in personas absoluendas, sicut ad excommunicandum: & præterea probatur ex can. de communione. 24. q. 2. & canone nec quisquam. ead. causa. & quæst. Secunda verò pars etiam probatur ex tertia conclusione; hoc enim non est aliud quàm Ecclesiam concedere facultatem, vt corpus possit sepeliri in loco sacro, etsi erat sepultum in illo, quod non extrà haberur; & etiam concedere facultatem suis ministris, vt possint offerre pro illo suffragia & sacrificia, nam ante huiusmodi absolutionem nõ poterant, vt constat ex textibus modò citatis. Vtrùm verò si de facto applicarentur, essent illi proficua, dicemus cap. 6. Circa hoc autem duo sunt notanda.

Primò, quòd defunctus ab eo est absoluendus, qui eũ possit absoluere viuum

&

& sanum, & non à quolibet sacerdote, qui eũ posset absoluere in articulo mortis. sic Nauar. cap. 26. n. 32. & conf. 3. de sepult. & est tex. in dicto c. à nobis. el 2.

Secundò, quòd si defunctus sepultus est in loco sacro, non est extrahendus, vt flagelletur ante huiusmodi absolutionẽ, sed satis erit flagellare sepulchrum; si autem esset sepultus extra locum sacrum, tunc exhumandus est, & flagellandus. ita Nau. loco citato, & Sylu. ver. absolutio. 3. num. 15.

Sexta conclusio. Quando excommunicatus decessit sine vera pœnitentia & signis contritionis, nullo modo est absoluendus ab excommunicatione, ne indirectè quidem. Probatur, quia non est dignus vt absoluatur, cùm ipsam absolutionem contempserit.

Ad argumentum pro sententia Gratiani cum confirmatione respondetur, quòd in illis locis anathematizare non significat excommunicare, sed maledicere, sicut hæreticus cùm cogitur abiurare hæresim, cui adhæserat, anathematizat illam, vt patet can. ego Berengarius. de consecr. dist. 2. & tamen non excommunicat eam; & B. Petrus cùm cœpit anathematizare & iurare, quia non nouerat Christum, non excommunicauit seipsum. Et dato quòd in aliquo Concilio vel textu inueniatur, quòd Ecclesia excommunicauit defunctum, explicandum est dupliciter. Primò, de excommunicatione indirectè, & hoc modo explicat Castro sup. c 20. in fine, illud c. à nobis. el 2. de sent. excommunicat. Secundò, quòd declarauit illum decessisse excommunicatum: & per hoc patet ad secundam confirmationẽ: nam Inquisitores quando declarant aliquem decessisse hæreticum, declarant decessisse excommunicatum; & quoniam Ecclesia hoc ignorans admiserat illum ad ecclesiasticam sepulturam, precipiunt eius ossa exhumari & comburi.

Ad secundum, concesso antecedenti negatur consequentia: nam indulgentiæ non conceduntur defunctis per modum absolutionis: ad hoc enim esset necessaria iurisdictio in ipsos defunctos; sed tantùm conceduntur per modum suffragij & solutionis, vt dixi in materia de indulgentiis.

DVBITATVR nonò, vtrùm Episcopus possit excommunicari ab Archiepiscopo?

Prima conclusio. Per modum punitionis pro crimine commisso bene poterat excommunicare secundùm ius antiquum, nõ tamen secundùm ius nouum Concil. Trident. Primam partem tenet Panormit. cap. pastoralis. de offic. ordinarij. num. 2. & Sylues. verbo, Archiepiscopus. num. 1. & est tex. cap. sacro. de sententia excommunicationis. Si opponas canonem 16. quæst. 3. vbi dicitur, quòd si Episcopus crimen imposuerit alicui clerico, vel laico, debet illud probare in Synodo; ergo à fortiori crimen ipsius Episcopi. Respondeo cum glossa ibi istum canonem loqui secundùm tempora Apostolorum, quando causæ omnes deferebantur ad Ecclesiam, vt can. relatum. 11. quæst. 1. & iuxta hoc debet intelligi glossa cap. pastoralis. verbo, exceptis. de offic. ordinarij. Secunda verò pars probatur; nam si causæ criminales sunt grauiores, reseruantur summo Pontifici; si verò sint minores, in Concilio tantùm Prouinciali cognoscendæ sunt, & determinandæ, vel à Deputatis per Concilium, vt statuit Trident. sess. 24. decreto de reformat. cap. 5.

Secunda conclusio. Per modum præcepti bene potest excommunicare, verbi gratia, præcipiendo Episcopo sub excõmunicatione, vt in Episcopatu suo tollat talem consuetudinem prauam, vel vt obseruet statuta Ecclesiæ, denique quando præcipit vel prohibet id, quod iure sibi conceditur. Probatur, poterat secundùm ius antiquum, & non est restrictum per Trident. quod tantùm loquitur de causis criminalibus, atque adeò de excommunicatione per modum punitionis, pro crimine iam commisso; ergo. Maior probatur:

turnam Episcopus est subiectus suo Archiepiscopo, vt habetur can. de iis. 12. d. & c. pastoralis. de offic. ordinarij.

Quid si Episcopi in Concilio Prouinciali congregati vellent vsurpare iurisdictionem Archiepiscopi, posset ne Archiepiscopus procedere contra illos per censuras?

Tertia conclusio. Intra Concilium non posset, bene tamen extra. Prima pars probatur: nam in Concilio Archiepiscopus, quamuis caput sit, est tamen pars, & ideo ipse solus non potest conciliariter determinare, nec procedere, nisi cum eo consentiat maior, vel æqualis pars Episcoporum. Secunda verò probatur: nam rectè potest illis prohibere sub excommunicatione, ne vsurpent iurisdictionem illius, & inobedientes poterit excommunicare. Confirmatur, licitum est Metropolitano, imò & necessarium, defendere suã iurisdictionem, & Ecclesia non habet alia arma efficaciora, quàm censuras; ergo potest vti illis. Confirmatur secundò: nam aliàs si in isto casu non posset defendere suam iurisdictionem, sequeretur, quòd gubernatio & iurisdictio Archiepiscopi esset manca & diminuta, maximè quoniam si expectaretur recursus ad Papam, interim magna orirentur incommoda & schismata.

De caussa & occasione propter quam fertur excommunicatio. *Cap. V.*

Disputatio I.

De contumacia requisita ad incurrendam excommunicationem.

In primis supponendum est, excommunicationem inferri non posse nisi propter aliquod peccatum, & quod non sit purè interius, vt vidimus p. 1. dub. 9. & 10. Quo supposito

Dvbitatvr primò, propter quas causas possit ferri minor excommunicatio? Vbi supponendum est, quòd licèt possit imponi à Iudice, tamen de facto nunquam imponitur nisi à iure, vt diximus p. 2. disp. 2. Quo posito

Conclusio sit. Licèt antiquitus incurrebatur in octo vel nouem casibus relatis ab Innocent. c. 1. de sent. excommunicat. & Sylvest. verb. excommunicat. 4. n. 2. tamen iam vnus solùm est in vsu, nempè participare cum excommunicato maiori excommunicatione in casibus prohibitis. Hinc sequitur, excommunicationem minorem posse imponi pro peccato veniali contumaciæ.

Dvbitatvr secundò, vtrùm excommunicatio maior possit imponi pro peccato veniali? Et videtur quòd sic. Peccatum veniale cùm sit malum culpæ, maius malum est, quàm excommunicatio maior, quæ est malum pœnæ; ergo excommunicatio maior potest imponi pro culpa veniali. Secundò, ex Concil. Carthaginens. IV. cap. 24. vbi dicitur, quòd si sacerdote in Ecclesia verbum faciente quispiam exierit, excommunicetur, sed excommunicatio in dubio intelligenda est de maiori, vt vidimus part. 2. ergo. Sit tamen

Prima conclusio. Stando in iure positiuo, non potest imponi pro veniali, sed tantùm pro mortali. ita Sot. d. 22. q. 1. art. 2. concl. 1. Couar. cap. alma mater. p. 1. §. 9. num. 1. & omnes Doctores; & est textus can. nemo Episcoporum. & can. nullus sacerdotum. 11. q. 3. & in Trident. sess. 25. c. 3. de reformat. vbi statuitur, quòd non concedatur excommunicatio, nisi pro causa grauissima.

Secunda conclusio. Etiam stando in iure diuino, non potest imponi maior excommunicatio nisi pro peccato mortali. Ita multi viri docti, & colligitur apertè ex doctrina Soti art. citato. conclus. 4. Et probatur, potestas Ecclesiæ ad excommunicandum data est ei à Christo in ædificationem, non in destructionem, sed si propter culpam venialem posset imponere maiorem excommunicationem, esset

in

in destructionem fidelium; ergo. Confirmatur: nam si Christus contulisset Ecclesiæ hanc potestatem, aliquando ea vsa fuisset. Secundò: nam quando Christus Matth. 18. tradidit Apostolis potestatem excommunicandi, solùm loquebatur de peccato mortali, vt patet ex verbis ipsius textus; prædixerat enim, *Non est voluntas Patris, vt pereat*; deinde dicit, *Si te audierit, lucratus es fratrem tuum*; perire autem nemo potest nisi propter mortale, nec lucrari nisi qui propter mortale perditus erat, imò & nomen ipsum, *ethnicus*, designat mortale peccatum. Tertiò: nam secundùm ius diuinum & naturale pœna debet proportionari culpæ, sed excommunicatio maior est grauissima pœna, cùm per illam excludatur homo à participatione sacramentorũ, suffragiis Ecclesiæ; ergo non debet ferri nisi contra eum, qui propter mortale peccatum exclusus est à regno cælorum. Confirmatur: nam crudelis esset Chirurgus, qui pro leui morbo membrum amputaret. Contrà: nam hoc argumentum etiam probat, quòd excommunicatio minor nõ possit ferri pro veniali, siquidem priuat receptione sacramentorum, quæ sunt efficaciora ad obtinendum regnum cælorum, quàm orationes & suffragia, quibus priuat maior excommunicatio. Respondetur cum Soto, quòd non sunt cætera paria: nam orationes & suffragia sunt continua quædam præsidia, & ideo priuatio illorum grauissimè lædit; receptio autem sacramentorum rarò est necessaria.

Ad primum respondetur negando cõsequentiam, sicut non valet, maius malũ est peccatum veniale quàm mors corporalis; ergo potest aliquis pro veniali damnari pœna mortis.

Ad secundum respondetur, quòd, vt diximus par. 2. ille canon intelligitur de minori excommunicatione secũdùm formam antiquam, secundùm quam excommunicari non erat aliud, quàm priuari sacramento Eucharistiæ. Secundò, dato quòd ille canon intelligeretur de maiori, hoc esset quando aliquis præmissa monitione contemneret audire concionem: nam tunc exire à cõcione, iam esset mortale ratione contumaciæ, vel etiam ratione scandali.

Ex dictis sequitur primò, quòd priùs saltem natura debet homo incidere in mortale, quàm in maiorem excommunicationem. Secundò sequitur, quòd licèt aliquis Prælatus, etiam Papa, intentet ferre excommunicationem incurrẽdam pro solo veniali, non tenebit factum. Tertiò sequitur, quòd quicunq; excusatur à mortali, libet erit ab excommunicatione maiori, vt latiùs infrà dicemus. Quartò sequitur, quòd quandocunque lex, vel Prælatus præcipit vel prohibet aliquid sub excommunicatione latæ sententiæ, obligat sub mortali: quamuis eius rei transgressio de se non sit mortalis. ita Soto ar. 2. citato, colum. 2. corol. 1. Castro 1. de lege pœnali. c. 5. documento 4. in fine. Couarr. c. alma mater. p. 1. §. 9. n. 1. versiculo primùm sanè. vbi ait quòd vel lex habenda est pro iniusta, vel præsumendum est, quòd legislator habuit intẽtionem obligandi ad mortale. Eandem sententiam tenẽt communiter omnes Doctores, imò autores citati loquuntur absolutè non limitando de excommunicatione latæ sententiæ. Ratio autem huius corollarij est, quòd cùm excommunicatio maior non possit ferri pro veniali, eo ipso quòd lex, vel Prælatus præcipit aliquid sub excommunicatione latæ sententiæ, satis exprimit intentionem suam esse obligandi ad mortale, sed hoc corollarium intelligendum est, nisi materia sit leuis, ita vt neque in se, neque in ordine ad finẽ fiat grauis, vt magis explicabitur infrà: tunc enim non sufficit constituere peccatum mortale, quantumuis præcipiatur vel prohibeatur sub excommunicatione; vt si Prælatus præcipiat subdito sub excommunicatione latæ sententiæ, ne loquatur verbum otiosum, vel quòd recitet vnam salutationem Angelicam. Probatur manifestè. Ecclesia non potest obligare ad

materiam tam leuẽ sub peccato mortali; ergo nõ obligabit, quãuis imponat excõmunicationem maiorẽ. Antecedens probatur, lex diuina & naturalis de non furãdo licèt ex se obliget ad mortale, tamen ex paruitate materiæ obligat ad veniale, & votum de materia leui obligat ad veniale tantùm, sed præceptum Ecclesiæ non potest esse maioris efficaciæ, quàm diuinum; ergo. Vnde vel talis lex erit iniusta, vel, vt ait Mexic. difficult. 6. de excommunicat. talis excommunicatio magis dicenda est comminatio, quàm excommunicatio: non enim credendum est, Prælatum habuisse intentionem excommunicandi pro re leui. Contrà, contemptus etiam in re leui est mortale, sed qui violat præceptum imponens pœnam excommunicationis latæ sententiæ, contemnit legem; ergo quamuis materia sit leuis, peccabit mortaliter.

Respondetur primò, negando maiorem cum Caietano in sum. ver. contemptus. Couar. §. 9. cicato n. 3. Medina 1. 2. q. 96. art. 4. reg. 6. Secundò, dato quòd quando iste non obediret legi ex contemptu formali, peccaret mortaliter, tamen nõ loquitur in isto casu, sed in casu quòd non obedit alia causa.

DVBITATVR tertiò, vtrùm non solùm maior excommunicatio lata, verùm nec ferenda seu comminatoria, possit imponi pro veniali; quod aliis verbis quæri solet, vtrùm quotiescunque lex præcipit vel prohibet aliquid sub excommunicatione ferenda, obliget ad mortale? Conclusio, talis lex obligat sub mortali. Pro hac conclusione possent allegari autores citati dubio præcedenti, qui absolutè loquuntur non limitando ad excommunicationem latam, sed sunt alij, qui tenent nostram cõclusionem expressè de excommunicatione ferenda: ita Syluest. verbo, præceptum. §. 3. Tab. n. ver. lex. 2. §. 28. Soto d. 22. q. 1. ar. 2. corol. 1. Ledes. 2. 4. q. 23. ar. 3. dub. penul. Caietan. in Sum. verbo, præcepti transgressi. Nauar. c. 23. n. 53. Petrus de Soto lect. 3. de excõmunicat. Armil. verb. præceptum. §. 6. Prætereà: nam Medina Cod. de restitut. q. 30. Conrad. de contractibus. quæst. 52. Angel. ver. clericus. 9. num. 3. Sylvest. eodem ver. n. 1. Tabien. eodem ver. & n. ideo dicunt clericum in sacris negotiantem per propriam personam peccare mortaliter stando in iure communi, quia in extrauag. ne clerici, vel Monachi. de statu Monachorum. est illis prohibitum sub excommunicatione comminatoria.

Sed pro maiori explicatione huius conclusionis notandum est, quòd pœna excommunicationis comminatoriæ dupliciter potest imponi. Primo modo, ita vt possit Iudex excommunicare trãsgressorem sine hoc quòd præcedat alia monitio. Secundo modo, ita vt requiratur alia monitio. Si petas quando requiritur alia monitio? Respondeo, quòd si loquamur de præcepto Iudicis, ex verbis ipsius constabit; si verò de canone vel statuto, duplex regula potest assignari. Prima eáque certissima, quãdo canon vel statutum id exprimit, vt de facto exprimitur in can. administratores. 23. q. 5. & c. non minùs. de immunit. Eccles. & c. ne clerici vel Monachi. de statu Monachorum. in quibus requiritur admonitio Iudicis ad incurrendam excommunicationem impositam à iure ipso facto, & quod magis facit ad rem, in Trident. sess. 14. c. 6. de reformat. imponitur suspensio comminatoria contra personas ecclesiasticas, quæ præcedente monitione ordinarij nõ gestauerint habitum decentem, & sess. 24. c. 8. de reformat. imponitur excommunicatio comminatoria aduersùs concubinarios, qui ter moniti ab Episcopo, non se separauerint. Secunda regula est, quam adhibent aliqui viri docti; & colligitur ex Mexic. difficult. 6. de excommunicat. post conclusionem secundam. scilicet quando materia, vt præcipitur sub excommunicatione, est leuis in se: tunc enim quidquid sit de rigore iuris, tamen ex æquitate præsumitur non esse intentionem Ecclesiæ, quòd infligatur excommuni-

municatio ante monitionem Iudicis. His suppositis est duplex opinio.

Prima est quorundam doctissimorum virorum, qui tenent conclusionem positam vniuersaliter esse intelligendam, itaque quotiescúque præcipitur aliquid sub excommunicatione comminatoria, obligat ad mortale; siue requiratur alia monitio, siue non, & hoc, quamuis materia sit leuis in se. Allegant pro se Syluest. loco citato, & Sotum art. 2. citato. corol. 1. Et quidem hi duo autores, præcipuè Sotus, clarè videntur loqui, quamuis materia sit leuis, sed non expresse loquuntur in casu quòd requiratur alia monitio, imò Syluest. potiùs videtur loqui, quando non requiritur. Sed quidquid sit de mente Syluest. & Soti, probatur hæc opinio. Primò, comminatio alicuius pœnæ non adiungitur iustè alicui legi, nisi transgessio legis sit digna tali pœna, sed solum peccatum mortale est dignum pœna excommunicationis maioris; ergo quotiescunque lex comminatur talem pœnam, obligat ad mortale. Secundò, legislatores ecclesiastici possunt obligare sub mortali, quamuis materia aliàs sit leuis, sed quotiescunque ponitur excommunicatio cóminatoria, satis explicant suam esse intentionem obligare ad mortale; ergo verè obligant.

Secunda opinio dicit, conclusionem esse intelligendam, quando non requiritur alia monitio. Hanc tenet Caietan. in Summa. loco citato. Nauar. loco citato, & multi viri doctissimi, & per hoc explicatur doctrina Caiet. 2.2. quæst. 196. ar. 9. Contrà ad secundam: non enim retractauit in Sum. id quod dixerat 2.2. vt quidam falsò putant, sed explicauit: nam in 2.2. loquutus est quando non requiritur alia monitio; in Sum. verò loquitur, quãdo requiritur, vt patet ex ratione, quam vtrobique assignat; quoniam in 2.2. probat transgressorem præcepti continentis excómunicationem comminatoriã peccare mortaliter, quia eo ipso meretur excommunicationem, quòd non stat sine peccato mortali; in Summa verò dicit nõ peccare mortaliter, quoniam ante admonitionem non fit dignus excommunicatione, & quoniam hęc secunda opinio est à nobis amplectenda,

Dicimus primò. Si materia esset leuissima, quia scilicet in se, & in ordine ad finem est leuis, licèt præceptum comminetur excommunicationem, non obligat sub mortali. ita Soto loco citato, & Medina 1. 2. quæst. 96. art. 4. post Regulam 5. & est de mente Castri 2. de lege pœnali. c. 5. ante documentum 3. vbi ait esse ignorantiam, quòd putet Prælatus se posse omnia, etiam leuissima, mandare sub peccato mortali, & in hac conclusione omnes debent conuenire. Dicimus secundò, cõclusionem suprà positam intelligendam esse iuxta secũdam opinionem, itaque quando lex comminatur excommunicationé, & non requiritur alia monitio, tunc obligat ad mortale, aliàs non, nisi materia esset multùm grauis. Hoc dictum habet tres partes. Prima scilicet, quòd tunc obligat ad mortale, probatur; nullus potest incurrere excommunicationem maiorem nisi pro peccato mortali; ergo lex, quæ comminatur maiorem excommunicationem, quæ possit infligi sine alia monitione, obligat ad mortale. Probatur consequentia: nam qui vult aliquid, censetur velle omne illud sine quo fieri non potest. c. præterea, de offic. delegati. Secunda verò, scilicet quòd aliàs non obligabit ad mortale, probatur: nam eo ipso quòd requiritur alia monitio, & materia non est multùm grauis, est signũ quòd legislator non vult transgressorem obligari ad mortale ante monitionem. Præterea, quia nunquam videmus Iudices sine alia monitione excommunicare transgredientes legem, precipientem materiam leuem in se sub pœna excommunicationis. Præterea, quia non est credendum, quòd pia mater Ecclesia velit obligare ad mortale, quando materia est leuis ante monitionem Iudicis. Petis, quando peccabit mortaliter trãsgressor huiusmodi le

di legis? Respondeo, quando non obedierit vltimæ monitioni Iudicis, post quam monitionem poterit Iudex illum de facto excommunicare: tunc enim iam est contumax & dignus, vt excommunicetur.

Contrà arguitur ad probandum, quòd quando lex præcepit aliquid sub excommunicatione, semper obligat sub mortali, licèt materia sit leuis: nam aliàs sequeretur, nullum esse discrimen inter legem ecclesiasticam nó imponentem pœnam, & inter legem imponentem pœnam excommunicationis. Probatur sequela: nam quando materia est grauis, licèt lex non comminetur excommunicationem, obligabit ad mortale. Respondetur, negando sequelam. Et ad probationem dicimus magnum esse discrimen: nam quãdo lex non comminatur excommunicationem, nunquam obligabit sub mortali, si materia sit leuis, at verò quando cõminatur excommunicationem, aliquando obligabit, vt quando præcessit iam admonitio Iudicis, verbi gratia, in c. si quis. de vita & honest. clericorum. & in can. si quis. 23. d. est imposita excommunicatio comminatoria contra clericum relaxantem comam, & contra eum, qui Sacerdote verbum faciente in Ecclesia, si transgreditur post talem monitionem, peccabit mortaliter, at verò si non esset imposita excommuninatio, non peccaret mortaliter.

Tertia verò pars, scilicet quòd quãdo materia esset multùm grauis, quamuis requiratur alia monitio, vtpote quia lex ita statuit, obligabit ad mortale, quãuis nulla imponeretur pœna; ergo hæc obligatio non tollitur per hoc, quòd ad infligendam excommunicationem requiratur alia monitio. Sed hîc maximè aduertendum est cum Couar. c. alma mater. 1. p. §. 9. n. 5. versiculo trina verò. quòd quando post canonem comminantem excommunicationem requiritur monitio, sufficit vna. Petis, quæ materia erit grauis? Respondeo, quando hîc & nunc attentis omnibus circunstantiis conducit ad consequendum aliquod magnum bonum, vel vitandum aliquod graue malum, siue res illa sit aliàs præcepta, siue non. Verbi gratia, præcipiunt Inquisitores sub excommunicatione, vt omnes confluant in templum ad audiendum edictum fidei, obligat sub mortali, quia est ad exaltationem fidei, & vt sciant homines, quæ sint denuncianda Inquisitoribus; idem dico, si sæuiente peste vel bello præcipiat Prælatus sub excommunicatione, vt omnes confluant ad processionem pro salute & pace Reipublicæ. ita Sot. art. 2. citato corol. 1. denique in particulari arbitrio boni viri relinquendum est. Hæc autem præcepta intelligenda sunt comprehendere illos, qui sine incommodo ire possunt: nam verba generalia ciuiliter & politicè intelligenda sunt cessante impedimento, vt tradit Sylvest. ver. excommunicatio. 2. n. 1. casu 12. Iam ad argumenta primæ opinionis.

Ad primum respondetur, illam maiorem solùm esse veram, quando pœna taliter adiungitur legi, quòd post transgressionem possit infligi sine alia monitione.

Ad secundum respondetur, concedo maiorem, & ad minorem dicimus, quòd quando requiritur alia monitio, non intendunt obligare sub mortali, quantùm est ex vi pœnæ, secus esset ex parte materiæ, vt sit multùm grauis.

DVBITATVR quartò, quid secundùm prædicta affirmãdum sit de illo motu proprio Pij V. qui incipit, *De salute gregis Dominici*, vbi clericis in sacris, & religiosis prohibet sub excommunicatione comminatoria, ne intersint agitationi taurorum. Dico, *comminatoria*: nam quamuis nonnulli viri grauissimi dixerint hanc excommunicationem esse latæ sententiæ, tamen reuera solùm est comminatoria, & ita tenet Ludouicus Lopez infrà citãdus. Nec obstat quòd postquam Pius V. posuit excommunicationem latæ sententiæ contra Principes seculares, Magistratus, & Gubernatores, qui permiserint agitationes

nes taurorum in suis terris, & prohibuit secularibus huiusmodi agitationes, ait, clericis quoque tam regularibus quàm *secularibus beneficia ecclesiastica obtinentibus, vel in sacris ordinibus constitutis, sub excommunicationis pœna, ne eisdem spectaculis intersint, similiter prohibemus*; non, inquam, obstat, nam illud aduerbium, *similiter*, non refert excommunicationem latæ sententiæ, sed prohibitionem immediatè præcedentem, per quam interdicit secularibus, ne agitent tauros, & est ac si diceret, Clericis etiam prohibemus, addendo pœnam excommunicationis, quam non imposuerat contra seculares agitantes tauros. Cui explicationi multùm fauet canon excommunicatos. 11. quæst. 5. vbi dicitur, quod participans cum excommunicato similiter excommunicationi subiacebit, vbi non est sensus, quòd incurret excommunicationem maiorem, sed sensus est, subiacebit etiam excommunicationi, minori tamen. Itaque aduerbium, *similiter*, refert excommunicationem, sed non maiorem.

Hoc supposito, aliqui absolutè tenent, quòd peccant mortaliter non seruantes hunc motum proprium. ita tenet expresè Ludouic. Lopez in instructorio conscientiæ. 2. p. c. 31. q. 4. Ignatius Lopez de Mendoça in pract. criminali canonica. c. 72. in fine, & Nauar. lib. 2. de restitut. p. 2. cap. 3. difficult. 14. num. 302. Idem etiam tenent omnes qui in dubio præcedenti, in opinione prima dixerunt, quòd quotiescunque præcipitur aliquid sub excommunicatione comminatoria, obligat ad mortale, siue requiratur alia monitio, siue non, & hoc quamuis materia sit leuis in se. Ex his verò autoribus, qui in secunda opinione tenuerunt legem comminantem excommunicationem non obligare ad mortale, si requiratur alia monitio, aliqui tenent quòd peccant mortaliter clerici & Religiosi, quamuis assistant in occulto, & secluso omni scandalo, quia iudicant materiam hanc esse grauem; alij verò dicunt, quòd fortassis ante omnem monitionem peccabunt mortaliter ratione materiæ grauis, & post monitionem citra omnem controuersiam peccabunt mortaliter. Ego verò

Dico primò, vbi motus proprius receptus est, & Prælati admonent clericos, ne assistant huiusmodi spectaculis, qui non obedierint, peccabunt mortaliter.

Dico secundò, clerici in sacris vel Religiosi publicè assistentes huiusmodi spectaculis mortaliter peccabunt, etiam ante monitionem Prælati: nam assistere hoc modo est materia grauis huiusmodi personis, quæ profitentur abrenunciare secularem vitam: nam, vt bene ait Medina 1. 2. q. 96. art. 4. post regulam 5. multa præcipiuntur clericis & religiosis, quæ licèt secundùm se videantur leuia, tamen quia maximè conducunt ad decentiam & honestatem requisitam clericis & Religiosis fit grauis, & præter autores citatos subscripsêre huic sententiæ plures Theologi & Iuristæ huius Limensis Academiæ, & Doctor Valcaçar, Prouisor huius diœcesis, dixit hunc motum proprium esse receptum hîc in hoc Archiepiscopatu.

Dico tertiò, qui occultè assisterer, non peccaret mortaliter. Probatur; nam huiusmodi assistentia non est tam indecens statui clericali, sicut assistentia publica.

Dico quartò, etiam stando in opinione illorum, qui dicunt omnem legem comminantem excommunicationem obligare ad mortale, siue requiratur monitio, siue non, si aliquis clericus vel Religiosus ex loco distante, ita vt mortaliter non censeretur interesse agitationi taurorum, posset videre tauros secluso scandalo, non peccaret mortaliter, imò nec venialiter contra motum proprium; vt si videret ex turri alta & distanti ab ipsa platea, vbi agitantur. Probatur: nam quando locus est ita distans, qui ibi est non censetur assistere huiusmodi spectaculis, & ita tenent aliqui viri docti. Dixi, *nec venialiter contra motum proprium*: nam aliunde poterit peccare venialiter ex vna curiositate, vel alia de causa.

Dico quintò, personæ prohibitæ hoc motu proprio sunt omnes Religiosi professi solenniter, vel qui in Societate elapso biennio emiserunt vota, non tamen Religiosi nouitij, quia non sunt propriè Religiosi, & pœnæ benignè sunt interpretandæ; excipiuntur tamen ex Greg. XIII. laici Religiosi militares quorumcunque ordinum militarium, dummodo non sint initiati sacris; non tamen excipiuntur Religiosi clerici conuentuales eorundem ordinum, licèt non sint initiati sacris: nam hi includuntur in motu proprio Pij V. & non excipiuntur à Greg. XIII. Vtrùm autem hic motus proprius comprehendat moniales, ratio dubitandi est: nam Pius V. solùm loquitur de clericis tam regularibus quàm secularibus; moniales autem non sunt clerici regulares, & licèt in materia fauorabili nomine clerici intelligantur etiam moniales, vt in can. si quis suadente, nam fauores sunt ampliandi; tamẽ in materia odiosa, qualis est ista, videtur quòd non comprehendantur; nihilominus quia magis est attendenda mens legislatoris, quàm verborum superficies,

Dico sextò, quòd comprehenduntur moniales, & ita declarauit praxis, quæ est optima legum interpres. Sic tenent viri docti, & probatur: nam ratio indecentiæ, quæ mouit Pontificem, fortiùs currit in monialibus; vtrùm autem comprehendatur quilibet beneficiarius, licèt non habeat ordinem sacrum?

Dico septimò, si beneficium sit ita tenue, vt non teneantur recitare horas Canonicas, non comprehenditur: nam secundùm communem existimationem, quando fructus sunt ita tenues, reputantur nulli, & perinde est ac si non haberet beneficium præcipuè in materia odiosa. ita nonnulli viri docti.

Dico octauò, clerici vel Religiosi, qui in atrio, vel in clausto, vel in agro agitãt, vel assistunt agitationi viruli etiam masculi, non irritando illum spiculis (scilicet *con garrochas*) non faciunt contra motum proprium: nam intentio Pij V. fuit, prohibere illam taurorum agitationem, ex qua frequenter sequũtur mortes, vulnera, & alia huiusmodi nocumenta, quæ inconuenientia cessant in hoc casu, & cessante fine legis, cessat lex. ita Nau. c. 15. num. 18. Postquam hæc scripta sunt, exiit quidam motus proprius sanctissimi Domini nostri Clementis Papæ VIII. in quo moderatus est motus proprius Pij V. suprà relatus, qui videri debet, vt quid nunc tenendũ sit in dubitatione proposita cognoscatur.

DVBITATVR quintò, quando lex comminatur excommunicationẽ, & non requiritur alia monitio, vtrùm possit tũc Iudex statim excõmunicare trãsgressores?

Prima conclusio. Licitè poterit ferre excommunicationem sine alia monitione, sed melius faciet, si præmittat vnam saltem monitionem, ita Couar. cap. alma mater. 1. p. §. 9. n. 5.

Secunda conclusio. Non poterit excõmunicare sine citatione, dando ei terminum ad allegandum pro se. ita Soto d. 22. q. 2. ar. in 2. concl. Quod adeò verum est, vt etiam quando lex excommunicat ipso facto, non possit Iudex declarare excommunicatum transgressorem sine citatione, vt docet Philippus Decius. c. peruenit. el 1. de appellationibus. Nauar. c. 27. n. 10. & lib. 5. Const. tit. de sententia excommunicationis. consil. 20. num. 4. & alij multi, quos refert & sequitur Cou. num. citato circa finem. nisi delictum esset notorium, pro qua limitatione facit quod tradit ipse Couar. ibidem, num. 6. versiculo, & hæc quidem. Eandem ponit Nauar. consil. citato, & adeò verum requiri citationem ad declarandum transgressorem incurrisse excommunicationem iuris ipso facto impositam, vt si aliter fiat, declaratio sit nulla. ita tenent multi Doctores, quos refert & sequitur Couar. ibd. n. 5. & Nauar. consil. citato.

Notandum tamen est, quòd licèt Iudex omittat citationem, non incurret pœnas impositas contra omittẽtes monitionem canonicam, de quibus diximus c. 2. dub. 3. quia

quia pœnæ non sunt ampliandæ. Sed est argumentum ad probandum quòd nullo modo possit ferri excommunicatio contra transgredientes regem comminantem excommunicationem, nisi præcedat aliqua monitio, post ipsam transgressionem: nam excommunicatio non potest ferri nisi contra inobedientem & cõtumacem, sed fieri potest quòd postquam iste violauit legem, pœniteat, & non sit contumax; ergo nullo modo potest excommunicari nisi præcedat monitio. Respõdetur, quòd Ecclesia præsumit illum contumacem & perseuerantem in peccato: nam in foro exteriori semel malus, semper præsumitur malus, nisi constet oppositum.

DVBITATVR sextò, vtrùm sufficiat quodlibet mortale peccatum ad ferẽdam maiorem excommunicationem?

Prima conclusio. Non sufficit quodlibet peccatum mortale, nisi sit peccatũ inobedientiæ & cõtumaciæ. ita Sot. d. 22. q. 1. ar. 2. cõcl. 2. Couar. c. alma mater. p. 1. §. 9. n. 1. & omnes Doctores, & est decreta in can. nemo Episcoporum. 11. q. 3. & can. certũ est, eodem tit. Et probatur ex verbis Christi Matth. 18. *Si Ecclesiam non audierit*, id est, si Ecclesiæ non obedierit, *sit tibi sicut ethnicus & publicanus*; & ratione probatur: nam cùm excommunicatio separet hominem à conuictu fidelium, à suffragiis & orationibus Ecclesiæ natura sua petit, vt non feratur nisi contra illum, qui per inobedientiem se ipsum subducit ab Ecclesia. Sed pro intelligentia conclusionis notandum, quòd dupliciter potest aliquis esse inobediens Ecclesiæ. Primo modo, quia transgreditur aliquod Ecclesiæ præceptum obligans ad mortale, & hæc dicitur inobedientia generalis. Secundo modo, quando peccat contra aliquod præceptum habens annexam excommunicationem latam vel ferendam, & hæc inobedientia facit cõtumaciam propriè dictam: nam tunc contemnit homo claues Ecclesiæ, siquidem non timet grauissimam pœnam omnium, quas Ecclesia potest infligere. Et de hac inobedientia intelligitur conclusio posita, ex quo sequitur peccatum inobedientiæ non esse sufficiens ad ferendam excommunicationem, nisi præcedat monitio sub commination excommunicationis siue à iure, siue ab homine. hoc corollarium tenet Sylues. verb. excommunicatio. 1. num. 11. Sot. sup. concluſ. 3.

Secunda conclusio. Ideo dixi, *sub commination excommunicationis*, quia nulla sufficiet contumacia, quæ non sit contra mandatum sub excommunicatione, quidquid videatur sentire Couar. sup. num. 6. versiculo, & hæc quidem: nam c. sacro. & c. contingit. el 2. de sent. excommunicationis. requirunt monitionem continentem pœnam excommunicationis.

Notandum tamen est, quòd tripliciter contingit aliquem esse contumacem. Primo modo, quando vocatus à Iudice ecclesiastico sub excommunicationis pœna, non comparet. Secundo, quando licèt compareat, discedit tamen ante licentiam vel sententiam Iudicis. Tertio, quando licet compareat & perseuerat vsque ad sententiam Iudicis, tamen postea non vult parerè sententiæ. Hic triplex modus contumacię ponitur in can. certum est. 11. q. 3.

DVBITATVR septimò, quot debeant præcedere monitiones?

Prima conclusio. Quando excommunicatio est à iure, sufficit vna monitio: nam cùm hæc sit solennis, valet pro trina, imò pro mille. lex enim ipsa quotidie admonet.

Secunda conclusio. Quando excommunicatio est ab homine, debet præcedere trina monitio, vt decernitur c. contingit. el 2. & c. constitutionem. de sententia excommunicationis. & can. omnes decimæ. 16 qu. 7. & satis apertè colligitur ex ordine correctionis fraternæ Matth. 19. vbi ponuntur tres admonitiones; prima secreta, secunda coram testibus, tertia coram Ecclesia scilicet coram Prælato. Contrà: nam Paulus ad Titum 3. ait, *Hæreticum hominem post vnam & secundam correctionem deuita*; ergo non requiritur trina monitio.

Respon

Reſponderur, quòd licèt ibi non numerentur expreſſè tres monitiones, tamen Eccleſia ex loco Matth.citato declarauit tres eſſe neceſſarias.

Tertia concluſio. Quamuis iſta monitio regulariter debeat eſſe perſonalis, nec ſufficiat fieri in domo illius, qui excommunicandus eſt, tamen ſi ipſe malitiosè latiter, ſatis eſt quòd fiat in eius domo, vt ex Innocent. & aliis notat Couar. §. 9. citato num. 4. caſu 1. & allegat c. quoniam frequenter. vt lite non conteſtata, in illis verbis, *ſeu ſit abſens abſque malitia, vt conueniri non poſſit*; ſed ego allego textum adhuc meliorem in Clem. 2. vt lite pendente, in illis verbis, *poſtquam à Iudice competenti citatio emanauit, & ad partem citatam peruenit, vel per eum factum fuit, quominus ad eius notitiam perueniret.* Quid autem ſit latitare, videte l. Fulcinius. §. 1. verſiculo, quid ſit latitare. ff. quibus ex cauſis in poſſeſſionem eatur. Videte Couar. ibidem, vbi refert alios tres caſus, in quibus non requiritur monitio perſonalis; videte etiam Clementin. cauſam. de elect.

Quarta concluſio. Iudex qui excommunicat non præmiſſa trina monitione, vel vna pro tribus, manet ſuſpenſus per vnum menſem ab ingreſſu Eccleſiæ, & afficitur aliis pœnis, vt habetur c. ſacro. & c. cùm medicinalis. de ſentent. excommunicationis, in 6. ex quo inferunt Soto ſup. & Nauar. c. 27. numer. 8. quòd talis Iudex peccabit mortaliter; verum eſt quòd hæc pœna ſuſpenſionis non comprehendit Epiſcopos, iuxta c. quia periculoſum. de ſentent. excommunicat. in 6. Dixi, *vel vna pro tribus*, quia hæc ſufficit, vt habetur cap. conſtitutionem. de ſentent. excommunicationis. in 6. Hæc autem monitio debet fieri cum competenti interuallo aliquorum dierum, niſi neceſſitas aliud expoſcat. d. c. conſtitutionem. verbi gratia, *Admouemus te, vt intra nouem dies, vel ſex, vel tres horas, quos tibi aſſignamus pro tribus diſtinctis canonicis monitionibus, ſatisfacias, vel compareas in iudicio.* Et quamuis Sot. ſuprà, & Conimbricenſ. quæſt. 23. art. 3. dub. 2 dicant non eſſe licitũ, quòd præmittatur vna monitio pro tribus, niſi adſit vrgentiſſima cauſa, vt ſi clericus raperetur ad ſupplicium, imò Conimb. dicit quòd eſt mortale, adducit Soto pro ſe dictum c. conſtitutionem. nihilominus ſit

Quinta concluſio. Non peccabit Iudex præmittens vnam monitionem pro tribus, cum competentibus interuallis ſecundùm præſentes circunſtantias. ſic aliqui viri docti, & Henr. li. 13. de excommunicat. c. 17. num. 3. lit. O. Et videtur apertè ſententia Cauar. §. citato. num. 5. verſiculo, monitio. Sylueſ. ver. excommunicatio. 1. num. 12. Nauar. c. 27. num. 10. & hoc eſt iam vſu receptum. Et ad c. cõſtitutionem. dicimus, quòd potiùs fauet nobis: nam abſolutè dicit, quòd Iudices ſiue monitionibus tribus vtantur, ſiue vna pro tribus. Ex quo ſequitur, quòd canonica monitio dicitur in iure tres monitiones, vel vna pro tribus.

DVBITATVR octauò, vtrùm Prælati Religionum teneantur præmittere canonicam monitionem in ferendis excommunicationibus? Concluſio affirmatiua, quòd tenentur, aliàs incident in pœnas iuris relatas ſup. c. 2. dub. 3. hanc tenet Palud. in 4. d. 18. q. 4. Sylu. ver. excommunicatio. 1. §. 14. Nauar. c. 27. numer. 8. contrà Gab. in 4. d. 18. q. 2. concl. 7. & Angel. ver. excommunicatio. 1. Et quamuis Prælati mendicantium habeant priuilegium, vt poſſint ferre ſententiam excommunicationis ſolo verbo ſine ſcriptis, vt habetur in compend. minorum. ver. excommunicatio. §. 7. non tamen habent priuilegium ad omittendam canonicam monitionem.

DVBITATVR nonò, vtrùm canonica monitio, nempe vel tres monitiones, vel vna pro tribus, ſit de eſſentia excommunicationis, ita vt aliàs excommunicatio ſit nulla? Cõcluſio, quòd licèt excommunicatio, quando prætermiſſa eſt canonica monitio, ſit iniuſta, nihilominus erit valida; ita Soto d. 22. quæ. 1. ar. 2. verſiculo

quòd

quòd si scisciteris. Nauarr. cap. 27. num. 8. Conimb. qu. 23. ar. 3. dub. 3. Couar. c. alma mater. p. 1. §. 9 num. 7. vbi dicit esse communem, quam efficaciter probant Doctores, ex c. Romana Ecclesia. de sentent. excommunicationis. in 6. vbi habetur, quòd Iudices non ferant sententias excommunicationis sine competenti monitione, & si contrà præsumpserint, iniustas nouerint esse illas; pondera quòd dicit iniustas. non tamen nullas, vbi idem tenet glossa verbo, iniustas. Ab hac tamen regula excipienda est excommunicatio lata à Iudice contra participantes cum excommunicato ab ipso Iudice, vt habetur c. statuimus. de sentent. excommunicationis. in 6. & c. constitutiones. eodem tit. de quo plura dicemus in c. 6. Petis, vtrùm etiam sit excipienda excommunicatio lata à Iudice delegato? Respondeo breuiter, quòd si in eodem scripto delegatur iurisdictio cum potestate excommunicandi trina canonica monitione præmissa, si prætermittatur trina monitio, excommunicatio erit nulla. ita docet Innocent. c. finali. de restit. spoliatorum. Geminia. in dicto c. Romana Ecclesia. §. sed neque. Couar. sup. & est sententia communis. Et ratio est, quia in hoc casu forma datur iurisdictioni, & non Iudici. Iam quòd canonica monitio non est de essentia excommunicationis,

DVBITATVR decimò, vtrùm saltem aliqua monitio sit de essentia? Quod est quærere, vtrùm pro culpa merè præterita, quam nulla præcessit monitio nec à iure, nec ab homine, possit ferri excommunicatio?

Prima opinio tenet, Ecclesiam posse de plenitudine potestatis excommunicare pro huiusmodi peccato, & hanc potestatem concessam esse omnibus, qui iure diuino habent potestatem excommunicandi, quamuis per ius commune sit illis prohibitum. Hanc tenet Caiet. 2. 2. q. 69. ar. 2. Cordub. in Quæstionar. libr. 2. q. 27. & nonnulli discipuli D. Thom. & in eam videtur inclinare Couar. §. 9. citato num. 6. versiculo, & hæc quidem. Quæ opinio probatur primò. Suffragia Ecclesiæ applicãtur fidelibus ex peculiari intẽtione Ecclesiæ; ergo si Ecclesia nolit ea applicare alicui pro peccato merè præterito, iste non gaudebit illis. Confirmatur. Excommunicatio est quædam pœna ecclesiastica; ergò nõ implicat ferri sine admonitione, sicut & aliæ pœnæ. Secundò, stando in iure diuino non magis requiritur vna monitio quàm trina; sicut trina non est de essentia, vt diximus dubio præcedenti; ergo nec vna. Maior probatur. Monitio est necessaria ad excommunicationem, habetur ex Matth. 18. sed ibi ponitur trina monitio; ergo stando in iure diuino, non magis requiritur vna quàm trina. Tertiò: nam de facto videmus impositam fuisse excommunicationem pro peccato merè præterito: Ambrosius enim excommunicauit Theodosium pro occisione innocentium, quos apud Thessalonicenses interfecerat, vt habetur can. duo sunt. 96. d. & Syluester Papa excommunicauit Guilisarium Patricium, & complices, qui cum dolo comprehenderant, & in exilium miserant, vt habetur can. Guilisarius. 23. q. 4. & B. Gregorius excommunicauit quendam diffamatorem occultum, qui libellum famosum in publicum ediderat; vt habetur can. quidam maligni. 5. quæst. 1. imò & Paulus 1. Cor. in 5. excommunicauit incestuosum nulla præmissa monitione.

Secunda opinio & vera est huic opposita, scilicet quòd excommunicatio non potest ferri pro peccato præterito, quòd nulla præcessit monitio, & si feratur, erit nulla, atque adeò aliqua monitio est de essentia excommunicationis. sic Sot. d. 22. q. 1. art. 2. concl. 4. & 5. de iust. & iure. q. 6. artic. 2. col. 6. Conimb. q. 23. ar. 3. dub. 3. & Mexica difficultate 3. dub. 3. Petrus de Soto lect. 3. de excommunicat. Victoria n. 6. Nau. c. 28. num. 10. vbi citat Innocentium & alios, & multi discipuli D. Th. Et intelligit hæc sententia, quòd Ecclesia non potest etiam de plenitudine potestatis. Et probatur primò, potestas excommuni-

candi solùm est concessa Ecclesiæ contra rebelles & contumaces, qui eam non audiunt, sed nullus dicitur contumax & rebellis Ecclesiæ, ita vt sit dignus excommunicatione, nisi moniatur ab Ecclesia non quomodocunque, sed sub excommunicationis pœna; ergo. Maior patet ex verbis Christi, Matth. 18. *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi tanquam ethnicus*, &c. Et in Concilio Rothomagensi, & refertur canone omnes decimæ. 16. quæst. 7. dicitur esse præceptum diuinum, quòd homo admoneatur, antequam excommunicetur, idem habetur can. de presbyterorum. 17. q. 4. & facit illud ad Titũ 3. *Hereticum hominẽ post primam & secundam correctionem deuita.* Minor, in qua est tota difficultas, probatur: nam quando Ecclesia non admonet sub excommunicatione, non censetur quis contumax, nec contemptor ecclesiasticæ potestatis, nec clauiũ Ecclesiæ, quia fortè paratus est obedire, quando moneatur sub excommunicatione: at verò quando monetur sub excommunicatione, cùm Ecclesia non habeat efficacius remedium ad corrigendum eum, iam est contumax, & censetur contemnere claues & potestatem Ecclesiæ. Confirmatur, quia noluit Christus quemquam puniri vltima pœna ecclesiastica, qualis est excommunicatio, nisi priùs admoneatur de illa. Secundò, Ecclesia nunquam vsa est hac potestate; ergo signum est, quòd non habeat eam.

Ad primum respondetur, quòd intentio Ecclesiæ in denegandis suffragiis regulanda est secundùm dispositionẽ Christi, Christus autem non contulit Ecclesiæ potestatem ad denegandum suffragia, nisi præcedente monitione sub excõmunicatione. Ad confirmationem negatur cõsequentia: nam hoc est peculiare in pœna excommunicationis, quòd requirat contumaciam.

Ad secundum negatur maior: nam cõtumacia esse potest sine trina monitione, non tamen sine vna. Et ad probationem respondetur, quòd ille ordo Euangelicus, & illa trina monitio ponitur non tãquam de essentia excommunicationis, sed tanquam necessarius ad hoc, vt peccatum illud possit venire in iudicium.

Ad tertium respondetur primò, quòd Ambrosius non excommunicauit Theodosium, sed solùm interdixit illi ingressum Ecclesiæ. Respõdetur secundò, quòd si excommunicauit illum, non fuit pro peccato merè præterito, sed iussit sub excommunicatione, vt satisfaceret, & publicam ageret pœnitentiam; & eodem modo respondetur ad illud Sylvest. similiter etiam respondetur ad illud Gregorij: dicimus enim quòd non excommunicauit illum diffamatorem pro peccato præterito, sed nisi seipsum proderet, ad quod ipse aliàs tenebatur iure naturę, si non poterat aliter resarcire famam, dũmodo non immineret illi periculum capitis. Et cum his limitationibus intelligendum est illud Chrysostomi, *Non dico vt te prodas*, can. quis aliquando. de pœnit. d. 1. Ad illud Pauli dicimus, quòd iam monuerat illum incestuosum, vt colligitur ex vltimis verbis capitis quarti.

Ex dictis facilè patet decisio cuiusdam quæstionis, quam mouet Couar. §. 9. citato, vtrùm excommunicatio possit imponi pro peccatis futuris, quam nonnulli diffusè disputant, sed facillima est resolutio. Vnde dicendum est, quòd benè potest imponi: nam eo ipso quòd ius vel Iudex prohibet aliquod peccatum sub pœna excommunicationis, sufficienter monet.

Secundò, sequitur quòd quicunque excusatur à peccato contumaciæ, licèt aliàs peccet alio peccato, non incurret excommunicationem, vt latiùs dicemus c. 6. Vidimus requiri contumaciam ad excommunicandum.

DVBITATVR vndecimò, vtrùm qui committit aliquod peccatum habens annexam excommunicationem, peccet duplici peccato? Partem affirmatiuam tenet Pater Henr. in Sum. tom. 1. libr. 5. de sacramentis. c. 7. num. 2. Probat, quia illud peccatum est contra specialem virtutem obedientiæ.

Prima

Prima conclusio. Per se loquendo non committit duo peccata; probatur, quia nullum est speciale præceptum prohibens, quòd nullus incurrat excommunicationem, sed tantùm prohibet peccatum, ob quod imponitur excommunicatio. Secundò: nam ad incurrẽdam excommunicationem non requiritur inobedientia formalis, quæ quidem est speciale peccatum, sed satis est inobedientia, & contumacia contra præceptum continens pœnam excommunicationis (quamuis tunc in foro exteriori fortassis præsumetur inobedientia formalis.) Pro cuius maiori explicatione notandum est, quòd inobedientia formalis est illa, quãdo motiuum, & ratio formalis violandi præceptum, est ipsũ non obedire, & hæc est contra virtutem obedientiæ, prout est virtus specialis. Inobedientia generalis est, quando motiuum violendi præceptum non est ipsum non obedire, sed aliquod bonum vtile vel delectabile; vt quando homo frangit præceptum ieiunij propter appetitum cibi, & per hoc ruit fundamentum P. Henrici. Contra ergo, qui percussit sacerdotem satis faciet, si cõfiteatur, percussi hominem. Negatur consequentia: nam tenetur explicare illam circunstantiam personæ, non quidem ratione excommunicationis, sed quia fuit sacrilegiũ, vt apertè docet D.Th. 2.2.q.99.ar.3.ad 2.vbi dicit quòd verberare Monialem, vel concumbere cum illa, sunt in eadem specie sacrilegij.

Hinc sequitur primò, quòd percutere sacerdotem, esset circunstantia necessariò confitenda, quamuis non haberet annexam excommunicationem. Secundò, sequitur, quòd si quando aliquis cõfitetur, iam est absolutus ab excommunicatione, non tenetur (meo iudicio) confiteri circonstantiam excommunicationis, saltem si proposuit citò exire ab excommunicatione, & loquor quando res prohibita de se erat peccatum: nam aliàs non poterit explicari malitia peccati, nisi explicatur præceptum continẽs pœnam excommunicationis; verbi gratia, Petrus furatus est bona alicuius naufragi, & non restituit, cùm posset, quod peccatum habet annexam excommunicationem in Bulla Cœnæ, si ante confessionem obtinuit absolutionem ab excommunicatione, satis est quòd confiteatur se furatum esse, & non tenetur explicare, quòd erant bona naufragi. Probatur, quia nec mutat speciem, vt diximus, nec aggrauat notabiliter saltem, si, vt dixi, citò proposuit exire ab excommunicatione.

Secunda conclusio. Per accidens loquendo fieri potest, quòd aliquis teneatur sub speciali peccato non incurrere excommunicationem, vel exire ab illa, cùm primùm possit ratione alicuius officij, ad quod tenetur, & cum excommunicatione non potest exerceri. Probatur: nam qui tenetur ad aliquem finem, tenetur auferre impedimenta ad talem finem. Has duas conclusiones tenet Cordub. in Sum.q.11. & aliqui viri docti.

DVBITATVR duodecimò, vtrùm possit Episcopus præcipere sub excommunicatione subditis, quòd diebus festis audiant Missam in Parochia? Conclusio, quòd non potest, & talis excommunicatio non solùm erit iniusta, sed etiam nulla; ita Sylu.verbo, Missa.§.3.Nau.c.21.n.5. dicto 3.Pedraza in Summa præcepto 5.§. 2. Tenet Gutierrez Canonic. quæstion.c. 30.num.22.Medin.in Sum.lib.1.§.40.qui duo dicunt peccare mortaliter Episcopũ, ferẽdo huiusmodi excommunicationem. Probatur primò; nam Episcopi non possunt tollere consuetudines habentes vim legis communis, qualis est hæc consuetudo audiendi Missam alibi, quàm in Parochia. Secundò: nam est cõtra priuilegium Leonis X. concessum Mendicantibus, vt fideles adimpleant præceptum audiendo Missam in eorum monasteriis, vt refertur in Compend. nostræ Societatis. verbo, Missa.§.2.& refertur à Nau.sup.vbi etiam testatur fuisse confirmatum per Pium V Si opponas verba Concilij Trid. sess. 22. Decreto de obseruandis in Missa, in fine. vbi dicitur, *Hæc omnia prohibeant, mandent,*

corrigant censuris ecclesiasticis, aliisque pœnis. Respondeo, quòd hæc verba non comprehendunt nostrum casum, sed alios multos præcedentes in eodem decreto, qui quoniam illiciti sunt, & debent prohiberi ab Episcopo, vt præcipit ibi Conci. ideo additur quòd possint vti censuris; at verò Concil. non prædixerat quòd Episcopi mandent fidelibus vt accedant ad Parochias, sed quòd moneant; ergo excommunicatio non comprehendit hunc casum, siquidem imponi non potest nisi per mandatum vel prohibitionem, aliàs esset contradictio in verbis Concilij. Confirmo hanc solutionem: nam clausula in fine posita non refertur ad proximiora; si ex tali relatione resultaret absurditas. ita Panormit. c. postulasti de iure patron. n. 7: Confirmatur etiam: nam vna iura declarant alia. c. cùm expediat. de electione. in 6. sed Concilium sess. 25. cap. 3. de reformatio. ait quòd gladius excommunicationis sobriè, magnáque circunspectione exercendus est, &c. non est præsumendum quòd prætenderit Concil. vt Episcopi hoc præciperent sub excommunicatione cum tanto scandalo fidelium, vt ait Nau. num. citato in fine, & cum detrimento deuotionis eorum. Denique regula est Iuris, quòd licèt aliqua lex secundùm corticem literæ videatur aliquid dicere, tamẽ si hic sensus est peregrinus & absonus, non est legitimus sensus legis.

Dispvtatio II.

De excommunicationibus, quæ feruntur pro damno temporali.

Dvbitatvr primò, vtrùm pro damno temporali possit ferri excommunicatio maior? Prima conclusio. Licèt excommunicatio imposita pro quacunque mortali contumacia sit valida, nihilominus non debet ferri nisi pro graui & enormi peccato. Hanc tenet Soto n. 22. qu. 1. art. 2. post quartam conclusionem, & alij Doctores. Prima pars est manifesta; secunda verò probatur: nam antiquitùs non imponebatur excommunicatio maior, nisi pro grauibus & enormibus peccatis, vnde Paul. 1. Cor. 5. antequam ferret excommunicationem contra incestuosum, exaggerauit grauitatem criminis, dicens: *Auditur inter vos fornicatio, & talis fornicatio, qualis nec inter gentes.* Et can. ecce autem. 24. q. 3. dicitur priùs applicãdum esse leue medicamentum, deinde velut igne piæ increpationis vrendum vulnus, deinde si hæc non suffecerint, resecandum putridum membrum; videte cantam sacerdotes, eodem tit. & can. nullus. 11. qu. 3. Et Trident. sess. 25. c. 3. (caput hoc enim comprehendit statuta Religionum. N. 1. conf. 75. de reg. ad 14. dub.) de reformat. admonet Prælatos, *vt sobriè & magna cum circunspectione hoc gladio spirituali vtantur, cùm experientia doceat, si timerè, aut leuibus ex rebus incutiatur, magis contemni, quàm formidari, & perniciem potiùs parere, quàm salutem, &c.*

Secunda conclusio. Excommunicatio maior licitè potest ferri pro damno temporali, dummodo damnum sit graue; & damnificator sit occultus; quòd cum his conditionibus licitè possit ferri. Hanc latissimè probat Gutierrez Canoni. quæst. c. 11. à num. 11. Probatur primò, ex Praxi Ordinariorum; secũdò: nam licèt potestas Ecclesiæ directè & per se solùm versetur circa bona spiritualia, tamen indirectè potest versari circa temporalia in ordine ad spiritualia; quòd verò damnum debeat esse graue, patet ex Tridentino loco citato, vbi dicit, quòd *excommunicationes pro furtis non debent ferri nisi ab Episcopo, & pro re non vulgari.*

Ex quo infertur cum Soto suprà, malè facere ordinarios, qui pro rebus parui momenti ferunt excommunicationem; imò Victoria in Sum. de excommunicat. n. 334. secundùm meam impressionem, dicit grauiter peccare; & ita tenent aliqui viri docti; vnde Gerson. 3. p. lib. de vita spirituali. lect. 4. corol. 7. huiusmodi Iudices comparat illi homini, qui volens abigere

abigere muscam à fronte vicini, eum secuti percutiens occidit; denique quòd damnificator debeat esse occultus, patet: nam quando debitor & debitum sunt noti, non licet per excommunicationem cogere ad soluendum, quoniam esset vsurpare iudicium secularis Iudicis, vt tenent communiter Doctores, quod intelligo non solùm in prima instantia, sed etiam in gradu appellationis. Probatur ex c. causam. el 2. qui filij sint legitimi. vbi Alexander III. agens de quadam possessione rerum temporalium, ait ad Regem pertinere iudicare de tali possessione. Præterea probatur ex Concil. loco citato, & ita obseruatur in praxi, quòd petens ab Episcopo huiusmodi chartas excommunicationis pro re sibi sublata, iurat se ignorare, quis surripuerit, hoc autem intelligẽdum est quantùm ad forum omnino seculare: nã in ecclesiastico via ordinata est, quòd procedatur per excommunicationem; vnde ad recuperanda bona Ecclesiæ, vel ad recuperanda bona detenta ab aliquo ecclesiastico, quamuis delinquens & delictum sint noti, potest ferri excommunicatio: verùm etiam in hoc foro tentanda sunt priùs alia media, nempe capere pignora & alia, vt habetur in Trident. quod etiam debet facere Episcopus in foro seculari, quando habet vtramque iurisdictionem, scilicet spiritualem & temporalem. Ita Soto.

Tertia conclusio, causa directa & per se, propter quam feruntur huiusmodi excommunicationes, non est vtilitas temporalis damnificati, sed bonum spirituale delinquentis, scilicet quòd exeat à peccato, vt ait Henri. c. 18. n. 4. in fin. ad quod requiritur vt priùs restituat: non enim dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum. Vtilitas autem temporalis damnificati solùm est causa indirecta; & hac via facilè saluatur, quo modo Episcopi intromittentes se in refarciendis damnis temporalibus non vsurpent iurisdictionem secularem, ita Victoria n. 339. Sed quid si quando delinquens & delictum sunt manifesti, Episcopus de facto ferat excommunicationem?

Quarta conclusio. Quamuis talis excommunicatio erit illicita, valida tamen erit. tenet Neuicanus in sua Sylua nuptiali. lib. 3. n. 48. quem videtur sequi Gutierr. sup. num. 59. & citat glossam final. c. 1. vt lite non contest. Tenent etiam aliqui viri docti, & videtur de mente Nau. c. 27. n. 10. quia solùm dicit quòd non debet eas ferre, & probatur: nam adest materia sufficiens ad constituendum peccatum mortale contumaciæ, & potestas ad excommunicandum. Præterea: nam Trident. solùm ait, *mandatur Iudicibus ordinariis, vt se abstineant*, &c, quæ verba tantùm denotant præceptum, non defectum iurisdictionis. Sed quid si Iudex secularis, qui posset compellere debitorem notum, & non vult?

Quinta conclusio. Iudex potest primò cogi ab ecclesiastico Iudice, vt præstet suum officium: nam potestas ecclesiastica potest corrigere potestatem temporalem, quando non exercet debitè suum officium; quòd si adhuc Iudex secularis nollet, licitè posset Episcopus obligare delinquentem sub excommunicatione, tentatis priùs aliis mediis, vt restituat, quia tunc non vsurparet iurisdictionem; verum est, quòd rarò accidet casus, in quo conueniat hoc facere: nam Trid. præcipit ordinariis vt quandocunque executio realis fieri possit per Iudices seculares, abstineant à censuris.

DVBITATVR secundò, quis posset ferre huiusmodi excommunicationes pro damno temporali? Quam quæstionem tractat Ioannes Gutierrez lib. Canonicarum qq. c. 11. in principio.

Prima conclusio. Nuntius à latere missus ad aliquam Prouinciam bene potest eas ferre; nam gerit vices Papæ, & est veluti imago eius; cap. volentes. de offic. delegati. Nota, quòd Episcopus non potest facere quòd istæ chartæ publicentur in monasterio exempto: inuito Prælato. Et probo ex c. cùm Episcopus. de offic. ordi.

in 6. & etiam ex his quæ tradit P. Henr. li. 7 indulg. c. 26. in fin.

Secunda conclusio. Vicarius generalis Episcopi, id est, Prouisor, etiam potest eas ferre; ita Gutierrez n. 8. & Henr. li. 13. de excommunic. c. 17. n. 4. Probatur: nam est Iudex ordinarius, & ita obseruatur in praxi, vt testatur Gutierrez. Nec obstant verba Trident. sess. 25. cap. 3. de reformat. quòd huiusmodi excommunicationes à nemine prorsus præterquam ab Episcopo decernantur; non, inquam, obstant, quòniam Prouisor exercet eâdem iurisdictionem ordinariâ Episcopi; & hinc est, quòd ab eo non appellatur ad Episcopum, sed ad superiorem. c. Romana. de appellationibus. in 6. nam est idem Consistorium, idem Tribunal. &c. non putamus. de constitutionibus. in 6. & quod Officialis Episcopi facit, Episcopus ipse dicitur facere; vnde Concil. tantùm voluit excludere inferiores Episcopo, & hanc conclusionem intelligo, licèt Vicarius generalis non habeat specialem commissionem. nam, vt dictum est, habet iurisdictionem ordinariam Episcopi, & ferre huiusmodi excommunicationes, pertinet ad potestatem Episcopi, etiam secundùm ius antiquum; quod dico propter aliqua, quæ nunc potest Episcopus ex consuetudine, vt habetur c. 1. de excessibus Prælatorum. & ex c. 3. de consuetudine. in 6. & ibi glossa, & Panor. dicto c. 1. & ex Nauar. 1. Consil. de offic. Iudicis ordinarij. consil. 9. in his enim non habet potestatem Vicarius generalis, nisi sibi specialiter committatur. Contrà: nam huic ampliationi videntur obstare verba congregationis Cardinalium, relata à Gutierrez, nempe Vicarius generalis, & ad id facultatem habens ab Episcopo, potest sine præuia cognitione facta ab ipsomet Episcopo, excommunicationes ad finem reuelationis pro rebus deperditis decernere, dum tamen ipsemet Vicarius causæ cognitionem adhibeat; vbi illa verba, *& ad id facultatem habens*, videntur requirere speciale mandatum in Vicario generali.

Respondetur primò cum Gutierrez, quòd hæc verba referuntur ad potestatem generalem Vicariatus. Secundò, potest dici quòd hæc verba comprehendunt aliam personam distinctam, scilicet illam cui Episcopus dederit speciale mandatum: nam coniunctio, *&*, superflua esset, nisi coniungeret diuersas personas. Coniunctio copulatiua significat diuersitatẽ copulatorum. Nau. de indulg. nor. 33. n. 2. Not. verò, quod Concilium dicit, *nec ad eas concedendas cuiusuis secularis etiam Magistratus autoritate adducatur*; contra quæ verba non faciunt Iudices supremi, si non præcipiendo, sed rogando petunt ab Episcopis monitoria. ita Nau. consil. 66. de præbend. Vide illum.

Tertia conclusio, Capitulum sede vacante potest etiam ferre huiusmodi excommunicationes; ita Gutierrez num. 10. nam iure communi succedit in iurisdictionem Episcopi.

DVBITATVR tertiò, vtrùm detur casus, in quo quis non peccauerit mortaliter in furando, sed solùm venialiter, & tamen quòd ligetur excommunicatione, verbi gratia, multi diuisim ingrediuntur vineam, & singuli accipiunt paruam quãtitatem, & tamen deuastant vineam, si postea fertur excommunicatio pro illo damno, vtrùm singuli ligentur?

Prima conclusio. Si omnes ingrediuntur simul vno consilio, vt consortes, siue vnus eorum fuerit principalis, id est, *Caporal*, siue nullus, quilibet illorum peccauit mortaliter, quia omnes scienter fuerunt vna causa totalis notabilis damni, & consequenter quilibet ligatur excommunicatione, nisi restituat. ita Doctores communiter.

Secunda conclusio. Si non concurrerunt vno cõsilio, nec ex proposito, sed casualiter & fortuitò, nullus peccauit mortaliter in accipiendo, nihilominus ligantur excommunicatione. Prima pars videtur contra Nauar. c. 27. n. 153. & contra Cordub. & Ledesm. infrà citandos; sed est de mente Arragon. 2. 2. quæst. 62. artic. 8. colum.

colum.5. de mente aliquorum virorum doctorum, qui dicunt quòd quilibet istorum solùm tenetur restituere partem illam, quam accepit; ex quo argumentor sic. Iste solùm peccauit contra iustitiam, sed damnum cuius fuit causa, & quod tenetur restituere est paruum; ergo non commisit iniustitiam mortalem. Secunda verò pars probabitur sequenti conclusione.

Tertia conclusio. Si non ingressi sunt simul, nec vnus habuit notitiam alterius, nullus eorũ peccauit mortaliter accipiendo, sed tantùm venialiter, & durante hac ignorantia, nullus tenetur restituere sub mortali; cæterum re comperta quòd fertur excommunicatio contra illos, qui deuastarunt vineam, quilibet tenetur sub mortali restituere suam partem, alioquin ligabitur excõmunicatione. Prima pars est communis apud Doctores; secunda verò licèt non sit ita communis, nihilominus illam tenent multi Doctores. Soto d.22. q.1.ar.2.in 3. casu; & 5. de iust.q.9.art.3. Conimb. qu.18. art. 8. col. 6. Ioseph Angles in floribus Theologicis; Cordub. in Sum.qu. 70. Ludoui. Lopez in Instructorio conscientiæ.p.1.cap.13.dub.1. & Thomist.& satis colligitur ex Couar.1.Variarum.c.3.n.12.& debet necessariò concedi à Medina Cod.de restit. quæst. 10.versicul.ad primum casum, vbi quamuis non faciat mentionem excommunicationis, tamen concedit quòd omnes isti tenentur restituere sub mortali. Probatur hæc sententia: nam excommunicatio aliquando imponitur ratione culpæ, & tunc requiritur culpam esse mortalem, aliquando verò imponitur ratione damni illati, & tũc virtus obediẽtiæ obligat sub mortali ad restituendum, quamuis secluso præcepto Prelati, tantùm teneantur restituere sub veniali. Contrà, excommunicatio non potest directè ferri nisi pro bono spirituali, sed supposito quòd isti non peccarunt mortaliter in accipiendo, non peccant mortaliter in non restituendo; ergo in hoc casu non potest ferri excommunicatio. Respondetur primò, quòd licèt non ferretur excommunicatio, quilibet peccaret mortaliter, non restituendo suam partem; postquam peruenit ad eorum notitiam illis paruis furtis factum esse damnum notabile, quoniam aliàs voluntariè sunt causa, quòd dominus vineæ patiatur graue detrimentum, ita Cordub. & Ledes. locis citatis. Sed nos, sicut diximus in 2. concl. quòd si isti casu & fortuitò ingrederentur simul, nullus eorum peccauit mortaliter, ita etiam modò dicendum est, quòd quando non sunt ingressi simul, quamuis postea sciant illarum esse magnum damnum, nõ tenebũtur sub mortali restituere, antequam feratur excommunicacio, nisi fortè ille qui esset causa, quòd alij non restituerent; vel si omnes vno consilio conuenirẽt in non restituendo. Vnde hac omissa solutione, respondetur secundò, quòd excommunicatio non solùm potest imponi pro peccato mortali eius, qui excommunicatur, sed etiam pro magno damno alteri illato, ordinando hoc in bonum spirituale damnificati, ne scilicet præ inopia desperet, vel exponatur periculo furandi vel committendi alia peccata. Sed hanc sententiam intelligo duabus limitationibus. Prima, quòd si excommunicatio feratur absolutè pro his, qui deuastarunt vineam, non comprehendet istos, quia non est præsumendum, Prelatum voluisse excommunicare nisi eos, qui peccarunt mortaliter deuastando, vt constat ex illis verbis, quæ solent apponi in huiusmodi excommunicationibus, scilicet, *Quitnes de vos otros con poco temor de Dios, y gran peligro de sui conscientias*, &c. at verò tunc comprehenderet istos quando charta excommunicationis expressè contineret quòd ferebatur contra eos, qui deuastarunt vineam, etiam modicam quantitatem accipiendo. hæc limitatio est Nauarræ lib.3.de restit.c.1.dub.8.

Secunda limitatio est Soti & Ludouici Lopez quando id quod ego accepi, est tam minimum, vt pro nihilo reputetur,

vt si accepi vnum racemum: tunc enim non incurro, nam hoc impunè permittitur iter facienti Deuter. 23. ex quo sequitur à fortiori, quòd si excommunicatio feratur propter magnum furtum, verbi gratia, propter mille aureos, & extendatur generaliter ad omnes, qui aliquid rapuerunt ab isto domino, si ego accepi vnum argenteum, non ligor excommunicatione, quia non fui causa totalis nec partialis damni principalis, propter quod pars periuit excommunicationem. Imò dico quòd in casu huius corollarij, quamuis ego accepissem quantitatem sufficientem ad mortale, & aliquid ampliùs, verbi gratia, octo argenteos in Hispania, & viginti in hac Indica regione, non ligabor excommunicatione, quia non præsumitur esse intentionem partis, quòd excommunicatio comprehendat me, nisi fortè per multa furta similia à diuersis facta sit magnum detrimentum.

Quid si detur iste casus metaphysicus, quòd nullus acceperit pluſquam vnum racemum? Respondetur, credo quòd tenetur respondere, & ita dicit Medina sup. quòd peccat mortaliter, non restituendo; ergo à fortiori diceret, quòd ligabitur excommunicatione.

Dubitatur, supposito cum multis autoribus quòd si ex furto rei paruæ sequatur damnum notabile, erit mortale, vt si quis furetur acum à sutore, quem sciebat non habere aliam, ob quod per quatuor dies nihil potest lucrari in officio, si feratur excommunicatio contra eos, qui sutori fecerunt furtum, non comprehendens alia damna, vtrùm ligaret eum, qui furatus est acum? Respondetur quòd non, ita Nauarra supr. dub. 4. Nau. c. 17. num. 4. corol. 3. Aragon. 2. 2. quæst. 66. art. 6. dub. 4. quia istud non dicitur furtum, vt ait Nau. n. 2. §. 5. non enim quodcunque damnum illatum dicitur furtum, sed quando est apprehensio iniusta rei alienæ; iste autem non apprehendit illud lucrum, quod sutor perdidit. Hinc sequitur, quòd excommunicatio lata contra fures nō comprehendit vsurarios, vel alios debitores iniustè debita retinentes; vnde nisi excommunicatio generaliter feratur pro iniustè detentis, vel damnis illatis, solos ablatores comprehendet. Sic Aragon. Restat modò videre vtrùm huiusmodi excommunicationes pro furtis comprehendant omnes, qui acceperunt; sed quoniam hoc habet locum in reliquis excommunicationibus, ideo generaliter tractandum est, & primò disputandum est in generali, quem comprehendat excommunicatio: secundò, in particulari videndum est, quem comprehendant excommunicationes latæ à Prælatis ad reuelandum furta, seu alia delicta, vel res alias.

Dispvt. III.

In generali, quem comprehendat excommunicatio?

Notandvm primò, quòd vt cognoscamus, quas personas comprehendat excommunicatio, siue lata à iure, siue ab homine, considerandæ sunt diligenter verba, & personæ quæ excommunicantur, & actio propter quam excommunicatio fertur: non enim extenditur vltra illa, vt aduertit Caiet. in Sum. verbo, excommunicatio. in princ. & Nauar. c. 27. n. 51.

Secundò notandum, quòd in omni excommunicatione est persona, quæ excommunicatur, & actio propter quam excommunicatur: & quidem de personis ex ipso tenore constabit, vtrùm feratur contra omnes, vel contra certas, vel certam personam; de actione autem difficilius est iudicare: nam actio potest considerari vel ex parte agentis, à quo progreditur, vel ex parte termini, ad quem tendit, & de singulis agendum est. Tractando igitur de personis

Dvbitatvr primò, vtrùm excommunicatio generaliter lata comprehendat Episcopos, quamuis non fiat de illis expressa mentio?

Prima

Prima conclusio, quòd comprehendit illos, nisi expressè excipiantur, ita Sylvest. verb. Episcopus. §. fin. Nauar. c. 27. n. 161. Hinc sequitur, quòd excommunicatio canonis, si quis suadente. comprehendet Episcopum, si iniustè percutiat clericum.

Secunda conclusio. Sententia suspensionis & interdicti non comprehendit Episcopos, nisi de illis fiat expressa mentio. ita Nauar. loco citato. & est text. cap. quia periculosum, de sententia excommunicationis. in 6. Iam tractandum est de actione ex parte agentis; & ideo

DVBITATVR secundò, vtrùm excommunicatio lata cõtra facientes, comprehendat mandantes vel consulentes?

Partem affirmatiuam tenet Panormit. c. significauit. de Iudæis. n. 2. Sylvest. ver. excommunicatio. 10. num. 5. Et probatur primò: nam facientes & cõsentientes pari pœna debent puniri. Secundò: nam in cap. mulieres. de sentent. excommunicat. dicitur, quòd illi qui non per seipsos, sed eorum autoritate vel mandato alij violenter imponunt manus clerico, incurrũt excommunicationem canonis, & redditur ibi ratio, cùm is verè committat, cuius autoritate vel mãdato delictum committitur. Tertiò: nam quod per alios facimus, per nos facimus.

Sit tamen prima conclusio, quãdo excommunicatio fertur contra facientem, non comprehendit mandantes, nec consulentes. ita Caiet. in Sum. ver. excommunicatio. in princ. Tabien. verb. excommunicatio. 5. casu 49. §. 5. & Nauar. 27. n. 51. vbi etiam citat Sylvest. ver. excommunicatio. 10. qu. 4. sed certè falsò citatur ibi. idem tenet Nauar. 5. Concil. de senten. excommunicationis. consil. 54. n. 4. limitat autem Nauar. in vtroque loco, nisi illa lex vel alia similis id declaret. Probatur primò, quia in iure non dicitur verè agere, nisi illi qui eliciunt vel exercent talem operationem; mandans autem vel consulens interpretatiuè tantùm dicitur facere; ergo licèt quantùm ad rationem peccati satis sit operatio interpretatiua mãdandi & consulendi, nõ tamen quantùm ad rationem pœnæ, quia verba legis pœnalis intelligenda sunt formaliter, & propriè, maximè quòd pœnæ sunt restringendæ. Antecedens probatur: nam quando lex vult punire non solùm facientem, sed etiã mandantes & consulentes, id explicat, extendens ad quemcunque mandauerit, vel auxilium, aut fauorem dederit, &c. vt patet in c. fœlicis. de pœnis, lib. 6. & in Clement. si quis suadẽte. de pœnis. & in multis excommunicationibus Bullæ Cœnæ, & multis aliis textibus: confirmatur idem antecedẽs ex Bartolo in lege, sed si vnius, §. 1. ff. de iniuriis. eum qui per alium facit, non verè, sed fictè facere. Secundò: nam vt habetur ex cap. quicunque. de sententia excommunicationis. in 6. excommunicatio lata contra dantem licẽtiam malè faciendi, non extenditur ad vtentem illa, nisi id expressè exprimatur. Tertiò: nam consilium & mandatum præcedunt tempore, & aliquando per annum ipsum factum, sed nihil potest præcedere seipsum; ergo qui mandat vel consulit, non propriè dicitur facere; sed opponit Nauar. quandam limitationem, scilicet nisi talis lex esset frustratoria, vel quasi, nisi comprehenderet mandantes. Nonnulli viri docti hanc limitationem reiiciunt, & apponunt aliam, scilicet quando in aliqua particulari materia iubens vel mandans secundùm communem modum loquendi dicuntur facere talem rem, quia verba legum intelligenda sunt secundùm communem modum concipiendi. Apponunt Nauar. & isti viri docti exemplum suarũ limitationum in c. ita quorundam. de Iudæis. vbi excommunicantur qui equos, arma, &c. deferunt Sarracenis & Turcis, quæ non solùm comprehendit ipsos famulos & nautas deferentes, sed etiam mercatores, qui ea mittunt. Sed meo iudicio rarò erit locus huiusmodi limitationibus, nisi ius ipsum vel sententia id exprimat, vnde, vt referunt viri docti, P. Doctor Toletus in explicatione Bullæ Cœnæ dicit, quòd in isto cap. ita quorun-

dam,per verbum, *deferunt*, solùm intelliguntur ij,qui deferunt per se, & non qui mandat,vel iuuat; non tamen nego quin mercator mittens arma,equos,&c.incurrat excommunicationem,sed solùm dico quòd non manet excommunicatus ex vi cap. ita quorundam, sed ex vi cap. significauit.de Iudæis.vbi dicitur,quòd manent excommunicati, qui merces eis per nuncios destinarunt; concedo tamen,quòd si dominus temporalis mandaret mercatori,vel alius consuleret, quòd mitteret arma ad Sarracenos, nõ incurreret excommunicationem dicti cap.ita quorundam, quæ modò est 6. vel 8. Bullæ Cœnæ, ita nonnulli viri docti; nihilominus incurreret aliam latam in extrauag. multa! & extrauag.copiosus. de Iudæis.quæ extenduntur expressè ad permittentes,auxiliantes, vel fauorem præstantes. Ex dictis sequitur, quòd qui communicat cum alio in crimine habente annexam excommunicationem,si cõmunicatio sit ante commissum crimen, vel cùm committitur,nõ incurrit excommunicationem impositã contra tale crimen, vt ait Nauar.cap. 27. num.32.de quo plura dicemus cap.6.

Secunda conclusio. Non solùm comprehenduntur excommunicatione mandantes,cõsulentes,& cooperãtes,quando exprimũtur huiusmodi verbis, sed etiam quando opponitur aliqua particula, in qua comprehendantur;vt si dicatur,quomodocunque quis fuerit causa,vel si quis fuerit causa: tunc enim comprehenduntur mandantes, consulentes, & alij auxiliantes,& cùm dicitur, omnes qui mediatè, vel immediatè, directè vel indirectè, vel quicunque fuerint culpabiles; si verò dicatur adiuuans, comprehenditur qui dat modum, si dicatur, si quis per se,vel per alium fecerit, comprehenduntur iubentes, & dantes pecuniam,vt illud fiat, sed non comprehenditur consulens; ita nonnulli viri docti. Nos, quòd si sit dubium,vtrùm comprehendantur, iudicandum est quòd non comprehenduntur, iuxta dicta inf.dub.6.

Ad primum respondetur, quòd quamuis consentiens sit puniendus,non tamen eadem pœna, sicut faciens, quia pœnæ sunt restringendæ.

Ad secundum concedo quòd illi incurrunt excommunicationem sequuto effectu;sed hoc ideo est,quia Pontifex id declarauit in dicto c.mulieres.& c. quantæ de sentent. excommunicat. & cap. sicut dignum de homicidio.aliàs non comprehenderentur.

Si obiicias rationem text. in c.mulieres.scilicet quòd qui mandat,vel consulit, verè committit. Respondeo cum Nauarr. cap.27.num.51.Pontificem solùm dicere, quòd committit, id est, quòd delinquit (hoc enim verissimum est) non tamen dicit,quòd mandans percutere clericum, verè percutit illum, vt aliqui imponunt textui.

Ad tertiũ respondetur, quod per alios facimus, per nos facimus, quantùm ad culpam, sed nõ quantùm ad æqualitatem pœnæ:nam metaphoricè tantùm dicimur facere quod per alios facimus.

DVBITATVR tertiò, quando excommunicatio extenditur ad consulentes, vtrùm comprehendat quomodocunque consulentem?

Prima conclusio. Si consilium non sit fraudulentum, sed bonum & licitum,nõ incurret excommunicationem,ita Sylues. verb.excommunicat.1.q.5.p.1. & probatur euidenter:nam excommunicatio non incurritur nisi propter peccatum;præterea,probatur ex illa regula iuris. in 6.*Nullus ex consilio,nisi fraudulentum fuerit, obligatur*.Hinc sequitur quòd si consulo amico,vt sit contentus leui percussione clerici,quia non possum aliter retrahere illum ab occisione illius, non incurro excommunicationem canonis, si quis suadente. probatur:nam in hoc casu licitum est cõsulere minus malum, vt docet Soto 6. de iustit.quæst.1,artic.5.& alij.

Secunda conclusio. Quãdo consilium datum est ei, qui aliàs non faceret delictum, certum est quòd incurret excommuni

municationem latam contra consulentes: in hac omnes conueniunt.

Tertia conclusio. Quamuis is, cui datum est consilium, esset aliàs facturus, tamen si ego meo consilio auxi intensiuè illius voluntatem & conatum, incurro excommunicationem. hæc est contra aliquos Doctores, sed tenet Sylvest. ver. excommunicatio. 8. q. vlt. num. 10. & in hoc inclinat Couarr. Clement. si furiosus. p. 2. §. 2. num. 1. versiculo, est igitur. & num. 2. versiculo, quatenus de auxiliante. quamuis à nonnullis citetur pro contraria parte. eandem tenent multi viri docti, & colligitur ex Nauarr. loco statim citando. citatur Innoc. & alij Doctores in c. nuper. de sent. excommunicat. Probatur primò: nam iste verè influit in effectum. Secundò, si Petrus esset determinatus ad occidendum Ioannem, & ego à dextera adiuuarem manum Petri, vt velociùs & faciliùs occideret, ego dicerer causa homicidij; ergo idem est in nostro casu. Consequentia probatur: nam qui suo consilio auget voluntatem occidentis, consequenter auget motum exteriorem manus: nam manus mouetur à voluntate, & qui est causa causæ, est causa causati.

Quarta conclusio. Quando consilium est ita simplex, quòd non influit in effectum, quia alter erat alioqui facturus, & consilium non auxit voluntatem, nec conatum illius, non incurrit consulens; ita Nauarr. num. 51. ante versiculum, adde quod refert.

Petis, quomodo cognoscetur, vtrùm consilium influxerit in effectum modo prædicto vel non?

Sit quinta conclusio. Ab ipso qui recepit consilium accipiendum est, & ex aliis coniecturis. Explicatur conclusio. Si ille qui recipit consiliũ asserat se motum esse aliquo modo ex tali consilio, & voluntatem eius auctam fuisse, hoc sufficiet; si autem hoc nó possit sciri ab ipso, attendendæ sunt coniecturæ: nam si ego dedi consilium alicui ad aliquod delictum, & ille ardenti voluntate illud commisit statim, signum est, quòd meũ consilium influxit; at verò quando non exequitur statim, sed post multos dies, non potest ex hoc sumi certa coniectura, vtrùm meum consilium influxerit, nam licèt pro tunc quando ego dedi consilium, forsan excitauerim, & intenderim eius voluntatem, postea tamen transactis multis diebus potuit ille feruor elanguescere, & voluntas redire ad pristinum statum, in quo erat ante consilium, & tunc quamuis delictum committatur, ego non ero causa, ac per consequẽs, non incurro excommunicationem; si autem facta diligentia, & consideratis omnibus circunstantiis, fuerit dubium, vtrùm meũ consilium influxerit in effectũ, licèt quantùm attinet ad restitutionem, nó maneam ego obligatus, quia in dubiis melior est conditio possidentis, tamen quantùm ad excommunicationem debeo me reputare excommunicatum. Ita tenent aliqui viri docti, & habetur ex doctrina Sylvest. ver. absolutio. 3. q. 10. num. 14. & quantùm ad irregularitatem, colligitur ex Couar. sup. versiculo, in eo verò vbi ait, quòd in dubio præsumitur non facturus absque consilio; & probatur ex ratione c. ad audientiam. de homicidio. quia in dubiis tutior pars est eligenda.

DVBITATVR quartò, quando excommunicatio extenditur ad mandantes, vtrùm comprehendat eum, qui mandauit delictum fieri, tamen mandatus erat aliàs facturus delictum tam prompto animo, & tanto conatu, ac si sibi non esset mandatum? Couar. loco citato in 3. conclusione dubij præcedentis tenet, quòd incurret, & quòd ea quæ dicta sunt in cõsulente, non habent locum in mandante. Contrarium tenet Nauarr. n. 51. ante versicul. adde quòd refert, & hoc iudico probabilius. nam licèt isto habuerit animum influendi in effectum, tamen de facto nó influxit. Restat iam considerare actionem prohibitam ex parte termini, ad quem ordinatur. Vnde

DVBITATVR quintò, quando delictum aliquod habet annexam excommu-

nicationem,& quis attentat illud, tamen non sequitur effectus,vtrùm incurrat excommunicationem ? verbi gratia, iacio lapidem,vel sagittam, vt percutiam clericum:& non percutio. Sit conclusio, non incurro,ita Nauar.cap.27.n.51.versiculo, adde quòd refert. & clariùs lib.5. Consil. de sent.excommunicat. consil.37.num.2. vbi dicit esse communem; imò ampliùs dico, quòd licèt effectus qui non est sequutus,sit extrinsecus, tamen si est principaliter intentus à Legislatore, non incurretur excommunicatio. Verbi gratia, Gregorius XIII. prohibuit sub excommunicatione latæ sententiæ,ne cuiusdam ordinis fratres scriberent ad aliquas moniales sui ordinis, quidam frater scripsit ad monialem, sed epistola non peruenit ad illam,iste non incurrit excommunicationem,ita Nauar.in consil.60.n.citato: nam id quod præsumitur principaliter intẽdisse Papam est,ne epistolæ peruenirent ad moniales;quia missio epistolæ non noceret moniali,nisi peruenisset epistola.

DVBITATVR sextò, quando excommunicatio extenditur ad mandantes, & consulentes, vtrùm comprehendat eos, quamuis non sequatur effectus:verbi gratia,mando Petro vt percutiat clericum,& tamen non percutit,vtrùm incurram ego excommunicationem? Pro solutione nota cum Caiet.in Sum. verb.excommunic. ante cap.1. Sylue.est.ver.excommunicatio. 7.n.24. Nauarr. cap.27.n.51.versiculo, adde quòd refert. excommunicationem dupliciter ferri posse. Primo modo principaliter,de faciente,& accessoriè,seu per extensionem,de mandante, vel consulente,vt cùm fertur excommunicatio contra percutientes clericum, & mandantes vel auxiliantes, &c. Secundo modo potest imponi æquè principaliter de omnibus; quo supposito,sit

Conclusio, quando excommunicatio fertur primo modo, non comprehendit mandantes,vel consulentes,non sequuto effectu;at verò quando imponitur secundo modo,comprehendit illos.Exemplum primi,in eo qui mandauit alicui percutere clericum, & tamen effectus non est sequutus, quia ista excommunicatio principaliter est contra facientes,& accessoriè contra mandantes,vel cõsulentes. Exemplum secundi,in eo qui mandauit interficere aliquem per assassinos, incurrit excommunicationem,quamuis non sequatur mors : nam hæc excommunicatio æquè principaliter comprehendit mandantes & occidentes. c.1. de homicidio. in 6. Idem est de eo,qui concionatur animo retrahendi auditores à solutione decimarum:incurrit enim excommunicationem, quamuis auditores non retrahantur,Clement. cupientes.§.1. de pœnis. nam ista actio & prædicatio æquè principaliter, & per modum cuiusdam actionis subiacet excommunicationi.

Hîc tamen duo sunt notanda. Primò, quòd irregularitas numquam incurritur nisi effectu sequuto, quantumuis aliquis mandet,vel cõsulat homicidium. Secundò, quòd quando lex non exprimit, nec colligitur manifestè, quòd excommunicatio æquè principaliter comprehendat mandantes & consulentes, iudicandum est,quòd accessoriè tantùm comprehendantur;idem habetur in alio simili ex Palac.in 4.d.18.disp.5.c.8. ita Nau. in Comment.super extrauag.Greg.XIII. de datis & promissis pro iustitia;vel gratia obtinenda,num.15.versiculo, ad hæc omnia habetur in 3.tom.suorum operum,& expressiùs lib.5.Consil. de sent. excommun. consil.55.probatur ex illa regula iuris, *In pœnis benignior pars est amplectenda.*

DVBITATVR septimò, quando excommunicatio extenditur ad mandantes & consulentes, si mandans vel consulens reuocat mandatum vel consilium, antequam delictum committatur, vtrùm incurrat, si post talem reuocationem mandatus,vel consultus committat delictum?

Prima conclusio. Loquendo de mandante, si ille qui mandauit percutere clericum, verè & non fictè reuocat mandatum; ita vt reuocatio perueniat ad notitiam

tiam mandati, non incurret; ita Sylu. verb. homicidium. 1. q. 7. §. 2. n. 11. & verb. excommunicat. 6. n. 5. §. 3. Nau. c. 27. n. 233. vbi loquitur quātùm ad irregularitatem; sed eadem ratio est de excommunicatione. Idem est, si reuocauit mandatum tacitè, vt si restituat aduersarium in pristinam amicitiam, vel contrahat cum eo parentelam, sciente eo, cui datum est mandatū, ita Sylvest. sup. & citat Innocentium.

Secunda conclusio. Quamuis mandās reuocauerit mandatum, si tamen antequam reuocatio perueniat ad notitiam mandati, sequuta est percussio, incurrit; ita Sylvest. verb. excommunicatio. 6. loco citato. & allegat Bernardum & Hostiensem, idē tenet P. Doctor Toletus in Sum. & aliqui viri docti. Probatur: nam iam præcessit peccatum mādandi, & causa eius commissum est delictū. Contrariam sententiam tenet Innocent. citatus à Sylvest. quæ sententia est valde probabils.

Tertia conclusio. Si mandans moriatur, antequam sequatur percussio, non incurrit: nam, vt vidimus c. 3. disput. 2. dub. 8. defunctus nō potest excommunicari directè. Loquendo de consulente, sit

Quarta conclusio. Qui consulit percussionem clerici, & reuocauit cōsilium, si non firmiter credit cōsultum reuocasse propositum, debet indicare percutiendo, vel in particulari, vel in generali, ad arbitrium boni viri, vt sibi caueat, & si totum id faciat, quamuis sequatur percussio, non incurret excommunicationem, nec irregularitatem. sic Anton. 3. p. tit. 28. c. 2. §. 2. verbo, approbatione. Sylvest. verb. homicidium. 1. num. 11. §. 3. & num. 12. in fine. P. Doctor Toletus, & aliqui viri docti, contrà Nauar. c. 27. num. 253. & ratio est, quia in hoc casu percussio tantùm ipsi consulto est imputanda; ratio autem quare consulēs tenetur admonere percutiendum potiùs quàm mandans est, quia in mandato agitur res ipsius mandantis; in consilio autem agitur res ipsius consulti; quòd si firmiter credit solam reuocationem sufficere, non tenetur ad amplius, & liber erit ab excommunicatione: sic Anton. & Sylvest. locis citatis.

DVBITATVR octauò, vtrùm non obstans percussioni clerici, cùm tamen possit, incurrat excommunicationem?

Prima opinio dicit, quòd si potuit obstare sine incōmodo, licèt solùm teneatur ex charitate, incurret, ita Caiet. in Sum. verb. excommunicatio. c. 10. Sylvest. verb. restitutio. 3. §. 6. p. 3. in fine; Medin. C. de restit. q. 7. & nonnulli Thomistæ.

Secunda opinio dicit, quòd si ex officio & iustitia tenebatur obstare, incurret, non tamen si solùm tenebatur ex charitate. sic Nauar. c. 27. n. 78. & latiùs in commentar. super c. non inferenda. 23. q. 5. n. 31. & 38. cuius commētarij resolutionem refert in Sum. c. 24. n. 20. & 22. idem tenet quantùm ad irregularitatem, c. 27. n. 231. & Anton. 3. p. titul. 28. c. 2. idem tenet Glossa cap. quantæ. de sent. excommuni. Couarr. Clement. si furiosus. p. 2. §. 2. n. 7. & P. Toletus. P. Henr. lib. 14. de irreg. c. 12. num. 7. lit. H.

Prima conclusio. Hæc secunda opinio est longè probabilior.

Secunda conclusio. Qui tenentur obstare ex officio, & ex iustitia, sunt Rex, Iudex & ministri Iustitiæ, patres, tutores, heri, pædagogi, Parochi, custodes, & è contra eorum filij, pupilli, famuli, parochiani, & custoditi, sic Nauar. c. 24. n. 18.

Tertia conclusio. Hæc secunda opinio habet verum, quamuis iste qui solùm ex charitate tenebatur defendere, omisit defensionem ex odio & maleuolentia; hæc est contra Couar. sup. vbi citat Innoc. & Panorm & contra Sylvest. ver. homicidiū. 2. q. 5. & Angel. verb. homicidium. 1. §. 17. sed tenet Anton. supr. & Nau. c. 27. n. 231.

Quarta conclusio. Si iste qui omittit defensionem, posset facile, & absque incommodo defendere, censebitur excommunicatus in foro exteriori, quia præsumitur ideo nō defendisse, vt ferret opem percussori; & iuxta hoc explicat Nauar. c. 24. n. 20. versiculo in 28. n. cap. quantæ. de sent. excommunicat. vbi dicitur, *Eos delin-*

quentibus fauere interpretamur, qui cùm possint, manifesto facinori desinunt obuiare.

DVBITATVR nonò, vtrùm qui tantã habet clerici percussionem, quando nec dedit mandatum, consilium, vel fauorem, incurrat excommunicationem? Conclusio, quòd incurret, quæ conclusio est expresse definita cap. cùm quis. de sentent. excommunicat. in 6. & reddit textus rationem, cùm ratihabitio retrotrahatur, & mandato debeat comparari. Sed ad veritatem huius conclusionis quinque conditiones requiruntur. Primò, quòd percussio facta sit nomine meo, vnde si ego approbo percussionem clerici non factam meo nomine, quamuis peccem mortaliter, vt efficaciter probat Couar. Clement. si furiosus. p. 2. §. 1. n. 6. contra nonnullos Iuristas, qui dixerunt tantùm esse peccatum veniale; non tamen incurro excommunicationem: nam hæc ratihabitio non retrotrahitur, nec mandato comparatur: licèt enim attendendo solùm ad significationem Latinam, ratihabitio de præterito tantùm dicat, quòd aliquis approbet factum alterius, siue factũ fuerit suo nomine, siue non, tamen secundùm proprietatem iuris, illa solùm dicitur ratihabitio de præterito, quæ retrotrahatur, & mandato comparetur, quando aliquis approbat, & ratum habet id, quod suo nomine gestum est, siue bonum sit, siue malum, & per hoc facilè intelligitur secunda pars illius cap. vbi dicitur, si verò iniectio eadem tuo nomine nõ sit facta, licèt pecces ratam habendo eandem, non tamen propter hoc excommunicatione innodaris, cùm quis ratũ habere nequeat quod eius nomine non est gestum. Et hæc est quædam regula iuris in 6. Si petas, quando dicitur aliquid factum nomine alterius? Respondeo, quando fit intuitu & contemplatione illius, licèt non de eius mandato, vt si Petrus occidit clericum sine mandato quidem Ioannis, eo tamen intuitu, vt istud homicidium esset gratum Ioãni; vel vt vindicaret iniuriam Ioanni illatam ab illo clerico, sic glossa dicto c. cùm quis. & Sylu. verb. consensus. q. 5. §. 1. Secundò, requiritur quòd approbet illam percussionem sciens suo nomine gestam esse, vnde si ignorat gestam esse suo nomine, quamuis gaudeat de illa, quia videt suum amicum gauisum esse de illa, non incurrit: nam licèt gaudeat de percussione facta suo nomine, non tamen gaudet de illa, quia suo nomine facta est, cùm hoc ignoret; & supponimus quòd noluisset eam factam esse suo nomine. Hoc secundum requisitum non est ita certum sicut primum, nihilominus illud tenét viri doctissimi, & clarè habetur ex doctrina Sylvest. loco citato §. 2. Tertiò, requiritur quòd hæc ratihabitio explicetur verbis, vel alio signo exteriori: nam si corde tantùm approbat, non incurret, quoniam Ecclesia non punit censuris actus purè interiores, vt vidimus sup. p. 1. dub. 10. Vnde quod ait Sylvest. sup. dari ratihabitionem tacitam, vt quando scit percussionem factam esse suo nomine, & non contradicit, intelligendum est, quantùm ad præsumptionem fori exterioris, tamen in foro interiori non erit excommunicatus, si non ratificat aliquo signo exteriori. Quartò, requiritur quòd extrema sint habilia, id est, quòd iste qui ratificat, posset mandare tempore, quo perpetratum est delictum, vnde si quando perpetratum est, iste erat infans vel furiosus, quamuis ratificet iam adultus, vel sui compos, nõ incurret, quia ratihabitio non retrotrahitur ad impossibile: nam fictio iuris non debet habere maiorem vim, quàm ipsa rei veritas; ergo si non poterat mandare, non est fingendũ quòd mandauit. Quintò, requiritur quòd lex solùm requirat ipsum delictum: nam si requireret præuiam machinationem, non sufficiet sola ratihabitio ad incurrendam pœnam legis, ex quo sequitur quòd licèt mulier post occisionem viri ratum habeat homicidium, tamen si non præcessit machinatio in mortem, non impedict matrimonium cum occisore: nam quãdo non interuenit adulterium, requirit lex quòd præcedat machinatio mortis, ita

Sylvest.

Sylues. sup. §. 8. idem tenet Couar. sup. Sed est valde notabile cum glossa dicto c. cùm quis. quòd licèt retrotrahatur ista ratihabitio; non tamẽ retrottahitur excommunicatio; sensus est quòd ratificans nõ manet excommunicatus ab eo puncto, quo percussor mansit excommunicatus, sed à puncto ratihabitionis. Vtrùm verò ratihabitio locum habeat in adulterio, fornicatione & stupro, vide Sylues. sup. in fine, & Couar. sup. num. 5. Per hæc dubia maxima ex parte manet explicata excommunicatio canonis si quis suadente. 17. qu. 4. contra percussores clericorum, sed quoniam res hæc passim occurrit in praxi, operæpretium erit hanc excommunicationem complete declarare, quam explicat Caiet. in Sum. verb. excõmunicatio. c. 10. Sylvest. verb. excommunicat. 6. à n. 5. Tabien. verb. excommunicatio. 5. casu 1. Nauar. c. 27. à num. 77. vbi tria puncta sunt examinanda. Primum, quid intelligatur nomine personæ percutientis: secundum, quid nomine personæ percussæ: tertium, quid intelligatur per manus violentas. De primo ergo puncto in ordine.

DVBITATVR decimò, quid intelligatur ibi nomine personæ percutientis?

Prima conclusio. Intelligitur quæcunque persona, vir, vel fœmina, cuiuscunque status & conditionis, dummodo habeat iudicium rationis ad peccandũ mortaliter: ita Nauarr. n. 76. & habetur ex cap. mulieres. & cap. pueris. de sententia excommunicationis. vnde etiam intelligitur puer, quamuis non peruenerit ad pubertatem, ita Panormit. cap. 1. de sentent. excommunicat. & ex text. cap. finali. cod. tit. quoniam ætas non excusat eos à tota pœna, sed à parte pœnę, scilicet quòd non teneantur se præsentare Pàpæ pro absolutione, sed possint absolui ab Episcopo, dicto cap. finali.

Secunda conclusio. Non solùm intelligitur in hac materia persona, quæ per se ipsam percutit, sed ille qui mandat, vel consulit percussionem, vel qui nõ defendit clericum à percussione, si tenetur ex officio, vel qui ratificat percussionem suo nomine factam, vt constat ex dubiis præcedentibus.

Tertia conclusio. Etiam intelligitur ille: qui licèt non mandet, vel consulat percussionem expressè, dicit tamen coram suis se desiderare vindictam à tali clerico: nam si postea sui moti his verbis, percutiant, iste incurrit excommunicationem, quia licèt non dixerit eo animo, tamen debebat præuidere suos credituros esse quod ipse hoc animo dicebat; ita Nauar. n. 78. & Sylvest. ver. excommunicatio. 6. num. 5. p. 4. quod probat argumento cap. vltimi, de homicidio. in 6. vnde vt esset liber ab excommunicatione, deberet affirmare se non dicere eo animo, vt percutiant; & quòd nõ desiderat quòd ipsi percutiant, probatur argumẽto c. penultimi. de homicidio. in 6. De secundo puncto.

DVBITATVR vndecimò, quis intelligatur nomine personæ percussæ?

Prima conclusio, tantùm intelligitur clericus vel monachus, vt patet ex ipso can. si quis suadente. Not. quòd clericus excommunicatus, vel suspensus gaudet priuilegio canonis & fori. ita Nauar. lib. 1. Consilior. cons. 7. de ætat. & qualit. ordin. n. 6. & etiam milites cõmendatarij, etiam coniugati, ita ex professo Nau. cons. 13. de regu. sed quis intelligitur nomine clerici?

Secunda conclusio. Intelligitur non solùm initiatus sacris, sed etiam habens primam tonsuram. c. cùm contingat. de ætate & qualitate ordinandorum. iuncta glos. nam text. dicit, quòd nomine clerici intelligitur initiatus prima tonsura, & glossa dicit, quod percutiens initiatũ prima tonsura, incurrit excommunicationẽ canonis; & hæc conclusio habet verum, quamuis sit coniugatus, dummodo cum vnica & virgine, & gestet habitũ & tonsuram clericalem. c. vnico. de clericis coniugatis. in 6. P. Henr. lib. 13. de excommun. cap. 49. num. 1. lit K. & satis colligitur ex Nauar. cap. 27. num. 80. exemptione 8.

Quid autem sit habitus clericalis, vide Sylvest. ver. excommunicat. 6. num. 6. §. 6.

sed

ſed meliùs in Geminiano. in dicto cap. vnico.§.1.vide etiam legem 1.tit.4. lib.1. Recopilat.

Sed quid ſi veſtis extrinſeca ſit clericalis, non tamen intrinſeca? Reſpondetur cum Geminiano, ſi extrinſeca ſit ita breuis, vt intrinſeca notabiliter appareat, nõ gaudet priuilegio, bene tamen ſi ſit ita longa, vt intrinſeca non appareat; præterea iſte clericus coniugatus etiam gaudebit priuilegio fori, ſcilicet quòd non iudicetur per Iudicem ſecularem criminaliter, nec ciuiliter, dummodo vltra habitũ & tonſuram ſit deputatus ab Epiſcopo ad ſeruitium alicuius Eccleſiæ, & ei de facto inſeruiat, vt decernitur in Tridentin. ſeſſ.23.cap.6.de reforma. hoc enim requiritur ad gaudendum priuilegio canonis, vt patet ex prima concluſione: nam Concilium ſolùm loquitur de priuilegio fori, vt patet ex contextu, quamuis cõtrarium teneat Emanuel cap. 80. *de des communion.* cap. 17. & ſpecialiter pro Hiſpania conceſſit Alexander VI. vt habetur in Pragmaticis Regni. lib. 22. & 25. quòd nullus clericus, qui non ſit initiatus ſacris, gaudeat priuilegio fori, niſi detulerit habitũ, & tonſuram clericalem per quatuor mẽſes ante commiſſum delictum; imò niſi per ſex menſes, vt conſtat ex Bulla Pij IV. conceſſa ad inſtantiam Regis Catholici, vt habetur l.1.tit. 4.lib.2.Recopilat. Videte ad finem eiuſdẽ tituli, vbi traditur forma ſeruandi Decretum Concilij Trident. circa clericos minorum ordinum. Similiter habet verum prædicta concluſio, licèt clericus ſit excommunicatus, ſuſpenſus, vel irregularis, aut depoſitus verbaliter, dummodo non ſit incorrigibilis, ſic Angel. verb. degradatio. num. 1. Sylueſt. eodem verb. num. 8. & verb. excommunic. 6. num. 4. & Nauar. cap. 27. num. 78.

Sed difficultas eſt, vtrùm initiatus prima tonſura non coniugatus, ſi tamen non geſtat tonſuram, nec habitum clericalem, retineat priuilegium canonis. Et quæſtio ſolùm procedit, quando clericus non eſt monitus deferre tonſuram, nec habitum clericalem: nam ſi ter monitus eſt, amittit priuilegium. c. contingit. el 2. de ſentent. excommunicat. Partem negatiuam tenet Bannez 2.2.q.12.artic.1.difficult.3.dicto vlt. vbi ait, Clerici in minoribus conſtituti, ſiue coniugati, ſiue non coniugati, ſi non deferant habitum clericalem & tonſuram, amittunt omne priuilegium clericorum. Probatur ex c. vnico, de clericis coniugatis. in 6. Poteſt ſecundò & fortiùs probari: nam priuilegium fori difficiliùs perditur quàm priuilegiũ canonis, ſed iſte perdit priuilegium fori per Tridẽt. cap. citato; ergo à fortiori perdet priuilegium canonis. Maiorem tenet Panormit. cap. 1. de apoſtatis. num. 6. eámque probat: nam ſi clericus dimittat habitum clericalem, & deprehendatur in turpibus & enormibus, amittit priuilegiũ canonis, cap. cùm non ab homine. & cap. perpendimus. de ſentent. excommunicat. & tamen non perdit priuilegium fori. c. ſi Iudex laicus. de ſentent. excommunicat. in 6. Sit tamen

Tertia concluſio, quòd iſte clericus nõ amittit priuilegium canonis. Probatur primò ex cap. ſi verò. de ſententia excommunicationis, el 2. vbi decernitur, quòd percutiens clericum nõ deferentem tonſuram, nec habitum clericalem, ſi neſciebat eſſe clericum, non manet excommunicatus, ſecus tamen ſi ſciebat, propter quem textum idem tenet ibi Abbas, num. 2. & Felinus in principio (vbi aduerte obiter literam Felini circa medium cap. eſſe mendoſam: dicitur enim, *Si clericus non defert habitum clericalem, & percutitur.* ſic tamen legendum eſt, *Si non clericus defert habitum clericalem, an percutiens ſit excommunicatus?* Et quòd ita ſit legendum, conſtat euidenter ex ipſo contextu, & ex ſententia Frederici, quam ipſe Felinus refert & ſequitur: ait enim Fredericus, quòd percutiens non manet excommunicatus, quia habitus non dat priuilegium vbi non eſt ordo, quoniam habitus non facit monachum.) Probatur ſecundò, à lege antiqua non eſt recedẽdum, niſi quatenus

tenus continetur in noua, l. præcipimus. C. de appellationibus. in dubio enim non est præsumenda legum correctio, c. cùm expediat. de electione. in 6. l. 1. C. de inoffi. dot. sed Concilium Trident. solùm auferr huic clerico priuilegiũ fori; ergo hæc dispositio nõ est extẽdenda ad priuilegium canonis, & consequenter non censetur derogatum dicto c. si verò. præcipuè cùm sit dispositio odiosa, & lex pœnalis non est extendenda vltra casum, in quo loquitur, can. pœnæ. de pœnit. d. 1. l. Præses. ff. de pœnis. Confirmatur, quia Nauarr. c. 27. n. 78. solùm negat priuilegium canonis clericis (intellige non coniugatis) qui ter moniti non deferunt habitum & tonsuram; ergo secundùm eius mentem, si non sit monitus, retinet priuilegium.

Ad primum in contrarium facilè respondetur, quòd illud c. tantùm loquitur de clericis coniugatis.

Ad secundum respondetur, quòd priuilegiũ fori perdi difficiliùs quàm priuilegium canonis, non est regula ita generalis, vt quotiescunque perditur priuilegium fori, perditum quoque censeatur priuilegium canonis. Vnde hæc regula solùm habet verum in casibus à iure expressis, atque adeò sensus regulæ est, quòd dantur in iure aliqui casus, in quibus perditur priuilegium canonis, & non perditur priuilegium fori; ex hoc tamen non licet inferre, quòd quandocunque ius aufert priuilegium fori, auferat etiam priuilegium canonis; præsertim quia fuit specialis ratio, vt concilium auferret priuilegium fori, ne scilicet clerici gestantes habitum laicorum, sumerent ansam delinquendi, si manerent exempti à potestate laicali. Petis, quis intelligatur nomine Monachi?

Quarta conclusio. Intelligitur quilibet Religiosus professus alicuius religionis approbatæ. capit. cùm illorum. de sentent. excommunicationis. vel Religiosa. c. demonialibus. eodem tit. nam licèt dicto c. cùm illorum. non expressè dicatur professus, subintelligitur tamen: in iure enim non dicitur cum effectu Religiosus, qui nondum est professus. c. Religioso. de sentent. excommunicationis. in 6. §. 2. vnde immeritò quidam Theologi parum in iure versati reprehendunt Nauar. quòd malè allegauerit c. cùm illorũ. intelligitur etiam conuersus, seu coadiutor temporalis. c. non dubium. de sentent. excommunicationis; & etiam nouitius, dicto c. Religioso. Sed difficultas est de Religiosis tertij ordinis DD. Dominici, & Franciſci, qui gestant habitum Religionis, & viuunt in communitate. Caiet. tenet, quòd non gaudent hoc priuilegio; sed Nau. sup. dicit, quòd licèt hæc opinio possit esse vera secundùm ius commune, non tamen secundùm priuilegia, & consuetudinem, & stylum Romanæ curiæ, & est decisio Rotæ 332. in antiquis, idem tenet Sylvest. verb. Ecclesia. 1. quæst. 5. post §. 6.

Vltimò dicimus cum Nau. & Sylvest. ver. Heremita, quòd etiam gaudet hoc priuilegio Heremita, quia præstat obediẽtiam alicui superiori. Idem dicit Tabien. verb. excommunicatio. 5. n. 21. de Rectoribus Hospitalium, qui dicuntur Hospitalarij, & portant aliquod signum, scilicet crucem, si promittant castitatem in manu Episcopi, & renuncient propriis: videte Armil. ver. excommunicatio. excommunicatione 1. n. 8.

DVBITATVR duodecimò de tertio puncto, quid intelligatur per manus violentas?

Prima conclusio. Per manus non solùm intelliguntur manus, sed etiam pugni; brachia, genua, & pedes, sed ponitur manus, vel quia est membrum aptius ad percutiendum, vt ait Nauar. vel quia est organum organorum, vt ait Caiet.

Secunda conclusio. Per violentas intelligitur non solùm percussio, quæ in rigore sit violenta, sed etiam illa quæ est iniuriosa personæ clerici, siue talis percussio fiat immediatè, vt quando aliquis infringit alapam clerico, vel mediatè, vt cùm percutit ense vel baculo, vel alio in-

strumento tangente personam clerici, vt cùm eiicit clerico saliuam, aut puluerem, vel etiam tangendo rem ipsi personæ clerici coniunctam, vt si vi raperet aliquid de manibus clerici, vel è corpore illius: nam ibi includitur violentia: vel quando includit eum in carcerem, vel in alio loco à quo sine dedecore & pudore non potest exire; similiter si clerico equitanti aliquis violenter apprehenderet frenum equi, vel si abscinderet cingulum ephippij, vel si ita furiosè insequatur clericum, vt cogat præcipitem se dare in fluuium, vel in aliud discrimen ad liberandum se, ita Nauar. n. 77. vbi dicit esse communem; at verò si clericus fugiens cadat & vulneretur, insequens illum non incurrit excommunicationem. Sic Nauar. & Sylu. verb. excommunicatio. 6. num. 5. casu 7. contra Angel. probat Sylu., nam illa vulneratio nec fuit intenta in se ipsa ab insequente, nec in sua causa, scilicet in fuga, quæ per accidens se habet ad talem percussionem. Nota, quòd non incurrit qui occidit veneno in cibo, vel potu, quia non infert vim personæ, sed naturæ, secus si per vim faceret sumi venenum: ita Emanuel. c. 8. ver. excommunicatio. 13. concl. in fine. Et dicit ita respondisse præcipuos Doctores & Magistros Salmanticæ.

Ex dictis sequitur primò, quòd si aliquis verberet clericum consentientem (& loquor de verberatione iniuriosa respectu status clericalis) incurrit excommunicationem, ita Nauar. & habetur c. contingit. el 1. de sentent. excommunicationis. & text. reddit rationem, quia licèt talis percussio non sit violenta, nihilominus est iniuriosa, ipse tamen clericus consentiens non incurret, sic Nauar. & probat ex dicto c. contingit. vbi dicitur, quòd talis clericus consentiens excommunicetur; vnde bene poterit excommunicari.

Contrà, iste consentiens communicat in crimine criminoso; ergo ipso facto incurrit excommunicationem? Respondetur, quòd ad incurrendam excommunicationem propter participationem in crimine criminoso, requiritur quòd participet post delictum commissum, & quòd sciat illum esse denunciatum, vt tradit Nauar. c. 27. n. 33. & 112. & habetur c. nuper. de sent. excommunicationis. Vnde in præsenti casu esset necessarium, quòd consentiret percutienti, qui iam iterum percussisset, & quòd talis percussio esset notoria, & hoc intelligo, si consentiret percussioni iniuriosæ factæ non animo satisfaciendi iniuriam illatam: nam si hæc percussio fieret animo satisfaciendæ illatæ iniuriæ (qui est casus illius c. contingit.) etiamsi percutiens iam iterum percussisset, clericus cõsentiens nõ incurreret ipso facto: nam, vt bene ait Panormit. dicto c. contingit. n. 8. aliud est participare cum excommunicato in crimine, aliud submittere se misericordiæ alicuius, cùm possit cogitare illum remissurum iniuriam, cùm debeat quis facilè parcere prostratis. Videre Sylvest. verb. excommunicatio. 6. num. 8.

Secundò, sequitur quòd si ipsemet clericus ex ira vel passione se percutiat iniuriosè, incurret, ita Nauarr. num. 78. & Iulius Clarus lib. 5. quæst. 77. numer. 3. Panormit. dicto capit. contingit. num. 6. Et ratio est, quia nemo potest renunciare ei, quod in fauorem publicum est introductum; hæc autem excommunicatio introducta est in fauorem status clericalis, dicto c. contingit. non tamen incurret, si se percutiat ex deuotione, neque etiãsi percussio sit talis, vt licitè possit sibi eam inferre, licèt non possit consentire, vt sibi ab altero inferatur, vt euellere capillos, vel barbam, vel se alapis cædere ob mortem parentum, vel amicorum. ita Nau. cap. 15. num. 11.

Tertiò, sequitur quòd hæc excommunicatio incurritur, licèt percussio sit merita clerico, dum tamen fiat iniusto modo, vel per quem non debet, vt si clericus dignus morte puniatur à non Iudice suo, vel licèt percutiatur à suo Iudice, percutitur tamen modo contra ipsum ius, vt quando clericus punitur à suo

Præla

Prælato per laicum: licèt enim clericus possit capere clericum per laicum, non tamen potest illum punire, nisi per clericum vel monachum; imò neque etiam potest per alios clericos, quãdo potest ipse commodè facere. cap. Vniuersitas. de sententia excommunicationis. excepto Episcopo. qui non debet verberare suis manibus, nisi quãdo nõ adesset alius ad id faciẽdum.

Quartò, sequitur quòd laicus, per quem Iudex ecclesiasticus torquet clericum, est excommunicatus, nisi deessent clerici ad id idonei, vel nisi consuetudo esset in contrarium: nam stante hac consuetudine Nauarr. cap. 27. num. 86. dicit, quòd licèt peccet, non est excommunicatus, sed lib. 5. Consil. tit. de sententia excommunicationis. consil. 42. dicto 5. (idem dicit comment. 3. de regul. circa finem) ait, quòd non peccat, & hoc est tenendum; nam sicut consuetudo excusat à pœna, ita etiam à culpa, siquidem non est contra ius naturale & diuinum, imò, vt dicit ibidem Nauarr. decens est & honestum, ne clerici vel monachi vtantur officio tam vili. Sed hîc notandum, quòd Fratres Minores, & qui fruuntur eorum priuilegiis, possunt per priuilegia Leonis X. & Alexandri VI. castigare subditos per alios, quod priuilegium, vt tradit Nauarr. consil. citato. dicto 1. non sic est intelligendum, quòd possit Prælatus castigare subditos per laicum, sed quòd licèt non adsit necessitas, possit castigare per alium, Religiosum tamen.

Quintò, sequitur quòd monialis quæ aliqua potione vel flebotomia procurat abortum, non incurrit hanc excommunicationem, ita Caiet. ver. excommunicatio. cap. 10. quia talis actio licèt sit violenta naturæ, non tamen est violenta personæ, nec aliunde est iniuriosa statui clericali. Dicò, *hanc excommunicationem*: nam si procuret abortum in alia fœmina, incurret excommunicationem Sixti V. vt contra procurantes abortum, si sequatur effectus, non tamen incurrit eam, si procuret abortum in seipsa, quia motus proprius Sixti V. quantùm ad excommunicationem, non comprehendit fœminas procurantes abortum in seipsis, vt patebit attentè consideranti literam.

Sextò, sequitur quòd sicut rapina & furtum differunt penes hoc, quòd rapina est acceptio cum violentia, furtum verò cum fraudulentia, sed sine violentia; sic etiam licèt ille qui per vim rapit aliquid de manibus clerici, incurrat excommunicationem, non tamen incurrat qui sine violentia furetur crumenam clerici, verbi gratia, *si le corta la bolsa, ò el cingulo donde està, muy subtilmente*, quia illa scissio non est violenta, sed fraudulenta, neque iniuriosa contra honorem debitum personæ.

Tertia conclusio. Per diaboli suasionem intelligitur percussio, quæ sit mortale peccatum

DVBITATVR decimo tertiò, vtrùm excipiantur aliqui casus, in quibus percutientes clericum non incurrent excommunicationem? Conclusio, multi casus excipiuntur. Primus est, quando percussio fit causa disciplinæ, vt quando corrigit magister, pater vel herus, aut Prælatus. cap. cum voluntate. de sentent. excommunicationis. dummodo non sit notabilis excessus, attenta grauitate culpæ, sic Nauarr. cap. 14. Tabie. verb. excommunicatio. 6. num. 7. in principio. Dico, *notabilis*: nam aliquis excessus non sufficit ad incurrendum; ita Syluest. verb. excommunicatio. 6. num. 6. p. 8. in fine, & clariùs Tabien. numer. 6. & de hoc excessu intelligenda est glossa, dicto cap. cum voluntate. verbo, inferiorum. vbi ait, quòd si excedat modum, non incidit, aliàs contradiceret sibi ipsi in verbo Prælationis, & verbo Magisterij, vbi ait, quòd hæc castigatio debet esse leuis, & sic exponit glossam Tabien. num. 6. citato, neque etiam incurrit, quamuis percutiat ita, dummodo sit causa correctionis

nis, ita Sylueſt. dicta part. 8. in princip. ſecus ſi percuteret principaliter ex odio, vel ira, non cauſa correctionis; ita Nau. caſu citato, & Angel. verb. excommunicatio. n. 8. Vtrùm verò ſit facienda diſtinctio de ordinatis in ſacris, vel in minoribus, gloſſa, Panormit. & Felinus dicto c. cum voluntate, affirmant: Nauar. caſu 14. Tabien. num. 8. Ioannes de Lignano, Petrus de Peruſio, & Roſella tenent quòd non, etiam reſpectu patris carnalis, colligitur ex Soto d. 22. 2. 3. circa fin. abſolutè dicente, *Pater percutiens clericum non eſt excommunicatus*. Et hoc iudico probabilius; excipio tamen herum. Probatur: nam quòd reſpectu Prælati vel Magiſtri non ſit facienda hæc diſtinctio, patet tum ex vſu Religionum, tum etiam quia licèt in dicto c. cum voluntate. ſolùm fiat ſermo de conſtituris in minoribus, tamen in c. 1. de ſenten. excommunicationis, nulla fit diſtinctio, & melior rex. in c. cùm ex tenore. eodem titul. vbi à quodam abſoluendo ab excommunicatione canonis propter percuſſionem cuiuſdam ſubdiaconi, recipitur iuramentum, ne de cætero in clericum vel Monachum manus iniiciat violentas, niſi de mandato ſuorum Prælatorum, vel niſi ſuper eum Prælationis miniſterium aut magiſterium habeat; & hinc probo non eſſe faciendam diſtinctionem reſpectu patris carnalis: nam, vt inquit Tabien. non videtur habere minorem autoritatem ſuper filios, quàm magiſter ſuper diſcipulos.

Quid ſi ſubmagiſter corrigat contra prohibitionem magiſtri principalis? Reſpondetur, quòd non incurrit, ita Sylueſt. par. 8. quia per huiuſmodi prohibitionem nõ poteſt auferri priuilegium iuris, quod eſt poſſe corrigere diſcipulos. Hinc infero, quòd quamuis Prælatus alicuius Religionis per ſe vel per alium Religioſum verberet ſubditum delinquentem contra conſuetudinem, vel conſtitutionem ſuæ Religionis prohibentem, ne illum percutiat, non incurrit, quia non agit contra ius commune.

Secundus caſus eſt, quando percuſſio eſt iocoſa cap. 1. de ſentent. excommunicationis. licèt ſit grauis, ita Nauarr. caſu 1. & Tabien. verb. excommunicatio. 5. num. 4.

Tertius caſus eſt: quando eſt tam ſubita percuſſio, ideſt, ex defectu plenæ deliberationis, vel tam parua, quòd illata laico non eſſet mortalis, ita Caiet. ſup. ex quo infertur primò cum Soto d. 22. q. 1. art. 2. colum. 8. caſu 1. & Mexic. difficult. 4. quando pueri prima tonſura ſe pugno percutiunt, quamuis eliciant ſanguinem in parua quantitate è naribus, non incurrunt, quod intelligo regulariter loquendo, quoniam regulariter non peccãt mortaliter: ita Panormit. c. 1. de ſentent. excommunicationis. Tabien. num. 5. & aliqui viri docti cum Nauar. in Sum. Hiſpana. num. 77. Quod probo ex c. vlt. de ſentent. excommunicationis. vbi dicitur, quòd ſi impubes incurrit excommunicationem canonis, quamuis poſt pubertatẽ petat abſolutionem, poteſt abſolui ab Epiſcopo; quando autẽ fuerit dubiũ, vtrùm iſti peccauerint mortaliter, tunc in dubio ſunt abſoluendi, non tamen ſunt vitandi, quia ſtante hoc dubio non erunt notoriè percuſſores clericorum, & quod diximus de pueris, idem dicebat Magiſter Martius de hominibus adultis infimæ ſortis initiatis prima tonſura vel minoribus. Infertur ſecundò, quòd etiam inter clericos maioris ætatis, licèt ſocius turbatus impellat ſocium clericum ex motu ſubito, non ex deliberatione, non incurrit, ſic Angel. verb. excommunicatio. 5. caſu 1. n. 26. ſiue iſta turbatio proueniat occaſione ipſius clerici percuſſi, vt ſi ioco vnus dicat aliquod conuitium in alterum, & ille turbatur, & percutit, vel ſi turbatio proueniat aliunde, vt in caſu relato à Nauar. lib. 5. Conſil. de ſent. excommunicationis. conſil. 74. ſcilicet quòd canonicus iratus ob quædam contenta in ſchedula, quam legebat, canonicum petentem vt ſibi faceret copiam eam legendi, repulit à ſe, non incurrit, quia talis percuſſio inter

amicos

amicos familiariter conuersari solentes, non est peccatum mortale.

Tertiò infertur, quòd ostiarius vel officialis, scilicet Iudex vel apparitor potestatis secularis, si fortè turbam arcendo irruentem percutiat clericum, non incurret. c. si verò. el 2. de sentent. excommunicationis: nã casus fortuitus non potest præuideri, vt ait ibi glossa; secus si malignatur animo iniuriandi, ita text. iuncta glossa.

Quartus casus est, quando probabiliter ignorauit esse clericum. c. si verò. de sentent. excommunicationis. el 2. quod dupliciter contingit. Primò, quando ille apparet secularis in habitu, & barba protensa, & percutiens non scit aliàs illum esse clericum. Secundò, quando licèt habeat tonsuram, & habitum clericalem, tamen inuenit eum noctu, vel in loco obscuro.

Quintus casus est, quando clericus post trinam monitionem non defert habitum nec tonsuram clericalem. c. contingit. el 2. de sentent. excommunicationis, & non sufficit vna monitio pro tribus, ita Sylu. n. 6. casu 3. Tabien. n. 24. Nau. casu 5. Addit etiam Sylues. quòd hæc monitio debet fieri per Prælatum ecclesiasticum; nec requiritur quòd ista monitio sit specialis, sed sufficit generalis, vt si Episcopus faciat edictum generale, quòd omnes clerici gestent habitum & tonsuram clericalem.

Sextus casus est, quando clericus se transfert ad actum omnino contrarium, vt si fiat miles; c. in audientia. de sentenr. excommunicationis. vel si se immisceat actibus secularibus, verbi gratia, *si se haze mercader*, & ter monitus non abstineat. c. finali. de vita & honest. clericorum. & hoc, quamuis gestet habitum & tonsuram.

Septimus casus est, si clericus fiat bigamus. c. 1. de bigamis. lib. 6.

Octauus, quando est coniugatus cum vnica & virgine, sed non gestat habitum nec tonsuram. c. vnico. de clericis coniugatis. in 6.

Nonus casus est, quando est degradatus realiter.

Decimus, quando est depositus verbaliter, si sit incorrigibilis.

Vndecimus casus est, quando percutit vim vi repellendo. c. si verò. el 1. & cap. ex tenore. de sentent. excommunicat. & talis percussio debet fieri in continenti, dicto c. si verò. & hic casus intelligitur, quãnis possit se defendere fugiendo, dummodo talis fuga esset ei ignominiosa, sic Tabien. num. 11. & Nau. casu 15. Probat Tabien. nam si potest percutere pro defensione rerum, à fortiori pro defensione famæ, secus erit quantùm ad irregularitatẽ, & hic casus etiã habet locum, quãdo percutit, vt defendat parentes, filios, propinquos, familiares, imò & extraneos; sic Angel. num. 13. Tabien. n. 12. & 13. vbi citat Panormit. & Antonin.

Duodecimus casus est, quando percutit vt defendat res quas clericus iniustè captas asportat, vel vi occupat. c. olim. el 1. de restitut. spoliatorum. Dixi, *asportat*: nam si hoc faceret ex interuallo, postquã clericus peruenit ad locum destinatum, & adeptus est perfectam possessionem rerũ ablatarum, incurret, quia non liceret sibi ius dicere, sic Ang. num. 13. & Tabien. num. 14. & 17. Ad huñc casum reducitur, quando detinetur clericus debitor fugiens, aut fugam parans ad præsentandum cum Prælato. Nau. casu 16.

Decimus tertius casus est, quando minister iustitiæ secularis capit clericum in flagranti delicto, vt illum præsentet Prælato suo, addit Nau. cap. 27. vel inuentum noctu, dummodo probabiliter præsumat illum aliquod scelus intendere, aliàs non, vt si fert lumen, vel habet socium, vel est persona à tali suspicione omnino aliena; hãc autẽ additionem ego intelligo, dummodo non deferat habitum clericalem: nã si defert, rarò erit locus huic præsumptioni, & ita lex 9. tit. 3. lib. 1. Recopilat. solùm loquitur quando clericus vel Religiosus, nec defert lumen, nec habitum clericalem, vel suæ Religionis; requiritur

autem quòd talis minister non excedat debitum modum in capiendo, nempe si permittenti se capi & duci quietè, de industria impingit ei pugnos vel calcem, vel mittit in carcerem cum, qui offerebat fideiussionem se præsentandi coram Prælato; sic Nau. Hinc infertur, quòd potest capere clericum incedentem noctu cum armis, quia præsumitur ire ad delinquendum, prout latiùs tradit Nauar. 5. Consil. de sentent. excommunicationis. consil. 44. sequutus Panormit. vide Nau. ibid. *si le puede quitar las armas.* Et colligitur quòd non, & ex Manuele. c. 80. *de des communion.* conc. 3.

Decimus quartus casus est, quando Prælatus capit suum clericũ per se vel per aliũ etiam laicum, aut in pœnam verberat per se, vel per alium clericũ, iuxta suprà dicta.

Decimus quintus casus, quando iustè eiicit ab Ecclesia excommunicatum, vel alium officia diuina turbantem, cap. veniens. de sentent. excommunicationis.

Decimus sextus casus est, quando percutit clericum inuentum turpiter agentẽ cum vxore, matre, sorore, vel filia, &c. si verò de sentent. excommunicationis. el 1. quia difficile est, iustum temperare dolorem; & licèt iste textus prima facie solùm videatur dicere, quòd hic percussor potest absolui ab Episcopo, tamen ex sequentibus verbis constat quòd non manet excommunicatus: ait enim quòd si percutiat clericum turpiter agentem cum consanguinea in remotiori gradu, non excusatur ab excommunicatione; requiritur autem quòd percussio fiat in continẽti ex subita passione. Sic Angel. num. 16. Sylvest. num. 6. casu 16. Nauar. casu 2. & 5. Consil. de sentent. excommunicationis. consil. 41., vbi addit hunc casum etiam verificari, quando maritus abscondit se domi, vt clericus id ignorans veniret, & inuentum cum vxore occideret, quia videtur, intentionem Pontificis fuisse, quòd maritus nõ incurret excommunicationem in illis casibus, in quibus secundùm leges ciuiles esset libera pœna; non tamen excusaretur ab excommunicatione, si conueniret cum vxore, vt dolo accerseretur clericus ad turpitudinem: sic Angel. n. 20. & Nau. casu 20. Petis, vtrùm nomine matris intelligantur aliæ personæ ascendentes, & nomine filiæ aliæ descendentas? Respondeo cum glossa, verbo, matre, quòd non; idem tenet Angel. n. 17. contra Hostiensem, & probat ex l. pater. ff. de adulteriis. & ibi notatis, vbi nomine patris, cui licet impunè filiam in adulterio occidere, non intelliguntur ascendentes. Præterea, nomine vxoris non intelligitur sponsa de futuro, ita Couar. de sponsalibus. p. 1. c. 1. n. 12. idem habetur ex glossa, dicto cap. si verò. quam dicit ab omnibus approbari. Præterea, non requiritur quòd inueniat clericum in ipso coitu, sed sufficit quòd inueniat osculantem & amplexantem in loco suspecto; sic Angel. n. 18. & Nauar.

Decimus septimus casus est, quando detinetur clericus honestè colloquens cum vxore post admonitionem vt ab ea re abstineret, dummodo nihil aliud ei malè faciat, quàm detinere spatio 24. horarũ, ad tradendum suo Prælato, Nau. casu 21.

Decimus octauus casus est, quando mulier percutit clericum tentantem de turpitudine, dummodo tentatio fiat facto & non solo verbo, quia tunc solùm liceret verbalis defensio. Sic Angel. num. 21. Sylvest. num. 9. Nauarr. casu 21. verum est, quòd si clericus esset nimiùm molestus verbis, & fœmina non potest se defendere verbis, non incurreret; sic Tabien. ver. excommunicatio. 5. casu 1. num. 31. & aliqui viri docti. Pro complemento huius disputationis.

Dvbitatvr decimoquartò, vtrùm qui commisit crimen putans falsò habere annexam excommunicationem, incurrat excommunicationem? Videtur quòd sic, qui facit aliquid putãs esse peccatũ, peccat; ergo idem est in excommunicatione.

Conclusio, quòd non incurret, sic Castro 1. de lege pœnali. cap. 5. versiculo, his duabus regulis, & communiter omnes, quæ conclusio patebit ex solutione argumen-

argumenti. Ad quod respondetur concedendo antecedens,& negando consequẽtiam: nam quantùm ad peccatum sufficit mea conscientia ad ligandum me, quoniã quantùm est ex parte mea, facio contra regulam; at verò quantùm ad excommunicationem non sufficit mea conscientia ad ligandum: nam requiritur iurisdictio in excommunicante.

DVBITATVR decimoquintò, quando excommunicatio fertur pro facto negatiuo imponitur ipso facto, vtrùm incurratur ante monitionem? Sylvest. ver. excommunicatio.7. num. 57. dicit, quòd quando ponitur certum tempus, non requiritur monitio,vt cùm dicitur, nisi restituat intra annum, sit excommunicatus ipso facto; at verò quãdo nõ ponitur certum tẽpus,nõ incurritur ante monitionẽ.

Conclusio, licèt non ponatur tempus determinatum,incurritur excommunicatio ante monitionem, ita Panormitan. in cap. excommunicationi. de raptoribus. Caiet. in Sum. verbo, excommunicatio. cap. 23. Nauar. cap. 27.num. 117.Probat efficaciter Caiet. nam Inquisitores odio vel amore omittentes facere quod debẽt, incurrunt sine alia monitione excommunicationem latam in c.multorum,de hæreticis. Hinc sequitur, quòd qui accepit bona naufragorum,& cùm possit non restituit, incurrit excõmunicationem Bullæ Cœnæ, ante aliam monitionem. Sic Caiet.& Nauar.

DISPVTATIO

Quem comprehendant excommunicationes latæ à Prælatis ad reuelandum furta, vel alia delicta,vel res alias.

DDVBITATVR primò,quando excommunicatio fertur contra non manifestantes scripturas,vtrùm comprehendat omnes non manifestantes?

Prima conclusio.Quando scriptura est propria alterius partis quæ impetrauit excommunicationem, & non est possidentis, tenetur possidens sub excommunicatione eam manifestare, imò etiam ante præceptum Iudicis tenebatur ex iustitia: hæc enim certa. Et probatur prima pars: nam pars habet integrum & totale ius in hanc scripturam;ergo mandatum Prælati iustum est.Secunda verò patet: nam talis scriptura, etiam ante mandatum Iudicis, est applicata alteri parti litigãti;ergo possidens tenetur ex iustitia reddere vero domino,tanquam retinens rem alienam,qui ante sententiam Iudicis tenetur reddere vero domino; ita Sylvest. ver.falsarius.q. 3.Hinc sequitur, quòd si non manifestet scripturam, tenetur restituere damnum inde sequutum parti; ita Sylvest. ibidem. Contrà,testis ante interrogationẽ & mãdatum Iudicis non tenetur ex iustitia ferre testimoniũ in fauorem alterius partis litigantis; ergo nec tenebitur ex iustitia manifestare scripturas. Probatur consequentia:nam in iure appellatione testium venit scriptura,c.peruenit.el 1.de testibus cogendis. Respondeo, concesso antecedenti negatur consequentia:est enim magnum discrimen inter scripturam & testimonium: nam scriptura ante mandatum Iudicis præcipientis illam manifestare,est applicata parti;at verò testimonium illud quoniam consistit in propria voce testis, non est applicatum parti litiganti ante præceptum Iudicis. Hæc conclusio vnam habet limitationem, nempe quando scriptura hactenus est possessa bona fide, & ex manifestatione patietur possidens graue detrimentum: tunc enim non tenetur manifestare, licèt feratur excommunicatio.Sic colligitur apertè ex Vega lib.3. casu 365. & tenent aliqui Magistri. Probatur, tum argumentis faciendis pro tertia conclusione,tum etiam: nam qui starum iustè acquisitum cõseruat cum bonis partim iniustè acquisitis, non tenetur restituere bona, quæ iniustè acquisiuit cum graui detrimẽto bonorũ,quæ iustè acquisiuit;ergo ille qui iustè possidet scripturã, non tenetur eam manifestare cum graui detrimẽto imò hæc ratio etiã tenet in casu quòd per fraudẽ obtinuerit scripturã: ita prædi

prædicti Magistri. Hîc tamen valde notandum est, quòd si ex occultatione talis scripturæ dominus eius patietur tantum detrimentum, sicut possidens, tenebitur certè (meo iudicio) eam manifestare, sicut in simili dicemus infrà de debitore, quòd quamuis patiatur damnum in pecuniis, tenebitur soluere, si creditor ex dilatione patitur æquale detrimentum, quia in hoc casu melior est conditio creditoris. Præterea dico, quòd saltem quando per fraudem obtinuit scripturam, & non manifestat, vt euitet detrimentum in pecuniis, quando cessauerit hoc incommodum, tenebitur (meo iudicio) restituere domino scripturæ valorem illius spei, quam habebat vincendi in illa lite ad arbitrium boni viri, si ego manifestarem scripturam; probo etiam à simili: nam quãdo debitor differt solutionem debiti, ne patiatur detrimentum in pecuniis propriis, tenetur postea resarcire creditor interesse & damnum, quod patitur ex tali dilatione, vt tradit Caiet. 2. 2. quæst. 62. ar. 8. quod saltem est verum, quando debitum fuit iniustè contractum; ergo similiter in præsenti.

Secunda conclusio. Quando scriptura est propria possidentis, vel quia iure hæreditario eam habuit, vel quia propria pecunia eam confecit, quamuis etiam contineat ius alterius partis litigantis, idem est iudicium de illa, ac de testimonio viuo, & ita dicimus quòd possidens non tenetur ex iustitia eam manifestare ante præceptum Iudicis; probatur, quoniam in ciuilibus non tenetur aliquis ex iustitia sponte se offerre ad ferendum testimonium ante mandatum Iudicis. Dixi, *ex iustitia*, quoniam ex charitate aliquando tenetur se offerre ad testificandum, vt quãdo proximus sine meo testimonio patietur graue detrimentum in bonis suis. ita Soto 5. de iust. quæst. 7. artic. 1. habita tamen priùs ratione odij, quod incurrit testis, ex eo quòd non vocatus se offert ad testificandum. Secundò, quoniam talis scriptura ante mandatum Iudicis non est appropriata parti litiganti.

Tertia conclusio. Quando scriptura est propria possidentis, & continet ius aduersarij, si Prælatus præcipiat sub excommunicatione, vt manifestet illam, tenetur ex iustitia eam manifestare, & si non manifestet, incurret, ita Soto d. 22. quæst. 1. artic. 2. casu 3. Corduba in Sum. quæst. 63. Ludouic. in Instruct. 2. p. c. 9. circa medium, & communiter iuniores. Probatur altera pars, iustè prosequitur ius suum, & Prælatus iustè præcipit; ergo possidens tenetur ex iustitia manifestare. Contrà arguitur ex cap. 1. de probationibus. vbi Gregor. IX. determinat, neminem esse compellendum vt in medium proferat instrumentum contra se ipsum. Confirmatur, nemo tenetur ministrare arma cõtra se, sed iste exhibendo scripturam patietur detrimentum in illa re, de qua litigatur; ergo non tenetur exhibere.

Ad argumentum respondetur cũ glossa, definitionem Gregorij intelligendam esse, quando reus pateretur graue detrimẽtum; vel secundò, quando scriptura est ita propria ipsius possidentis, vt nec sit alterius partis, nec communis, quia non continet ius aduersarij; secus si esset communis, vtpote continens etiam ius aduersarij, pro qua explicatione est optimus text. in c. G. perpetuus. de fide instrumentorũ, iuncta gloss. Veriùs iudico iuxta dicta in fin. huius materiæ, quòd scriptura solùm vocatur communis, quando charta ipsa est communis. Vide dicta in scholiis n. 10. Ad confirmationem respondetur, quòd licèt ante præceptum Superioris nõ teneatur exhibere illas scripturas contra se, accedente tamen mandato Superioris tenetur, quoniam talis scriptura per mandatum Iudicis applicatur parti, sicut applicatur testimonium viuum. Si opponas Panormit. c. 1. de probationibus, vbi latè tractans hanc materiam dicit quòd possidens scripturas, non tenetur eas manifestare, si sit reus, & actor petit eas ad intentionem suam probandam. Respondeo primò, hanc doctrinam Panormitani intel

intelligendam esse quoad forum exterius, imò dico quòd etiam in foro exteriori. Vide quod dixi in fine huius materiæ: testatur Burgos de Paz q.5.num.4. versiculo 4. & num. 17. versicul. 3. esse communem practicam in curia Pinciana, & omnium iudicum Regnorum Castellæ, quòd ad petitionem actoris, etiam ad intentionem eius fundãdam, semper cogitur reus edere instrumenta, quæ consuetudo est valde consona rationi: nam qui retinet instrumenta, tantùm minus habet iuris, quantum magis habet suus aduersarius mediante instrumento; ergo contra rationem vult agere, vel se defendere, ac si haberet integrum & perfectum ius; si autem possidens instrumentum, non possit illud per se manifestare sine detrimento famæ, poterit dare occultè alicui Religioso, qui manifestet illud tacito nomine possidentis. Verum hæc tertia conclusio limitanda est, nisi ex manifestatione talis scripturę timeat sibi graue detrimentum in vita vel fama, quod non possit euitari, vel etiam in bonis, quæ iustè possidet: tunc enim non tenetur manifestare; probatur: nam testis etiam iuridicè interrogatus non tenetur respondere, si ex testificatione timeat sibi aliquod graue malum. Probatur, ecclesiasticus Iudex non potest obligare ad manifestandam scripturam sub excommunicatione, nisi in illo casu, in quo si possidens esset manifestus, posset Iudex secularis illum compellere, sed iste non teneretur in conscientia obedire præcepto Iudicis secularis in isto casu; ergo. Nec mirum est, quòd in tali casu detur bellum iustum ex vtraque parte, scilicet interrogatio iusta Iudicis, & iusta denegatio responsionis ex parte interrogati, quoniam hoc prouenit vel ex ignorantia, vel ex iuris præsumptione: minor verò, scilicet quòd in isto casu non teneretur homo respondere Iudici seculari interroganti, patet: nam lex humana & præceptum cùm debeat esse suaue & accommodatum humanæ fragilitati, non obligat cum tanto detrimento, nisi in casu quòd id exposceret bonum commune, vel diuinum. Secundò: nam debitor non tenetur restituere cum graui detrimento suorum bonorum superioris ordinis, imò neque inferioris, vt si ad soluendum modò debeat vendere rem suam multo viliori pretio quàm valet.

Hinc sequitur primò, quòd si ego non accepi scripturam per vim, vel fraudem, sed bona fide possideo, & credo probabiliter, quòd si manifesto, pars litigans per talem scripturã non solùm tuebitur proprium ius circa rem, de qua litigatur. Sed etiam me vexabit iniustè circa alia bona, quæ legitimè possideo, quia videlicet petet à me titulum, quo talia bona possideo, quem tamen ostendere non possum, quoniam scriptura, quæ titulum continebat, amissa est, tunc non teneor exhibere scripturam, ita Corduba loco citato, & alij viri docti.

Secundò, sequitur id quod ait Soto, scilicet quòd possidẽs huiusmodi scripturam, tenetur eam manifestare, quamuis timeat vexationem, temperandum esse, vt solùm intelligatur, quando timet vexationem iustam, ita Corduba & Lud. Lopez, vbi sup. & communiter moderni.

Quarta conclusio. Si scriptura peteretur ad puniendum tabellionem, eo quòd malè facta est, tunc nec tabellio, nec possidens, nec alius, tenetur eam manifestare, nisi in illis casibus, in quibus reus & testis legitimè interrogati in causa criminali tenentur respondere, de quibus tractatur 2.2.q.69. & 70.

Hucusque sermonem fecimus de possidentibus scripturas. Loquendo autem de personis, quæ non possident, sed sciunt qui possideant, sit

Quinta conclusio. Si feratur excommunicatio contra non manifestantes eos qui possident tales scripturas, qui scit, & probare potest, tenetur manifestare, nisi excusetur ratione consanguinitatis, vel secreti commissi, vel ob alias causas, prout latiùs dicemus disputatione sequenti.

Præterea quæ omnibus dictata sunt,

nota cum Panormitano c.1.de probationibus.quòd instrumẽta multipliciter possunt dici communia. Primo modo, quia sunt cõmunia vtriusque quoad proprietatem ipsorum instrumentorum, vt quia sunt cohæredes,& instrumenta sunt communia hæredibus,vel sunt pariter donata, vel communi pecunia confecta, & tunc certum est quòd possunt peti vt manifestentur.Secundo modo possunt dici communia, propter materiam in eis contentam;charta tamen non est communis, & tunc si sunt originalia, tenetur possidens ea manifestare, aut sunt exemplata pecuniâ partis,& tunc si petuntur ex parte rei, ab ipso actore sunt manifestanda; si verò petuntur ex parte actoris, & reus est illis vsurus,tenet manifestare;si verò reus non est illis vsurus, & actor petit ad intentionem fundatam coadiuuandam, tenetur reddere, si verò actor petit ad intẽtionem probandam regulariter, non tenetur reus manifestare,quia actor debet venire paratus,& non quærere instrumenta de domo aduersarij, secus est in confessione: nam potest eam petere à reo faciendo positiones,& ratio diuersitatis est:nam respectu confessionis partis non potuit venire paratus,cùm non sit in sua potestate,sed respectu instrumenti sic, siquidem potuit à principio sibi præcauere.

Loquendo iam de excommunicationibus,quæ feruntur ad reuelandum delicta, supponendum est, quòd quædam delicta non sunt in damnum tertij, vt concubinatus, vel ludus, vel quòd clerici vacent negotiationi; alia verò sunt in damnum tertij,vt furtum. Quo posito

DVBITATVR secundò,vtrùm excommunicationes quæ feruntur ad reuelandum delicta,quæ non vergunt in damnum tertij, obligent omnes scientes? Quam quæstionem bene tractat Corduba in Sum.q.64.

Prima conclusio, si huiusmodi delicta sint publica, idest, si delinquens est diffamatus per maiorem partem viciniæ, sunt denuncianda,aliàs non;ita Sylu. verb. vi-

sitatio.n.6.casu 7. Nauar.cap.inter verba. concl.6.corol.4. num.244. Corduba sup. & Ioannes Gutierrez lib. Canonic. quæstionum. c.11. num.75. vide etiam illam c.1.num.34. Probatur, Iudex via inquisitionis licitè posset inquirere de hoc delinquente in particulari,si præcessit infamia, non tamen si non præcessit; ergo præcedente infamia, & instante mandato Iudicis, subditus potest & tenetur denunciare,& non præcedente infamia non potest:nam esset diffamare proximum. Dixi, *diffamatus per maiorem partem vicinia*: nam infamia est rumor quidam ortus de aliquo crimine, non à maleuolis & maledicis sed à probis & honestis hominibus, sparsus per maiorem partem viciniæ, vel collegij, vel Vniuersitatis, in qua habitat, quæ definitio colligitur ex c. inquisitionis,& ex c. qualiter & quando.el 2.de accusationibus.quam explicat optimè Soto de tegendo secreto,memb.2.q.6.dubio 3. Nauar.lib.5.Consil.tit.de sentent.excommunic.cons.59. num.1. ait quòd illa tantùm auditio facit famosum, quæ nascitur ex dicto alicuius, qui vidit rem fieri,& creditur à toto populo, vel collegio, vel maiori parte illius.

Secunda conclusio,quando denunciatio fit Iudici tanquam patri, non requiritur quòd præcedat infamia,satis est quòd præcedat correctio fraterna.

Tertia conclusio,quando præcedit infamia, non est necessarium quòd præcedat correctio fraterna etiam ad denunciandum Iudici,vt Iudici,ita Cordub.sup. puncto 2. casu 1. & Nauar.c. inter verba. concl.6.n.281.§.3. Tenet etiam Emanuel de ordin.iudic. c.concl.4. Probatur: nam hæc correctio non est necessaria ad consulendum famæ proximi, siquidem iam est diffamatus.

DVBITATVR tertiò,quando obligẽt huiusmodi excommunicationes,quãdo feruntur ad manifestanda delicta, quæ sunt in damnum tertij? Quam quæstionem latissimè tractat Ioannes Gutierrez cap.11.

Prima

Prima conclusio. Si delictum est cõtra bonum commune, vt crimen hæresis, statim denunciandum est, quamuis occultum sit, nec requiritur quòd præcedat fraterna correctio. Primam partem docet D. Thom. 2.2. qu. 33. art. 7. Soto 5. de iust. qu. 5. ar. 1. Castro lib. 2. de iusta hæreticorum punitione. c. 25. Nauar. c. inter verba. concl. 6. num. 157. & communiter Doctores. Probatur: nam magis consulendum est bono communi, quàm famæ alicuius particularis. Secunda verò, scilicet quòd non requiritur quòd præcedat fraterna correctio est de mente D. Thom. 2.2. loco citato, & Theologorum. Probatur, nunquam sperandum est eum qui ausus est opponere se Ecclesiæ vniuersali, corrigendum esse per meam monitionem, vt latiùs probat Bañez 2.2. qu. 33. art. 7. ad 4. Agendum est iam de delictis quæ sunt contra bonum particulare alicuius tertij; & hæc sunt dupliciter: nam aliquando damnum est omnino finitum, nec potest prosequi, vt homicidium & adulterium: & de iis

Secunda cõclusio sit. Nullo modo sunt denunciãda, quamuis accedat præceptum Superioris, quandiu sunt occulta, ita Soto 5. de iust. qu 5. art. 1. colum. 6. Nau. cap. 25. num. 46. & Doctores communiter; aliquando verò delictum adhuc est in fieri, vt furtum. & de iis sit

Tertia cõclusio. Ad denunciãda huiusmodi delicta non requiritur quòd præcedat infamia, satis est quòd possit probari delictum. ita Corduba in Sum. qu. 111. in fine. Nau. c. 17. num. 134. & c. inter verba. concl. 6. num. 283. & Soto de tegendo secreto. memb. 2. q. 4. concl. 2. in fine. Probatur: nam hæc excommunicatio non fertur ad puniendum delictum, sed vt delinquẽs excat à peccato, & resarciatur damnum proximi; ergo non requiritur quòd præcedat infamia, satis est, quod possit probari delictum. Quid si non potest probare?

Sit quarta conclusio. Non tenetur denunciare, imò nec potest. Prima pars est de mente D. Tho. 2.2. qu. 68. art. 1. eam tenet expressè Nau. c. 17. num. 135. & c. inter verba. concl. 6. nu. 283. & P. Henr. lib. 13. de excommunic. c. 18. num. 3. lit. B. Probatur primò, quia nemo tenetur ad id, quod non potest debitè perficere. Secundò: nam qui denunciat, & non probat, præsumitur calumniator. c. si Sacerdos. de offic. ordinarij. Secunda verò, scilicet quòd non potest, est Nau. c. 17. num. 134. & c. 18. n. 61. & c. inter verba. concluf. 6. n. 283. & Emanuelis tract. de ordin. iudic. cap. 2. concl. 5. & c. 4. concl. 11. & Ludouic. Lopez in Instructor. conscientiæ. 2. p. c. 10. colum. 1. quod intelligendum est etiam si delictum sit in fieri in damnum tertij, vt ait Soto de tegendo secreto, membro 2. q. 4. concl. 2. versicul. nihilominus, vbi ait ex Adrian. crimen quod probari non potest, nec per infamiam aut indicia disquiri; Iudici tanquam Iudici non licet denunciare; poterit tamen tunc denunciare extra iudicialiter vel admonere illum, cui parantur insidiæ, vt ait Nau. c. inter verba. concl. 6. num. 90. Ille qui dicitur prodesse, & non obesse, tanquam potenti prodesse, & non obesse, non est Iudex inquantum Iudex. ita Nau. num. 289. Petis, vtrùm excusatus à denunciando iudicialiter, quia non potest probare, teneatur sub eadem censura manifestare Prælato, vt patri, si Prælatus sit talis, qui possit prodesse & non obesse?

Sit quinta conclusio, quòd non tenetur. Patet: nam censuræ non excedunt suos casus, sed istæ censuræ solùm feruntur ad denunciandum iudicialiter; ergo non sunt extendendæ ad denunciandum paternaliter. Petis: si potest probare, tenetúrne priùs monere secretò furem, vt satis faciat?

Sexta conclusio. Si sit spes quòd hæc admonitio sufficiet, præmittenda est. ita Nau. c. 17. num. 134. & Ludouic. Lopez in Instructor. conscientiæ. 2. p. c 10. colum. 2. Probatur, teneor consulere bono spirituali damnificãtis, & temporali damnificati, cum minori damno possibili famæ delinquentis, supposito quòd est occultus; ergo si spero quòd per secretam monitionem consequar vtrumque, teneor eam præ-

mittere. Quid sentiendum est de quodam casu multoties occurrente in praxi; Petrus habet debita, & ne creditores faciant executionem in bonis illius, vendit ea Ioanni in confidentia, & ad instantiam creditorum fertur excommunicatio, vt qui possidet bona Petri, vel scit qui possideat, id manifestet; si Ioannes non possit probare testibus illa bona esse Petri, vtrùm possit vel teneatur illa manifestare?

Septima conclusio. Si Ioannes moneat Petrum quòd restituat, vel recipiat sua bona, & Petrus neutrum vult, iudico quòd tenetur denunciare; ita colligitur apertè ex Sylues. ver. restitutio. 3. num. 10. §. 4. Probatur: nam probatio vel est necessaria, ne denunciator præsumatur calumniator & inuidus, & hæc præsumptio cessat prorsus, quia denunciator nollet tradere ea bona, si essent suæ; vel est necessaria, ne infamet proximum de delicto occulto, & hæc ratio quamuis esset efficax, si Ioannes solùm esset conscius huius delicti, tamen in hoc casu non solùm est conscius, sed particeps: nam occultando huiusmodi bona, est causa quòd Petrus non soluat, & est particeps huius delicti ad eum modũ, quo ille qui occultat bona sibi in custodiam tradita à latrone. Vide quandam limitationem p. 1. disp. 5. dub. 2. concl. 2.

Octaua conclusio. Qui cùm teneatur denunciare furem, non denunciat, non solùm incurrit excommunicationem, sed insuper tenetur restituere damnificato. Sic Nau. c. 17. n. 134. & idem tenet Soto loquendo de teste. lib. 5. de iust. q. 1. col. 3. ante solutionem ad 1.

Nona conclusio. Huiusmodi monitoria non obligant ipsum delinquentem, vt se prodat, sed vt restituat; sic Nau. c. inter verba. concl. 6. n. 306. circa finem. Quid si Iudex non per viam denunciationis, sed post semiplenam probationem oram ipso facta ad effectum conficiendi plenam probationem, præcipit sub excommunicatione, vt si illud scit, veniat ad testificandum, & ego scio, sed non possum probare, vtrùm tenear deponere quod scio?

Decima conclusio. Teneor sub excommunicatione, licèt non præcedat secreta monitio, nec possim probare; ita Nauarr. c. 17. num. 135. & latiùs c. inter verba. concl. 6. num. 282. & 286. & Ludouic. vbi suprà, colum. 3.

Vndecima conclusio. Vt denunciator dicatur posse probare delictum, sufficit quòd habeat alium testem integrum: nam ipse denunciator valet pro teste, sic Soto 5. de iust. q. 6. art. 2. in concl. 4. Nauar. c. 25. num. 33. tex. optimus c. in omni. de testib.

Ex dictis sequitur, quòd quando in hac Indica regione præcipitur sub excommunicatione in generalibus edictis, vt qui scit hîc habitare aliquos coniugatos, qui reliquerunt vxores in Hispania, illos denunciet, qui scit & probare potest, tenetur denunciare, præmissa priùs secreta monitione, quamuis talis coniugatus non sit diffamatus. Probatur: nam hoc peccatum cedit in iniuriam tertij, nempe vxoris; sed hoc corollarium limitandum est, nisi hi coniugati hîc resideãt cum expresso consensu vxoris, & curent lucrari, vt postea commodiùs possint cohabitare cũ vxere alẽdo familiam, & collocando filias in statu; vel quamuis nõ habeant consensũ expressum vxoris, tamen sunt pauperes, & hîc sunt in via lucrandi, vel premuntur ære alieno, & timent quòd si eant ad cohabitandum cum vxore, mittentur in carcerem à creditoribus, vel denique si essent adeò infirmi, vt non possent tam longum iter arripere; in his enim casibus & similibus quandiu coniugati excusantur ab eundo, ita etiam qui sciunt coniugatos esse excusatos, ipsi etiam excusantur à denunciando.

DVBITATVR quartò, quãdo ferũtur huiusmodi excommunicationes pro furtis, vtrùm excommunicatio incurratur post primam chartam? Supponendum est, quòd in aliquibus Episcopatibus dantur tres chartæ distinctæ. Prima vocatur monitoria, secũda declaratoria, tertia denuncia-

ciatoria, quæ leguntur succeſſiuè in tribus Dominicis, vel feſtis; in aliis verò dantur omnes tres chartæ ſimul in vna; quæ dicuntur accumulatè aſſignando terminum ſex dierum pro tribus terminis, & vltimus eſt peremptorius. Quando dantur hoc ſecundo modo, certum eſt, quòd ante hunc vltimum terminum nõ incurritur excommunicatio; ſed quando dantur primo modo, videtur quòd ſecundùm formam incurritur excommunicatio poſt terminum primæ chartæ non expectata ſecunda, quia prima dicit, mandamus ſub excommunicatione latæ ſententiæ; verum eſt quod Magiſter Pena tenuit, quòd ſecundùm vſum videtur requiri ſecunda declaratoria; ſed in hoc ſtãdum eſt vſui & intentioni Iudicum. In hoc autem Archiepiſcopatu Limenſi pro certo iudico quòd non ſufficit prima charta, quia tantùm dicit, *ſub excommunicatione*, & non addit, *latæ ſententiæ*, vnde requiritur & ſufficit ſecunda charta.

Si obiicias, quòd ſecunda charta non excommunicat, ſed declarat excommunicatos? Reſpondeo, quòd licèt hæc verba, quia dubia ſunt, non ligent regulariter loquendo, ligant tamen & excõmunicant, quando ex aliis circunſtantiis colligitur euidenter hunc eſſe morem Iudici excommunicandi, vt rectè ait Palac. in 4. d. 18. diſput. 4. colum. 9. & talis videtur clarè eſſe in præſenti, ſi quidem in prima charta non ponitur latæ ſententiæ. Reſtat modò videre, vtrùm omnes qui acceperunt vel ſciunt, comprehendantur, vel potiùs excuſentur aliqui, quod vt exactiùs explicetur. ſit

DISPVTATIO V

De cauſis excuſantibus ab incurrenda excommunicatione.

DVBITATVR primò, quando fertur excommunicationes pro furtis, vtrùm comprehendant omnes, qui acceperunt, vel excuſentur aliqui? Concluſio, aliquæ ſunt cauſæ, propter quas qui acceperunt, excuſantur ab incurrenda excommunicatione.

Prima cauſa eſt, quando pars non intẽdit quòd comprehendãtur. Pro cuius probatione ſupponendum eſt, quòd ad excommunicandum vltra iuriſdictionem requiritur intentio Iudicis: nam, vt docet Panormit. cap. ex parte. el 1. de offic. ordinarij. excommunicatio ſumit vires ab intentione excommunicantis. Hoc poſito, eſt argumentum, quando excommunicatio fertur ad inſtantiam partis, debet regulari ſecundùm intentionem partis, vt dicit Angel. verb. excommunicatio. 3. n. 16. Sylueſt. verb. excommunicatio. 2. n. 1. caſu 14. Nau. c. 27. num. 11. nam iudicium requiſitum non debet excedere intentionem requirentis; ergo non comprehendit eos, quos pars non intendit vt comprehendantur.

Hinc ſequitur primò, quòd quando maritus vel pater petit excommunicationem contra eos, qui clam aliquid rapuerunt, regulariter loquendo non comprehenditur vxor nec filij; ita Soto 4. de iuſt. quæſt. 3. art. 1. corp. in fine, Ludouic. in Inſtructor. conſcientiæ. 2. p. cap. 12. verſùs finem. Dixi, *regulariter*. nam ſi maritus vel pater explicet hoc eum velle, vel ſi quantitas furti ſit adeò magna, quòd prudenter præſumatur eum velle, ligantur, ita Ludouic. & alij viri docti, & clarè ſentit Corduba quæſt. 176. Aduerto tamẽ, quòd licèt in caſu huius præſumptionis vxor vel filius debeat ſe reputare excommunicatum, tamen ſi reuera pater id non intendit, non erit excommunicatus coram Deo. Secundò ſequitur, quòd ſi creditor ante completum terminũ præfixum à Iudice proroget illum, quamuis debitor non reſtituat in primo termino à Iudice præfixo, non incurret excommunicationem. Quid ſi non ſoluat in ſecundo termino? Reſpondetur, ſi terminus prorogatus eſt ex conſenſu Iudicis, incurret, aliàs non, ita Nauar. cap. 27. n. 15. Sylueſt. ver. excommunicatio. 2. num. 1. caſu

1. casu 13. Angel. ver.excommunicatio. 1.num.21. Prima pars de se patet; secunda verò probatur, nam licèt excommunicatio lata ad petitionem partis possit tolli ex solo consensu illius; non tamen potest suspendi, aut dilatari, ita, vt semel sublata iterum reuiuiscat: nam ad hoc requiritur iurisdictio, quam pars ipsa non habet. Contra hoc arguitur: nam, vt inquit Nauar.cap.23.num.104. excommunicatio lata ipso iure contra pensionarium, si nō soluat pensionem in certo termino, non censetur incursa, donec is cui pensio debetur, declaret se velle illam esse incursam, & quòd illo etiam post terminum declarante, pensionarius habetur pro excommunicato, & incurrit illam etiam post terminum. Respondetur, quòd hæc doctrina habet verum, quando pars habet autoritatem ad hoc à summo Pontifice, atque adeò non est ex solo consensu partis.

Secunda causa est, quando ex tenore excommunicationis constat ferri pro furto mortali, vt quando dicitur, *quienes de votorros con poco temor de dios*, &c. tunc qui non peccauit mortaliter in accipiendo excusatur, vt quando multi diuisim deuastant vineam per furta venialia; idem est quãdo excommunicatio fertur pro magno furto, & tamen ego solùm accepi rem paruam quantumuis sufficiétem ad mortale, vt latiùs dixi disp.2.dub.5.

Tertia causa est, quando accepit in recompensationem iustam eius quod sibi debebatur de iustitia. ita Soto d.22.qu.1. artic.2.casu 3. & 5. de iust. quæst.3.art.3. ad 1.Nau.cap. 17.num.112. & cap. inter verba.concl. 6. num. 294. Gutierrez lib. Canonic.quæstionum.cap.11.numer.67. & omnes Doctores: sed circa hæc aliqua sunt notanda. Primò, nota quòd debitum debet esse certum; vnde si est dubium, vel partim certum, partim dubium, excommunicatio ligabit pro parte dubia; sic aliqui viri docti, & colligitur ex Autoribus citatis, qui dicunt, quòd debitum debet esse liquidum; sed specialiter colligitur expressiùs ex Corduba 1. Quæstionarij. quæst.34. & in Sum. quæst.111. circa finem. & Nau. cap.17.num.117. qui etiam id tenet expressè. cap. inter verba. concl.6. num.296. Secundò, nota cum Nau. concl. 6. modò citata, num 295. & Soto 5. de iust. loco citato, & Sylvest. ver.excommunicatio. 2.num 21. casu 10. quòd iste non incurret, quamuis peccauerit accipiendo, eò quòd poterat commodè recuperare debitum per viam Iudicis. Probatur, quia licèt accipiendo peccauerit contra Iudicem vsurpando eius officium, nō tamen peccauit contra partem, vtpote quæ verè debebat, & sic cessat necessitas restitutionis. Tertiò, nota quòd qui certò scit illum accepisse in recompensam iustam, non tenetur manifestare, ita Corduba in Sum. quæst.64. puncto 2. casu 4. & quæst. 111. in fine. Nauar. cap.17.n. 114. & cap. inter verba, loco citato, secus si dubitaret, licèt recuperans id attestaretur, nisi is esset tantæ autoritatis, vt alter meritò posset deponere dubium, ita Nauar. cap.17.num. 114. & Gutierrez num. 67.citato.

Ex dictis sequitur primò, quòd huiusmodi excommunicatio contra accipientes non comprehendit vxorem, filios nec cognatos delinquentis abscondentes huiusmodi bona, si pertinent ad compensandam dotem, vel aliud debitum; ita Nauar.cap.17.num.135. & Gutierrez sup. Idem dicendum est, si ad petitionem creditorum ferantur huiusmodi excommunicationes, vt vxor abscondat ea bona, quæ necessaria sunt ad soluēdam sibi dotem, ita Corduba in Sum.qu.126. (Nota quòd bona paraphernalia, nec arrha non habent ius prælationis. vt habes in Ant. Gom.leg.53. num.41. & vide ibi vtrū sit in practica.) & hoc intelligendum est cum duabus limitationibus: prima, quòd alia debita mariti non sint hypothecę expressæ anteriores, nam dos præfertur quidem hypothecis tacitis etiam anterioribus, & expressis posterioribus, sed non anterioribns, vt copiosiùs tradit Sylvest.

ver.

ver. dos. num. 14. Antonius Gomez l. 53. Tauri. num. 39 & Couar. 1. Variarum. cap. 7. num. 1. & 2. Secunda limitatio est quòd vxor non se obligauerit ad soluenda debita mariti. ita Corduba q. 126. citata. dicto 1.

Secundò sequitur, quòd si Maria retineat res Petri, qui eam stuprauit, & dotem promisit, & defunctus est, quamuis ad instantiam consanguineorum Petri feratur excommunicatio, non tenetur ea bona tradere, sed potest sibi retinere in compensationem dotis, ita Corduba in Sum. quæst. 188. & Gutierrez sup. num. 67. Rogas, si Petrus habet apud se depositum librum valentem decem aureos, & ego clam accipio illum pro totidem aureis, quos mihi debet, vtrùm tenear reddere librum ob excommunicationem latam? Respondeo, quòd teneor; & qui scit me accepisse, tenetur manifestare; ita Nau. c. 17. num. 114.

Tertiò sequitur quòd si ego possideo rem titulo præscriptionis, quamuis transacto tempore statuto per leges ad præscribendum feratur excommunicatio cõtra possidentem talem rem, non teneor respondere: ita habetur ex doctrina Couar. regula possessor. p. 3. §. 2. n. 3. versicu. 3. ab eadem; & ratio est manifesta: nam secundùm Doctores communiter, ego sum verus dominus illius rei, & tuta conscientia illam possideo, & hoc est verum, quamuis in excommunicatione dicatur, quòd qui possidet illam rem etiam titulo præscriptionis, eam manifestet, quia dominus vult repetere: nam hoc præceptum vel continet intolerabilem errorem, vel intelligendum est in casu, quòd non sint seruatæ conditiones requisitæ ad præscribendum: credo tamen quòd si non esset transactum tempus, in quo secundùm iura est locus repetitioni, de quo tractat Couarr. 3. p. citat. §. 3. num. 2. tenetur respondere.

Quarta causa est impotentia ad obediendum, vnde quando fertur excommunicatio contra eos qui furati sunt, si fur, quando fertur excommunicatio, non potest restituere, non incurret, ita Sylues. ver. excommunicatio. 2. num. 1. casu 12 Soto art. 1. citato, colum. 8. casu 2. Nau. c. inter verba. concl. 6. à num. 297. vbi hoc optimè tractat, & omnes Doctores. Et ratio est, quia iste non peccat non restituendo: nemo enim obligatur ad impossibile, cap. nemo. de regulis iuris. in 6. & hoc est verum, quamuis fur dicat, quòd licèt posset, non restitueret: nam excommunicatio solùm fertur contra eum, qui non restituit, cùm tamen possit. Dixi, *si quando fertur excommunicatio, non poterat restituere*: nam si tunc poterat, incurrit, & quamuis postea veniat in egestatem, & non possit restituere, semper durat excommunicatus quoad Ecclesiam, quamuis fortè sit in gratia, ita Soto. Sed circa hæc aliqua sunt notanda.

Primò, nota cum Soto, quòd si iste fecit furtum magnum, & potest restituere partem, quæ sit alicuius momenti, tenetur restituere, aliàs incurret. Secundò, nota quòd in præsenti non solùm dicitur nõ posse restituere ille qui simpliciter est impotens, vel est in extrema necessitate, sed etiam qui non potest sine magno incommodo: nam in moralibus hoc dicitur impossibile; ita Sylues. ver. excommunicatio. 2. num. 23. vbi citat Panormit. tenet Nau. cap. 17. numer. 55. & habetur ex iis quæ traduntur 2. 2. quæst. 62. art. 7. verum est, quòd Soto dicit illum teneri restituere etiam cum detrimento victus & vestitus; sed hoc est nimis rigidum: nam per ecclesiasticum præceptum, quamuis habeat adiunctam excommunicationem, non tenetur debitor strictiori vinculo ad restituendum, quàm antea tenebatur ex obligatione iustitiæ; sed iste ex vi obligationis iustitiæ non tenebatur restituere cũ tanto detrimento; ergo neque etiã tenetur ex vi præcepti ecclesiastici.

Quid si Prælatus præcipiat, vt qui surripuit talem rem, eam restituat etiam cum detrimento sui status? Sylues. sup. & Corduba 1. Quæstionarij. quæst. 43. circa medium

medium, dicunt quòd ligaret hæc excommunicatio, poteſt probari: nam Iudex ſecularis iuſtè compellit debitorem ad ſoluenda debita, licèt ſit cum detrimento ſtatus; ergo Prælatus eccleſiaſticus iuſtè poteſt id præcipere; ſed ego probabilius reputo, quòd non ligaret. Probo: nam, vt dictum eſt, per eccleſiaſticum præceptum nullus tenetur ſtrictiori obligatione iuſtitiæ, quàm antea tenebatur; vnde tale præceptum vel præſumendum eſt iniuſtum, vel quòd ponitur ad terrorem, ne aliquis prætextu amiſsionis ſtatus, retineat alienum in caſu, quòd reuera non ſequeretur talis amiſsio.

Ad argumentum in contrarium reſpõdetur, quòd licèt per ſe nõ poſſit dari bellum iuſtum ex vtraque parte, bene tamẽ per accidens, & ſic eſt in præſenti: nam Iudex procedit ex falſa præſumptione, ſcilicet quòd non patietur tãtum detrimentum; quod probo exiure ciuili: nam Inſtit. de actionibus. §. vlt. dicitur, inhumanum eſſe ſpoliatum fortunis ſuis in ſolidum condemnare. ex l. in condemnatione. ff. de regulis iuris. & l. qui bonis. ff. de ceſsione bonorum. quando aliquis cedit bonis, deducendum eſt aliquid ne egeat, ſed habeat vnde competenter viuat iuxta qualitatem perſonæ, vnde quandiu debitor non vult vti hoc remedio ceſsionis bonorum, præſumit Iudex quòd licet ſoluat, non patietur detrimentum ſtatus.

Secundò reſpondetur quòd licèt admitteremus quòd Iudex ſecularis poſſet iuſtè compellere, ſecus eſt in eccleſiaſtico Iudice, qui non intendit per ſe primò & directè in vtilitatem temporalem damnificati, ſed in ſpiritualem damnificantis. Quid ſi creditor pateretur magnum detrimentum? Reſpondetur, quòd qui furripuit, tenetur reſtituere etiam cum æquali detrimento, vt ait Syl. loco modò citato; excipio tamen caſum extre[illegible]æ neceſsitatis: nam ſi vterque ſit in extrema neceſsitate, non tenetur debitor reſtituere: nam tunc omnia fiunt communia, & melior eſt conditio poſſidentis.

Tertiò, nota quòd in caſibus, in quibus debitor non tenetur reſtituere, alter qui ſcit eum furripuiſſe, non tenetur manifeſtare, ſi conſtet illi de impotentia debitoris, ita Nauarr. c. inter verba. concl. 6. n. 298. corol. 66.

Quartò, addit tamen quòd debitor, & ille qui ſcit debent procurare, quòd aſſecuretur debitum præſtando aliquam cautionem, ſeu alia via commodiori, ſalua fama delinquentis, prout ipſe latiùs explicat. Fundamentum eius eſt: nam D. Thom. 2. 2. quæſtion. 62. articul. 8. ad 2. dicit, quòd debitor, ſi eſt impotens ad reſtituendum, debet petere dilationem à creditore, alij autem viri docti dicunt, quòd licèt quando fur iam incurrit excommunicationem, quia tũc poterat reſtituere, ſi quando petit abſolutionem, non poteſt reſtituere, non eſt abſoluendus, niſi præſtet cautionem, quam poteſt, vt dicemus capit. 7. tamen ſi non incidit in excommunicationem, quia quando fertur excommunicatio, eſt impotens ad ſoluendum, non tenetur in rigore præſtare cautionem, nec qui eſt conſcius furti, tenetur id procurare, tenet P. Henr. c. 18. num. 4. quia Prælatus per ſe primò intendit quòd reus exeat à peccato. Et hoc videtur mihi probabilius. Probatur primò: nam qui non poteſt ſoluere, non tenetur petere remiſsionem, nec dilationem debiti. Secundò: nam iſtud mandatum ſub excommunicatione non ponit nouam obligationem iuſtitiæ, ſed ante hoc mandatum non tenebatur præſtare cautionem; ergo nec modò. Tertiò: nam hæc excommunicatio non fertur directè in vtilitatem temporalem damnificati, ſed in ſpiritualem damnificantis, vt dixi diſp. 2. dub. 1. ſcilicet vt exeat à peccato: ſed iſte non peccat non reſtituendo; ergo ad nihil ampliùs tenetur. Ad fundamentum Nau. reſpondetur cum Soto 4. de iuſt. q. 7. artic. 4. ad 2. illa verba D. Thom. non eſſe intelligenda de præcepto, ſed de conſilio, imò viri docti ſuprà relati dicunt, quòd fortaſſe Nauarro poteſt explicari de conſilio.

Petis

Petis, si iste qui modò non habet vnde restituat, venerit postea in pinguiorem fortunam, vtrùm teneatur restituere sub excommunicatione. Soto sup. Mexic. difficult. 6. de excommunicat. post 2. conclu. Ludouic. in Instructor. conscientiæ. par. 2. cap. 12. & alij viri docti dicunt, quòd tenetur, quia illa excommunicatio semper durat, quod intellige, nisi Iudex sit mortuus vel amotus, ita Sylues. verb. excommunicatio. 2. num. 1. casu 15. Ang. verb. excommunicatio. 3. §. 18. nam excommunicatio lata per modum sententiæ, quæ non habuit effectum in vita sententiantis, expirat. Quid si Episcopus præcipiat, vt qui habet librum Petri infra sex dies restituat, & post sex dies fulminat sententiam, si Ioannes habens librum, & ignorans monitionem, quia erat absens, venit post illos sex dies, & intelligit latam esse sententiam, vtrùm incurrat si non restituat? Respondetur cum Armilla verb. excommunicatio. num. 34. & Ludouic. loco citato, quòd non incurrit, quia sententia vltra terminum statuentis nullum habet vigorem; limitat tamen Ludouic. nisi Iudex intenderet ferre sententiam in contumaces futuros à notitia censuræ, nisi intra sex dies restituerent librum: ad hanc impotentiam reducitur quando non potest restituere sine detrimento famæ: tunc enim excusatur; & hæc infamia delinquentis excusat conscium delicti à denunciando, iuxta Nauar. cap. inter verba. conclus. 6. num. 330. vbi allegat D. Thom. & Sotum.

Propter eandem causam imporentiæ excusatur ab excommunicatione ille qui intra certum terminum præcipitur comparere sub excommunicatione, & tamen habet legitimum impedimétum ad comparendum. Probatur, quoniam Iudex non intendit illum excommunicare, si habet iustum impedimentum, & si id intenderet, excommunicatio esset nulla; ita Sylues. verb. excommunicatio. 2. num. 23. & Nauarr. cap. 27. num. 38. quia contineret errorem intolerabilem, quamuis oppositum teneat Couar. cap. alma mater. part. 1. §. 11. num. 11. dicens quòd licèt sit iniusta, ligat tamen.

DVBITATVR secundò, quando feruntur huiusmodi excómunicationes ad reuelandum scripturas, furta, vel alia delicta, vtrùm excusentur à denunciando aliquæ personæ ratione cognationis, vel damni sibi imminentis, vel secreti commissi, vel alia de causa?

Prima conclusio. Cognati excusantur à denunciando, ita Nau. cap. inter verba. concl. 6. n. 312. Gutierrez libr. Canonic. q. c. 11. num. 55. & est text. in l. Iulia. ff. de testibus. Nomine autem cognatorum intelliguntur parentes, & alij ascendentes; filij, & alij descendentes; & etiã vir & vxor, socer, gener, vitricus, priuignus, fratres; & horum filij, scilicet *primos germanos*, & reliqui intra quartum gradum. Sic Nauarr. supr. Itaque licèt isti sciant quòd aliquis cognatus est in concubinatu, & est diffamatus, vel quòd retinet scripturas, vel fecit furtum, & tamen non vult parêre, non tenentur denũciare. Probatur primò, quia malum patris vel viri, censetur malum filij vel vxoris, & è contrà, & sic proportionaliter de aliis. Secundò: nam sic expedit ad conseruationem Reipublicæ, quia sine amore & vnione inter prædictos Respublica, nec familia, imò neque vna domus posset consistere; sed per huiusmodi denunciationem facilè dissolueretur amor & vnio; ergo: excipio tamen crimen hæresis, in quo pater tenetur denũciare contra filium, filius contra patrem, vir contra vxorem, & è contrà, vt ait Nauar. cap. inter verba. conclus. 6. n. 327. Castro 2. de lege pœnali, quod partim est contra Simancas de Catholicis institutionibus. tit. 19. num. 12. sed contrà pater tenetur, vt ipse Simancas concedit; ergo & filius. Præterea: nam bonum fidei & Religionis præponendum est honori debito parentibus, excipio etiam crimen læsæ maiestatis humanæ, quando est in fieri, & non sunt alij testes, quia tunc periclitatur caput Reipublicæ, & ipsa Respublica; reli-

qui verò consanguinei secundùm maiorem vel minorem coniunctionem inter se, tenentur in pluribus vel paucioribus casibus, quando id exposcit bonum commune, deficientibus aliis testibus. Hanc conclusionem limitat Angelus de Clarauasio, quem videtur sequi Gutierrez num. 55. vt solùm habeat verum, quando Iudex vult procedere criminaliter, secus autem si ciuiliter; at verò alij viri docti loquuntur etiam in casibus ciuilibus, & ita videtur loqui Nauar. cap. inter verba. locis citatis, & ego idem iudico, quia magna sequeretur perturbatio in Republica & familiis, si existentibus aliis testibus, cõsanguinei denunciarent contra se.

Secunda conclusio. Etiam excusantur qui non possunt denunciare sine magno detrimento in vita, fama, vel honore, vel in substantia, id est, *en la hazienda*; sic Nauar. cap. 25. num. 50. & cap. inter verba. concluſ. 6. num. 224. Soto de tegendo secreto. membr. 2. quæst. 7. post 3. concluſ. dub. 5. Corduba in Sum. quæst. 64. puncto 2. casu 5. Gutierrez num. 25. Probatur: nam leges humanæ sunt suaues, & ideo non obligant cum tanto detrimento, & eodem modo excusatur ille qui emit bona in confidentiam, de quo disput. præced. dub. 3. concluſ. 7. iste enim si non potest manifestare bona sine detrimento famæ, excusatur ab excommunicatione, curare tamẽ debet quòd debitor recipiat sua bona, vel quòd alia via satisfaciat creditori; intelligitur autem hæc concluſio, nisi in casu quòd aliud exposcat bonum diuinum vel commune, suppositio quòd non sint alij testes sufficientes, vt ait Nauar. cap. inter verba. concluſ. 6. num. 315. & 320. tunc enim debeo pati detrimentum proprium maius vel minus, secundùm quod exposcit bonum commune.

Tertia concluſio. Etiam excusantur illi, quibus delictum reuelatum est causa capiendi consilium, sic D. Thom. 2. 2. q. 70. art. 1. ad 2. Paludan. in 4. dist. 27. art. 3. numer. 27. & Philippus Probus citatus à Nauar. conſ. 3. de cens. & exact. num. 3. qui incipit, Inter Seium. Nauar. item cap. inter verba. concluſ. 6. num. 299. Corduba vbi sup. casu 3. Gutierrez num. 58. Nauar. 2. de restitutio. cap. 4. dubitatio 9. casu 3. vnde hac ratione excusantur Aduocati, Procuratores, Theologi, Medici, obstetrices. Probatur: nam ad bonum commune spectat, quòd homines securè petant consilium sine timore reuelationis; aliàs enim deterrerentur homines à petendo consilio, & daretur occasio errandi; vnde intentio Prælatorum non est, obligare in isto casu. Videte multas alias rationes in Nauar. citato.

Hanc cõcluſionem limito primò cum Corduba & Nauar. num. 305. ad 1. nisi istæ personæ id scirent alia via. Hoc intelligo, suppositio quòd possit probare: nam regula generalis est, quòd si non potest probare, non tenetur denunciare: vt patet ex disputat. præced. dub. 3. concluſ. 4. Secundò limito cum D. Thoma, nisi quando talis denunciatio esset necessaria ad euitandum damnum Reipublicæ, vel magnum damnum alicuius tertij: tunc enim reuelandum est, si alia via non potest impediri damnum, vt ait Corduba sup. & 1. Quæstionarij. quæst. 43. dub. 2. §. Tertiò si verò. & Gutierrez num. 47. & Nauar. num. 305. perpendendum tamen est, vtrùm reuelatori sequatur maius malum in fama, quã alteri tertio in substantia, vt ex Nauar. tradit Gutierrez num. 58. & ita tenet Nauar. dicto num. 305. allegans D. Tho. in 4. dist. 19. 2. 3. q. 1. ad 2.

Quarta concluſio. Ille qui indiget cõsilio, vt sciat ad quid teneatur, & non potest consilium capere intra terminũ præfixum in excommunicatione, non incurret: nam censetur impeditus, & impedito non currit præscriptio, secundùm regulam Iuristarum.

Quinta concluſio. Quando in Edictis præcipitur, vt qui audiuit delictum, denunciet, ille qui audiuit à personis leuibus non fide dignis, non tenetur denunciare, ita Eman. de ordin. iud. c. 4. concl. 10. & Graphis in Summa lib. 4. cap. 8. n. 30.

& idem

& idem dicit quando audiuit per vicos & plateas à personis incognitis, vel non fide dignis. Nauar. cap. 25. num. 46. & cap. inter verba. concluſ. 6. num. 292. Corduba in Sum. quæſt. 64. qui dat consilium, vt qui audiuit faciat, quòd illi, à quibus audiuit, testificentur; sed consilium hoc reiicit Nauarr. dubit. ratio. citata. numer. 228. casu 6. nam si personæ non sunt fide dignæ, exponit reum manifesto periculo iniustæ infamiæ. Verùm hîc nota, quòd quando delictum est tale, quòd ad denunciandum illud, requiritur infamia, iuxta dicta disputat præced. dub. 2. quamuis audierit delictum à persona fide digna, non tenetur (meo iudicio) denunciare, nisi etiam audierit esse infamiam. Probatur, quamuis ipse videret delictum, non teneretur denunciare, nisi sciret esse infamiam; ergo à fortiori si tantùm audiuit delictum.

Sexta concluſio. Quando homo non scit delictum ex visu, sed ex auditu alterius fide digni, si hic denuncet, non tenetur qui audiuit denunciare, sic Nau. c. inter verba. concluſ. 9. n. 292. Probatur, quia suum testimonium nihil addet, & ad rem inutilem nemo tenetur.

Septima concluſio. Illi qui propter aliquem defectum proprium sunt inhabiles ad testificandum, non excusantur à denunciando; sic Nau. c. inter verba. concl. 6. n. 321. Probatur: nam quod alicui imponitur vt onus, non debet conuerti in priuilegium; præterea: nam licèt suum testimonium non sit integrum, deseruiet tamen pro indicio, & ad integrādam probationem. Quid, si vitium, quod iste patitur, non sit publicum, & timet quòd si denunciet, obiicietur sibi, & propalabitur. Respondetur, perpendendum esse hoc damnum cum damno quod sequitur ex non denunciando; nam si crimen sit hæresis, vel proditionis, denunciandum est, quia tunc infamia est parui momenti in comparatione ad bonum commune Reipublicæ; at verò si facta comparatione in ordine ad damnum, quod sequitur ex non denunciando, sequitur illi magnū vel graue damnum, non tenetur denunciare, iuxta dicta in 2. concl.

Octaua concluſio. Ad monitorias generales non tenetur delinquens seipsum reuelare Iudici, quantumuis esset diffamatus, nisi quando ipse specialiter interrogaretur iuridicè, scilicet præcedentibus iudiciis, vel semiplena probatione, ita Corduba 1. Quæstionarij quæst. 43. dub. 2. §. sed vtrùm. in fine, quamuis contrariū dicat Gutierrez n. 41.

DVBITATVR tertiò, vtrùm qui credit Prælatum nullum remedium adhibiturum, excusetur à denunciando?

Prima concluſio. Quando solùm est dubium, vtrùm Prælatus adhibebit aliquod remedium per pœnam, vel per correctionem, tenetur denunciare. Probatur: nam quandiu constat de delicto, in dubio præsumendum est pro Prælato, & obediendum est illi.

Secunda concluſio. Quando certò constat, vel credit probabiliter, quòd Prælatus nullum remedium adhibebit, nec faciet iustitiam, non tenetur denunciare sic Anton. 2. p. tit. 9. c. 6. §. 4. in fine. Sylu. ver. correctio. quæst. 10. fauet Henr. cap. 18. n. 1. in glos. lit. C. & citat Palud. in 4. dist. 19. quæst. 4. col 1 Probatur primò, quia cessat finis; secundò, quia nullus tenetur ad opus inutile.

DVBITATVR quartò, vtrùm delinquentem esse iam emendatum excuset à denunciando?

Nota quòd peccata emendata vel sunt publica vel secreta; rursus quædam non habent effectum pendentem in futurum, verbi gratia, ludus illicitus; quædam habent, scilicet impedimentum aliquod, verbi gratia, ex fornicatione etiam iam emendata manet affinitas, quæ impedit matrimonium; ex Baptismo inualidè suscepto manet inhabilitas ad reliqua sacramenta; vitium simoniæ annullat titulum beneficij, & impedit rectam executionem legitimorum actuum, & alia huiusmodi.

Prima concluſio. Quando peccatum iam emendatum fuit ſecretum, & nullum habet effectum pendentem in futurum, nullo modo eſt denunciandum Prælato præcipienti in generali: ita D.Thom.2.2. q.33.art.7.Sylueſt.verb. denunciatio.q.4. Soto 5.de iuſtit.q.5.art.1.Nauarr.cap.25. num.45.nam tale delictum vel inquiritur ad emendã peccatoris, vel ad ſatisfactionem publicam; ſed vtrumque ceſſat, ſuppoſito quòd peccatum eſt emendatum, & fuit ſecretum; ergo. Dixi, *præcipienti in generali*: nam tractare quando poteſt teſtis interrogari de delinquente in particulari, tractatur 2.2.q.70.art.1.

Secunda concluſio. Quando peccatum licèt ſit emendatum, habet tamen effectũ pendentem in futurum, verbi gratia, iniuria alicuius ſacramenti, vel rei ſacræ; tunc licèt ſecretum ſit, denunciandum eſt Prælato præcipienti, quatenus neceſſarium eſt ad impediendum malum futurum, ſic Anton. loco citato, dub.præced. Sylueſt.verb. correctio. q.10. Aduerte tamen cum Anton. quòd ſi per ſecretam monitionem poſſit impediri damnum, præmittenda eſt. Præterea aduerte quòd ſi ille, qui habet tale impedimentum, eſt inuincibiliter ignorans, & ex manifeſtatione potiùs ſequetur ſcandalum, quàm remedium, melius eſt tacere, vt in ſimili dixi in materia de confeſſione. in addit.q.9.art.2. dub.13. concluſ. 4. de confeſſore, qui ſcit fœminam inuincibiliter ignorare ſuum matrimonium eſſe nullum.

Sed grauior difficultas eſt, quando peccata emendata ſunt publica, ſiue habeant effectum pendẽtem in futurum, ſiue non: de iis enim Corduba in Sum.q.64. caſu 1. & Nauar.lib.2.de reſtit.cap.4.dub.9.num. 222. caſu 1. dicunt eſſe obligationem ea denunciandi, idem videtur tenere Nauar. c.inter verba.num.233. Sed non ſ. inter: nam additur, *à lome nos ſimos lo mandan como teſtigos q̃ no como a denunciadores.* Probant, quoniam Prælatus tunc vult procedere ad punitionem, & habet ius ad eam; ergo.

Mihi autem cum aliis viris doctis diſtinguendum videtur: nam peccata publica dupliciter poſſunt eſſe emendata. Primo modo, quòd licèt peccator quantùm ad Deum ſit emendatus, ſed non conſtat publicè, imò durat adhuc infamia & ſcandalum in Republica; ſecundo modo, quòd conſtat publicè de emenda, & ceſſauit iam ſcandalum. Quo poſito, ſit

Tertia concluſio. Quando peccata publica tantùm ſunt emendata primo modo, eſt obligatio denunciandi; probatur: nam Prælatus tenetur proſpicere bono communi, & quòd ſatisfiat Reipublicæ læſæ, cui nondum eſt ſatisfactum, ſed hoc conſequitur per punitionem delinquentis; ergo iuſtè vult procedere ad illam.

Quarta concluſio. Quando peccata ſunt emendata ſecundo modo, non eſt obligatio denunciandi; hæc eſt illorum virorum doctorum, & eam à fortiori concedit Soto membr.2.q.6.dub.6.ante 3. concluſ. Probatur: nam delinquentes per publicam emendam ſatisfecerunt Reipublicæ læſæ per ſcandalum, atq; adeò iam conſequutus eſt finis, quem debet Prælatus intendere in puniendo; & per hoc patet ad fundamentum contrariorum. Secundò: nam ex tali denunciatione renouaretur infamia delinquentis, quæ eſſet ſemiextincta, vel in totum extincta per emendam publicam; & quando ſequitur maius damnum ex denunciando, quàm ex non denunciando, omittenda eſt denunciatio, vt ait Nauar. c.inter verba. concl.6. corol. 66.n.330. Tertiò: nam Prælati eccleſiaſtici in his Edictis generalibus magis prætendunt correctionem delinquẽtis, quàm punitionem; credo tamen quòd conſciſ horum delictorum emendatorum etiam ſecundo modo, ſi interrogentur vt teſtes præcedente infamia vel accuſatione tenentur denunciare, vt tradit Soto loco citato, & Nauar.n.233.citato.

Quando autem præcipiatur aliquis reſpondere vt denunciator, & quando vt teſtis, tradit Nauar.c.inter verba.concl.6. corol.65.n.286.

Ex

Ex dictis sequitur contra Sotum loco citato, quòd in aliquibus casibus tenentur subditi denunciare propter huiusmodi Edicta, in quibus aliàs non tenerentur ex lege naturali, ita Nauarr. num. 233. & alij multi: nam quando peccata publica sunt emendata occultè, non tenentur subditi denunciare ante mandatum Prælati, bene tamen post illud. Est & alius casus, scilicet quando ex punitione delinquentis sequitur bonum publicum, & ex hoc quòd non puniatur, non sequitur detrimentum publicum graue, vel ferè nullum; tunc poterant quidem subditi denunciare ante mandatum Prælati, sed non tenebantur; at verò post mandatum tenentur, supposito quòd peccatum non est emendatum publicè.

DVBITATVR quintò, quantùm temporis durent Edicta Prælatorum? Nota quòd huiusmodi Edicta possunt dupliciter publicari. Primo modo, pro aliquo tempore determinato, vt quando Prælatus Religionis visitans conuentum præcipit, quòd durante visitatione denuncientur talia vel talia delicta: secundo modo, sine tempore determinato, vt Edicta Ordinariorum & Inquisitorum.

Prima conclusio. Hæc Edicta generalia non dantur per modum legis & statuti, sed sunt sententiæ ab homine; ita Nau. c. 27. n. 2. & probatur: nam aliàs non iterarentur singulis annis.

Secunda conclusio. Quando Edicta publicantur primo modo, tantùm durant pro tempore, quo durat visitatio, vnde qui transacta visitatione nouit aliquod delictum, non tenetur denunciare iudicialiter.

Tertia conclusio. Edicta Inquisitorum durant per totum annum, donec iterum publicentur, itaque in quocunque tempore anni sciam aliquem esse hæreticum, teneor denunciare. Probatur: nam hęc videtur intentio Inquisitorum, cùm hęc delicta sint contra bonum commune, & ita practicatur, quòd fideles in quocunque tempore anni denunciant huiusmodi delicta. Vide P. Henri. lib. 13. c. 18. n. 4. lit. M.

Quarta conclusio. Edicta ordinariorum non durant per totum annum, sed per duos vel tres menses; tenet P. Henriq. supr. & ita respondit Magister Peña consultus, scilicet quòd hæc Edicta, quæ leguntur in Quadragesima, leguntur per modum visitationis, & tantùm durant pro tempore quo durat præceptum confessionis, scilicet vsque ad Dominicam de Quasimodo, vel saltem vsque ad Pentecostem; vnde qui post hoc tempus transactum nouit aliquem esse cõcubinarium, non tenetur denunciare. Probatur: nam cùm hæc delicta non sint in perniciem publicam, Edicta non sunt tam strictè interpretanda, & sic non accipiuntur à fidelibus cum tanto rigore, sicut Edicta Inquisitorum.

Egimus hucusque de causis excusantibus ab excommunicatione Edictorũ generalium; restat agere de aliis causis, quæ generaliùs excusant ab excommunicatione, scilicet ignorãtia, & appellatione.

DVBITATVR sextò, vtrùm ignotia excuset ab excommunicatione?

Nota primò, quòd ignorantia est duplex, vna facti, altera iuris; facti est, quando scio aliquem actum esse prohibitum, ignoro tamen actum quem exerceo esse illum actum prohibitum; verbi gratia, scio homicidium esse prohibitum, ignoro tamen actum quem exerceo esse homicidium, quoniam occido hominem, quem puto esse feram: ignorantia iuris est, quando ignoro actum esse prohibitum, vt si ignoro homicidium esse malũ, & hæc ignorantia potest esse iuris diuini vel humani; si humani, rursus potest esse Iudicis vel canonis; denique si est canonis potest esse iuris communis, vel particularis, vt Episcopi.

Nota secundò, vtramque ignorantiam, scilicet facti vel iuris, esse posse vincibilem, vel inuincibilem, quæ à Iuristis dicitur probabilis, vt testatur Nauar. cap. 23. num. 46. Vincibilis, quando quis ignorat quod tenetur scire, & non adhibuit debi-

tam diligentiam; inuincibilis est, quando ignorat id quod non tenetur scire, vel quamuis teneatur scire, adhibuit tamen debitam diligentiam. Hoc posito, sit

Prima conclusio. Ignorantia inuincibilis facti excusat ab excommunicatione, verbi gratia, occido clericum in nemore, putans inuincibiliter esse feram, non incurro excommunicationem; sic Caiet. 1. 2. q. 76. art. 3. dub. 3. Castro 2. de lege pœnali. cap. 14. Couar. c. alma mater. p. 1. §. 10. num. 13. & est communis Doctorum. Et ratio est manifesta: nam excommunicatio non potest incurri nisi pro culpa; confirmatur ex cap. cognoscentes de constitutionibus. rem quæ culpa caret, in damnum vocari non conuenit.

Quid quando scit actum esse malum, ignorat tamen inuincibiliter aliquam circunstantiam, propter quam est imposita excommunicatio, verbi gratia, occidi clericum putans inuincibiliter esse laicum, vt quia vidi illum in habitu laicali?

Secunda conclusio. Non incurrit excommunicationem, ita Medina 12. q. 76. art. 3. Soto d. 22. q. 1. art. 2. casu 4. concl. 2. Ledesm. 2. p. 4. q. 24. art. 6. concl. 2. Nau. c. 27. n. 80. & 272. & communiter Doctores. Probatur apertè ex c. si verò. el 2. de sententia excommunicationis. Confirmatur ex cap. Apostolicæ. de clerico excommunicato ministrante. Vbi dicitur, quòd clericus qui ignorans probabiliter se esse excommunicatum vel suspensum, celebrat, non manet irregularis; quod absque dubio verum est, quamuis aliàs peccaret celebrando, vt si accederet cum affectu fornicandi. Et ratione probatur: Hæc excommunicatio imposita est ad puniendum sacrilegium in personas ecclesiasticas, sed iste non est sacrilegus; ergo. Quid si iste habeat hunc animum actualem, quamuis hic esset clericus, occiderem illum? Couar. sup. n. 15. corol. 10. tenet quòd incurrit excommunicationem.

Tertia conclusio. Probabilius est, quòd non incurret. Hæc habetur ex Cordub. 2. Quæstion. q. 16. in fine, & tenent aliqui viri docti. Probatur: Hæc excommunicatio imposita est contra actum exteriorem sacrilegij formalis, sed hic actus exterior non est formaliter sacrilegium; ergo. Maior probatur: nam sicut excommunicatio non imponitur pro peccato purè interiori, sed pro exteriori, vt vidimus p. 1. dub. 10. ita hæc excommunicatio contra sacrilegos in personas ecclesiasticas non imponitur pro sacrilegio purè interiori, sed pro exteriori. Minor verò probatur: Hic actus exterior non procedit nec causatur ab illo actu interiori sacrilegij; ergo non est actus exterior sacrilegij; quòd verò non procedat ab illo actu interiori sacrilegij, probatur: Sola voluntas absoluta est causa exterioris actus: nam voluntas non mouet reliquas potentias, nisi per imperium efficax & absolutum, sed ille actus interior sacrilegij est conditionatus; ergo non est causa exterioris actus.

Quid si aliquis haberet hunc actum, volo occidere hunc laicum, & si clericus est, volo illum occidere?

Quarta conclusio est, quòd incurret excommunicationem; ita tenent aliqui iuniores. Probatur: Hic actus exterior occidendi clericum procedit, & imperatur à voluntate interiori occidendi clericum; ergo est actus exterior sacrilegij, & per consequens incurritur excommunicatio. Hinc sequitur, quòd quotiescunque aliquis dubitat vtrùm ille quem occidit sit laicus vel clericus; si est clericus, incurret; probatur: nam in actu exercito habet eundem actum, scilicet si iste est clericus, volo illum occidere. Confirmatur, iste facit actũ exteriorem dubitans vtrùm sit sacrilegium, & de facto percutit clericum; ergo est sacrilegus exterior, & per consequens incurrit. Grauior difficultas est, & sit

Septimvm dubium, quando quis committit illud peccatum mortale, propter quod imposita est excommunicatio, & tamen inuincibiliter ignorat impositam esse excommunicationem, vtrùm incurrat? Verbi gratia, occido clericũ sciens esse

esse clericum, ignoro tamen inuincibiliter impositam esse excommunicationem contra percutientem clericum. Et quidem omnes Doctores in hoc conueniũt, quòd quando actus de se non est malus, sed tantùm est malus, quia prohibitus, ignorantia legis prohibentis talem actum sub excommunicatione excusat. Verbi gratia, præcipit Pius V. sub excommunicatione, ne quis sine licentia Episcopi ingrediatur monasteria monialiũ, qui ignorat inuincibiliter hãc legem, non incurrit excommunicationem, ita Ledesm. 2. par. 4. quæst. 24. artic. 6. concluſ. 3. Syluest. verb. ignorantia. num. 12. Angel. verb. excommunicatio. 7. quæst. 2. casu vlt. Nauar. cap. 27. num. 16. & omnes. Probatur: nam iste totaliter excusatur à culpa, quæ conclusio intelligenda est, siue excommunicatio sit à iure particulari, siue communi: nam vtrobique militat eadem ratio quantùm ad forum conscientiæ, quamuis in foro exteriori faciliùs præsumetur ignorantia iuris particularis quàm communis: vnde cõtrouersia solùm est, quando actus est aliàs prohibitus iure diuino vel naturali, vt in casu posito in titulo dubij.

Prima opinio tenet quòd hæc ignorantia non excusat ab excommunicatione, siue lata sit à iure communi, siue particulari, ita Couarr. sup. n. 9. vbi citat Scot. Maior, & alios Canonistas. Et probatur primò, ex cap. cùm illorum. de sententia excommunicationis, vbi Papa reprehendens quosdam, qui cùm essent excommunicati propter percussionem clerici, non formidabat suscipere ordines, distinguit, quòd si sciebant se esse excommunicatos, perpetuò deponantur ab ordinibus; si autem ignorabant, scilicet factum, quia non erant memores delicti vel iuris, tunc poterit cum illis dispensari, sed dispensatio non habet locum, nisi vbi est vinculum; ergo quamuis sit ignorantia iuris imponentis excommunicationem, incurritur excommunicatio. Secundò, ex cap. ignorantia. de regulis iuris, in 6. vbi dicitur, *Ignorantia facti excusat, non autem iuris*, vbi Pontifex loquitur de ignorantia inuincibili iuris: nam si de culpabili loqueretur, ignorantia facti non excusat, & sic nulla esset differentia. Tertiò, obligatio ad pœnam est naturalis, vnde qui frãgit legem, ignorans pœnam, manet obligatus ad illam, & ita in foro seculari homicida suspenditur, quamuis ignoret hanc pœnam; ergo idem est de pœna excommunicationis. Confirmatur: Pœna de sua ratione habet quòd sit inuoluntaria; ergo quamuis ignoretur, incurritur.

Secunda sententia dicit, quòd ignorantia inuincibilis excõmunicationis impositæ ab statuto particulari, excusat, nõn tamen si sit imposita à iure communi; tenet Adrian. in 4. materia de clauibus. q. 6. Angel. verb. excommunicatio. 7. q. 2. & alij. Probatur ex cap. vt animarum. de constitutionibus. in 6. vbi definitur, quòd sententia ordinariorum non ligat ignorantes; ergo à contrario sensu sententia iuris cõmunis ligat; vbi ponderandum est, quòd Pontifex hîc condit ius nouum, vt patet ex illo verbo, *nolumus*, quod importat autoritatem statuentis, & ex ratione ibi posita, scilicet, *vt animarum saluti cõsulamus, &c.* ergo ante hanc constitutionem nulla ignorantia statuti siue Papalis, siue Episcopalis, excusabat; & Pontifex ex benignitate decernit, quòd ignorantia statuti Episcopalis excuset; ergo quantùm ad statuta Papæ, ius antiquum manet incorrectum.

Tertia sententia dicit, quòd quamuis actus sit malus iure naturali vel diuino, qui inuincibiliter ignorat impositam esse excommunicationem, excusatur ab illa, siue talis excommunicatio imposita sit à iure particulari, siue communi, quæ sententia vera est, & pro illa citatur Sylvest. verb. ignorantia. n. 12. sed reuerà tantùm loquitur, quando actus non est aliàs prohibitus iure naturali vel diuino; nihilominus eã tenet Anton. 3. par. tit. 25. c. 33. circa finem. Soto d. 22. q. 1. artic. 1. casu 4. concl. 4. Castro 2. de lege pœnali. c. 14. §.

sicut

sicut dictum est. Ledes. q. 24. art. 6. circa finem. Nau. c. 27. num. 16. & num. 272. responsio. 13. Cordub. 2. Quæstion. q. 26. in princ. & communiter Magistri. Quæ sententia quamtùm ad excommunicationem statuti particularis est expressè definita dicto c. vt animarum. nam quãuis Couar. sup. num. 11. vt defendat primam sententiam, conetur respondere huic textui; verùm eius expositio præterquam quòd est contra cõmunem Doctorum, vt ipse fatetur, violentia est & diuinatoria, vt ostẽdit Cordub. sup. & hinc constat, quòd ignorantia excommunicationis impositæ à Iudice etiam excusat. Sed probatur vniuersaliter etiam respectu excommunicationis impositæ à iure communi: nam c. cognoscentes. de constitutionibus. dicit, quòd lex pœnalis de nouo data non ligat eos, qui ante legem latam deliquerunt, eò quòd ignorant prohibitionem, sed qui post latam legem ignorat eam inuincibiliter, eodem modo se habet, ac si lex lata non esset; ergo non ligatur pœna. Secundò, excommunicatio non potest ferri nisi contra contumaces (hæc contumacia explicatur sup. c. 5. disp. 1. dub. 6.) & rebelles Ecclesiæ, sed qui inuincibiliter ignorat prohibitionem Ecclesiæ, non est ei rebellis, quamuis aliàs sit rebellis Deo; ergo. & hæc ratio æqualiter currit, siue excõmunicatio sit iuris particularis, siue communis. Confirmatur: Nullus meretur puniri ab eo, quem non offendit, iste non offendit Ecclesiam; ergo. Tertiò, ad excommunicationem contra percussores clericorum, verbi gratia, non minùs requiritur inobedentia contra Ecclesiam, quàm sacrilegium; sed qui occidit clericum putans inuincibiliter esse laicum, excusatur ab excommunicatione, quia nõ est sacrilegus, vt vidimus, quamuis sit homicida; ergo etiam excusabitur qui ignorat prohibitionem Ecclesiæ, quia iste non est illi inobediẽs. Confirmatur: nam inter ignorantiam facti & ignorantiam iuris non videtur assignabilis alia doctrina, nisi quòd faciliùs præsumitur ignorantia facti quàm iuris, tamen quando vtraque ignorãtia est inuincibilis, vtraque excusat, sed ius ipsum decernit quòd ignorantia facti excusat, licèt aliàs peccet homo, vt vidimus in 2. concl. dubij præced. ergo etiam ignorantia iuris excusat.

Petis, vtrùm ille qui scit furantem bona naufragorum esse excommunicatum, & ignorat inuincibiliter vtrùm hæc excommunicatio sit reseruata in Bulla Cœnæ, incurrat excommunicationem reseruatam in Bulla Cœnæ. Respondeo affirmatiuè: nam quòd aliquis non incurrat excommunicationem, quando inuincibiliter ignorat illam esse impositam, non est ex eo, quòd requiritur cognitio pœnæ: nam bene potest aliquis obligari ad pœnam legis, quamuis eam ignoret, sed quia requiritur contumacia; hæc autem reperitur in præsenti casu; ergo.

Ad primum pro prima sententia respondetur cum Soto, quòd ille textus nõ loquitur de ignorantia inuincibili, sed de vincibili, quæ non excusat ab excommunicatione impositа per ius commune; vt postea videbimus. Et quòd loquatur de vincibili patet, quia indiscriminatim loquitur de ignorantia facti & iuris, & tamen de ignorantia inuincibili facti omnes libenter fatentur, quòd excusat ab excommunicatione, imò cap. si verò. el 2. de sententia excommunicationis. id determinat, vt vidimus in 2. concl. dubij præced. ergo cùm illic dicit Pontifex, quòd si ignorabant, manent irregulares, loquitur de ignorantia vincibili.

Ad secundum respondetur, quòd loquitur in foro contentioso, in quo præsumitur quis habere ignorantiam facti, non iuris.

Ad tertium cum confirmatione respondetur, hoc esse peculiare in pœna excommunicationis, quòd non possit imponi nisi contra contumacem & rebellẽ Ecclesiæ.

Ad argumentum secundæ sententiæ respondetur primò cum Soto, quòd Pontifex ibi non condit nouum ius, sed declar

clarat ius commune quantùm ad illum casum specialem, de quo fuerat interrogatus: secundò cum Sylu. sup. & Nauarr. c 27. numer. 16. Pontificem ibi solùm intendere, quòd iura non præsumunt ignorantiam inuincibilem respectu iuris communis, sicut respectu statuti ordinariorum. Alia solutio colligetur ex dicendis dubio seq. concl. 2.

Ex dictis in hoc dubio, & præcedenti concl. 3. sequitur, quòd qui occidit clericum ignorans inuincibiliter excommunicationem, excusatur ab ea, quamuis habeat hunc actum, etiamsi esset imposita excommunicatio, te occiderem. Probatur: nam excommunicatio solùm imponitur contra contumaciam efficacem, & absolutam; hæc autem conditionalis est.

DVBITATVR octauò, vtrùm ignorantia vincibilis & culpabilis excuset ab excommunicatione. Nota, quòd ignorantia culpabilis potest esse culpabilis venialiter, vel mortaliter; venialiter, vt quando aliquis propter aliquam leuem negligentiam non scit id, quod tenebatur scire, culpabilis mortaliter est, quando id ignorat propter nimiam negligentiam. Rursus ignorantia mortaliter culpabilis habet gradus: nam quædam licèt sit culpabilis mortaliter, non tamen est ita lata, vt dicatur crassa; alia est magis lata quæ vocatur crassa; alia verò est latissima & crassissima, quæ vocatur supina & affectata. Magister Cano ponit exemplum ignorantiæ crassissimæ, vt quando clericus non vult scire statuta Synodalia.

Prima conclusio. Ignorantia culpabilis tantùm venialiter excusat ab excommunicatione maiori, siue imposita sit à iure communi, siue particulari. Probatur, quoniam hæc est leuis inobedientia.

Secunda conclusio. Ignorantia culpabilis mortaliter, sed non crassa, excusat ab excommunicatione lata per inferiorem Papæ, non tamen à lata per Papam vel ius commune. Hanc tenet Soto d. 18. q. vnica. ar. 2. col. 4. corol. 1. & dicit ita tenere nobiles autores. Idem videtur tenere Sylu. verb. excommunicatio. 2. n. 6. & verb. excommunicatio. 10. q. 3. & eam tenent aliqui viri docti. Probatur ex c. vt animarum. de constitutionibus. in 6. vbi dicitur, *Statuta quorumcunque ordinariorum ligare nolumus ignorantes, dum tamen eorum ignorantia crassa non fuerit, aut supina*; vbi nomine ordinariorum intelliguntur inferiores Papa. Secundò: nam multi Doctores affirmant, quòd ad incurrendas censuras requiritur dolus, quæ sententia saltem erit intelligenda quantum ad censuras impositas per inferiores Papa. Hæc conclusio non est mihi certa, sed quia clementior est, eam sequor.

Vltimò notandum est, quòd ignorantia iuris obscuri & subtilis excusat à culpa mortali, vt docet Innocent. c. per tuas. el 2. de simonia. Felinus c. 1. de re iudicata limitat. 7. & Nau. 5. Consil. de sent. excommunicationis. conf. 10.

DVBITATVR nonò, quando excommunicatio non fertur absolutè contra facientes, sed contra eos qui scienter, vel ausu temerario fecerint, vel præsumpserint facere vtrùm ignorantia vincibilis excuset à tali excommunicatione?

Prima conclusio. Quamuis ignorantia sit vincibilis mortaliter, dummodo non sit dolus, idest, quòd homo sciens & prudens operetur, excusat ab excommunicatione, etiamsi lata sit à Papa vel iure communi; ita Sylu. est. ver. ignorantia. num. 18. Couarr. c. alma mater. p. 1. §. 10 numer. 16. Nau. c. 27. n. 141. & 145. & repetit. cap. accepta. de restitut. spoliatorum. oppos. 8. n. 33. Caieta. verb. excommunicatio. c. 58. & communiter Doctores; & probatur: nam aliàs frustrà esset impositum illud verbum, *scienter*, & similia. Secundò: nam lex odiosa strictè est intelligéda. Hinc infert Panormita. c. cognoscentes. de constitutionibus. in 6. quòd percutiens clericum, quem ex lata culpa vel ignorantia crassa putabat esse laicum, non incurrit excommunicationem canonis, si quis suadente. nam ad id requiritur dolus, cùm textus dicat, *si quis suadente diabolo*, idem

tenet Cardinalis & Felinus c.si verò.el 2. de sentent. excommunicat. Et nota, quòd conclusio intelligitur, siue ista ignorantia sit facti, contra quod imposita est excommunicatio, siue iuris imponentis excommunicationem; secus est in aliis censuris, vt patebit in dubio sequenti, hoc est contra glossam Clement. 1. de consanguinit. & affinit. verbo, scienter. & contra nonnullos iuniores, qui dicunt conclusionem tantùm habere locum in ignorantia facti: sed nostram sententiam tenet Sylues. sup. & ver. excõmunicatio. 7. verb. excõmunicatio. 14. casu 5. sed expressiùs Couar. de sponsalibus, p. 2. c. 6. §. 8. n. 21. Nau. cap. 27. num. 141. & aliqui viri docti. Probatur: nam sicut in aliis excommunicationibus requiritur, quòd homo sit mortaliter contumax contra Ecclesiam, ita in his requiritur, quòd scienter sit contumax. An autem requiratur verus dolus, vel sufficiat præsumptus? Aliqui dicunt sufficere præsumptum, ita Cordub. 2. Quæstionarij, q. 28. & nonnulli Magistri. Dolus præsumptus est quando ignorantia est affectata, vt quando de industria non vult scire, vel quando est adeò crassa, vt moraliter loquendo, & apud viros prudentes reputetur affectata.

Oppositum tenet Angel. ver. dolus. §. 1. dicens quòd vbi ius requirit verum dolum, ignorans non incurrit pœnam eius, quantumcunque sit culpabilis, licèt alio modo sit puniendus, vbi allegat Angel. de Clarauasio, & Antonium de Butrio, idem sequitur Sylvest. ver. culpa. qu. 11. Tabien. ver. dolus. num. 2. & aliqui viri docti. Probatur, verba legis pœnalis strictè sunt interpretanda, nec amplianda vltra id quod sonant, sed qui operatur ex ignorantia quatumuis crassa & affectata, verè & propriè dicitur operari ex ignorantia, & non scienter; ergo requiritur v..us & formalis dolus. Secundò: nam hæc dictio, *sciẽter*, significat iactãtiam contra legem, vt ait glossa cap. decernimus. verbo, non præsumant. de iudiciis. Mihi videtur mediam viam eligendam esse. Vnde sit

Secunda conclusio. Si ignorantia sit affectata: quia ex proposito noluit scire non excusat. Probatur ex glossa cap. eos qui. de tempo. ordin. in 6. verbo, affectata. quę dicit quòd ignorantia affectata æquipollet scientię. At verò si non est affectata, quantumcunque sit crassissima & supina, excusat, quæ resolutio multùm deseruiet ad pacandas conscientias in multis casibus censurarum. Sed vt pleniùs absoluamus hanc materiam

DVBITATVR decimò, vtrùm ignorantia excuset etiã ab aliis censuris, verbi gratia, suspẽsionis, interdicti, & irregularitatis, quam pro nunc appello censuram.

Prima opinio est negatiua; sic Palud. in 4. d. 18. q. 4. effectu 4. vbi dicit, quòd qui inuincibiliter ignorat se esse excommunicatum, vel excommunicationem esse impedimentum ad suscipiẽdos ordines, manet suspensus, idem tenet Couar. c. alma mater. p. 1. §. 6. n. 6. citatur etiam Sylvest. sed immeritò, vt postea videbimus. Quæ sentẽtia probatur primò ex c. cùm illorũ. de sentent. excommunicationis. vbi Pontifex distinguit de eo, qui cùm esset excommunicatus, se fecit ordinari, & ait quòd si scienter id fecit, manet suspensus; si autem ob ignorantiam iuris vel facti, possunt Abbates cum illo dispensare; ergo etiam in casu ignorantiæ indiget dispensatione, & per consequens incurrit suspẽsionem. Secundò ordinatus etiam ignoranter ab Episcopo excommunicato (intellige nominatim) incurrit irregularitatem, vt tradit Sylvest. verb. irregularitas. q. 7 Nau. cap. 27. n 241. & Couar. c. alma mater. p. 1. §. 6. n. 6. & est textus can. gratia. & can. statuimus. el 2. 1. q. 1. ergo

Secunda opinio est in cõtrariũ, vnde sit

Prima conclusio. Ignorantia inuincibilis, quæ excusat ab illo peccato, propter quod imposita est censura, quæ verè est pœna, excusat etiam à tali censura. sic Panormit. Felinus & alij citati à Couar. sup. imò ipsemet num. 9. ait, quòd excommunicatus, qui probabiliter ignorans se esse excommunicatum, celebrat, non manet

irregu-

irregularis. eandem conclusionem tenet Antonin.3.p.tit.24.c.76.Sylvest. ver.irregularitas.qu.13.§.5.Castro 2.de lege pœnali.c.15.Tabien.ver.excommunicatio.1. §.12.Palac.in 4.d.8.disp.5.colum.9.Itaque quamuis iste committat aliud peccatum, vt si suscipit vel exercet ordines in concubitatu, tamen si propter ignorantiam excusatur ab illo peccato, propter quod est imposita censura, excusatur etiam ab illa; vnde excommunicatus, qui inuincibiliter ignorat se esse excommunicatum, si recipiat vel exerceat ordines, non fit irregularis, atque adeò sine vlla dispensatione potest ministrare; probatur efficaciter ex c.Apostolicæ.de cleric.excõmunic.Minor probatur ratione: Hęc irregularitas solùm incurritur ob culpam mortalem, vt omnes fatentur; ergo qui excusatur à culpa, excusatur à pœna irregularitatis. Dixi, *censura, quæ verè est pœna*: nam conclusio non habet locum in irregularitate, quæ non est pœna, & incurritur sine peccato, vt etiã patebit in solutione ad secundum.

Secunda conclusio. Quãdo ignorantia non excusat ab eo peccato, propter quod est imposita censura, quamuis homo inuincibiliter ignoret ius imponens censuram, non excusatur à tali censura, verbi gratia, occidit quis hominem scienter, vel ignorantia culpabili, & ignorat inuincibiliter impositam esse in iure irregularitatem, incurrit eam; similiter clericus sciens se esse excommunicatum celebrat, quamuis ignoret inuincibiliter pœnam irregularitatis, incurrit eam. ita Panormit. & Felinus c.à nobis. de sentent. excommunicat. Cordub. 2.Quæstion. q.25.versiculo item.2 & q.27.in prin. Et ratione probatur: nam huiusmodi pœnæ non imponuntur contra contumaces & rebelles Ecclesiæ, sicut excommunicatio, sed contra committentes talia vel talia delicta, verbi gratia, homicidium vel administrationem ordinum, scientes se esse excommunicatos; ergo qui committunt illa, incurrunt censuras, quamuis inuincibiliter ignoret pœnam.

Ad primum respondetur cum Antonino sup. & Soto d.22.q.1.ar.2.ad 2.Adria. quòd Pontifex ibi non loquitur de ignorantia inuincibili, sed de culpabili; vnde in 1.membro distinctionis loquitur de eo qui scienter & in cõtemptum ecclesiasticæ potestatis se fecit ordinari. In secundo autem loquitur de eo qui per ignorãtiam culpabilem, cum quo mitiùs agitur.

Ad secundum respondetur, quòd illa non est irregularitas, quæ sit vera censura & pœna, etiam stãdo in opinione eorum, qui tenent irregularitatem esse verè censuram, & ratio est, quia talis irregularitas nõ potest imponi, nisi pro culpa propria; quam solutionem colligo ex Nau.à simili: nam c.17.n.141.ait, quòd suspensio, quæ est verè censura, non potest imponi nisi pro culpa propria; vnde ait multos esse impeditos à celebrando, qui tamen non sunt suspensi suspensione, quæ sit verè censura, & si celebrant, quamuis peccent, non incurrunt irregularitatẽ, quæ sit vera censura & pœna, sed dicitur irregularis, quia non recipit ordinis executionẽ, quia sicut Episcopus non habet illam, ita non potuit eam communicare, cùm nemo det quod non habet; & in hoc ipse Episcopus est qui punitur in ordinato.

DVBITATVR vndecimò, vtrùm appellatio excuset ab incurrenda excommunicatione? Quam quæstionem tractat Ioãnes Gutierrez lib.Canonic.quæstio.c. 4.Pro explicatione nota, quòd appellatio potest fieri ante latam sententiam excommunicationis, vel post latam. Secundò, nota, quòd excommunicatio potest ferri purè & absolutè, vel sub conditione; absolutè, vt quando aliquis trangressus est legem comminantem excõmunicationem, & Iudex excommunicat illum, sub conditione, vt quãdo Iudex dicit, præcipio tibi sub excommunicatione latæ sententiæ, vt compareas, vel restituas intra sex dies.

Prima conclusio. Appellatio facta post sententiam excommunicationis purè latam, non suspendit eam; ita Sylvest.verb. excommunicatio.2.num.1.casu 7.Armill

ver.appellatio.n.4.Nau.cap. 27.num.159. Panormit. can. præterea.el 2.de appellationibus. text. expressus c.Pastoralis, eodem tit.§.verum.& reddit rationem textus,quoniam excõmunicatio secum trahit executionem, idem est de interdicto & suspensione ; sic Armill.& Nau locis citatis, & de interdicto text.est cap.adhæc quoniam. de appellationibus. de suspensione autem textus est cap. is cui. de sentent. excommunicationis. in 6.verum est quod licèt hæc appellatio non habeat effectum suspensiuum, habet tamen deuolutiuum;ita Sylvest.suprà.

Secunda conclusio.Appellatio suspendit declarationem excommunicationis, verbi gratia, Iudex declarat me incurrisse excommunicationem latam ab homine vel à iure, ego appello à declaratione, allegans quòd non feci id propter quod erat imposita excommunicatio, vel quòd factum est dubium; talis appellatio suspendit declarationem, sic glossa recepta c.cupientes.§. quòd si per viginti. verbo, priuatus, de electione, in 6. Angel.verb. appellatio.§.8.Nau. 5.Consil. de sentent. excommunicat. consil. 12. & consil. 20. num. 5. vnde talis denunciatus non est vitandus post appellationem. sic Nauarr. consil.12. Addit Nauarr.consil.20.quòd licèt à facto vero notorio non possit appellari, tamen à sententia Iudicis declarantis factũ esse notoriũ, potest appellari, quia Iudex posset hoc iniustè declarasse.

Tertia conclusio. Appellatio post sententiam excommunicationis latam sub conditione,si fiat ante impletam conditionem, suspendit excommunicationem, ita Sylvest. ver. excommunicatio. 1.q.1. Gutierrez num. 24. & communiter Doctores; text.expressus dicto cap.præterea. Ratio est, quia ante conditionis euentũ hæc excommunicatio non iniecit suas vires;vnde si post appellationem feratur excommunicatio,erit nulla.cap. per tuas.de sentent. excommunicat. Sed circa hanc conclusionem aliqua sunt notanda.

Primò ;quòd hæc conclusio habet verum, quamuis Iudex dicat, nisi satisfeceris Petro intra mensem, exnunc sis excommunicatus, ita Gutierrez num. 20. nam licèt verbum, *exnunc*, sit præsentis temporis, denotat tamen futurum effectum. Secundò nota, quod licèt ab aliis sententiis appellandum sit intra tempus à iure præfixum; scilicet intra decem dies à prolatione sententiæ;at verò ab excõmunicatione sufficit appellare ante impletã conditionem, quamuis appelletur post tempus præfixum à iure ad appellandum, sic Gutierrez num.24. & allegat glossam dicto c.præterea.Francum, Decium, Couar.c.alma mater. p.1.§.10. num. 4.& dicit esse communem, contra Panormit. tenet Nauar.cap. 27. num 272. §. 11. & fauet dictum c.præterea.Et ratio discriminis est, quòd ad excommunicationem requiritur contumacia, quæ reperitur tẽpore impletæ conditionis, & non retrotrahitur ad tempus,in quo prolata est sententia.

Dvbitatvr duodecimò,si conditio sit de non appellando;vt si Iudex dicat,*excommunico te, si appellaueris*, vtrùm appellando incurrat excommunicationem? Conclusio,quòd non incurrit,quia priùs debet præcedere appellatio, & per consequens excommunicatio veniat post appellationem, prout latiùs Sylvest.ver. excommunicatio.1.n.16.

Quid si appellatio facta non prosequitur, sed relinquitur deserta? Sylvest. ver. excommunicatio.10.q.2.dicit, quòd tantùm suspendit intra illud tempus, intra quod erat prosequenda, non tamen postea probat:nam aliàs Ecclesia concedens in cap. solet. de sentent. excommunicat. in 6.istum posse denunciari excommunicatum,concederet posse mentiri.

Contrarium est tenendũ,scilicet quòd licèt appellatio deserta sit,vel appellationi fuerit renunciatum,non incurritur excommunicatio etiam post illud tempus, in quo prosequenda erat appellatio, ita Geminian. dicto c. is cui. num.4. & dicto cap.licèt.Couar. cap.alma mater.p. 1.§. 10.

10. num. 6. versicul. in hac autem. Angel. ver. appellatio. §. 5. & citat Archidiaconum Gutierrez num. 24. & fauet multùm dictum c. licèt. ibi, *vel alias de ipsius sententiæ docuerit nullitate*; & probatur: nam ex quo appellatio legitima fuit ante excommunicationem, postea illam suspendit, vide Geminian. dicto cap. licèt. vbi multa tractat pertinentia ad forum exterius.

Ad fundamentum Sylvest. facilè respondetur, quòd ista denunciatio fundatur in præsumptione: nam ex quo defecit appellationem, præsumitur non habuisse legitimam causam appellãdi, quam solutionem colligo ex glossa magna in fine dicti cap. licèt. & quamuis textus & Doctores citati, excepto Gutierrez, loquãtur quando appellatio interposita est ante promulgationem sententiæ excommunicationis, ego tamen cum Gutierrez, etiam loquor quando appellatio interposita est post latam sententiam conditionalem, & antecedentium conditionis.

Quid si non est iusta causa ad appellãdum. Sylvest. ver. excommunicatio. 10. num. citato, dicit primò, quòd non suspendit excommunicationem. Dicit secũdò, quòd si reus post talem appellationem celebret, & Iudex postea pronunciet appellationem non tenere, manet irregularis. Hoc secundum dictum falsum est, vt ostendit Nauar. cap. 23 num. 104. Couar. c. alma mater. p. 1. §. 7. n. 7. glossa penult. verbo, in officiis. cap. solet. de sentent. excommunicationis. in 6. communiter recepta, & est text. optimus cap. ad præsentiam nostram. de appellationibus. secus erit in foro conscientiæ, si ipse sciat appellationẽ nõ esse legitimam. ita Salcedo ad Bern. Diaz cap. 35. 6. nec etiam. & citat Nau. cap. cùm contingat. remed. 3. De primo autem dicto est maior difficultas: nam cum illo tenet Nau. in repetitione c. accepta. de restitut. spoliatorum. oppos. 8. num. 35. vbi ait, eum qui bona fide appellauit credẽs esse iustam causam appellandi, excommunicatum esse, si postea declaretur malè appellasse. idem tenet glossa vlt. cap. solet. Geminia. cap. licèt. de sentent. excommunicat. in 6. vbi allegat Innocent. & Hostiensin c. significauit. de censibus. & fauet dictum cap. solet. & dictum cap. licèt. Alij autem viri docti nostræ Societatis dicunt duo. Primò, quòd quamuis reus non habeat iustam causam appellandi, tamen si admissa est appellatio, non incurrit excommunicationem. Secundò dicunt, quòd si non habet iustam causam appellandi, nec admittitur eius appellatio, sed proceditur contra eum, & declaratur excommunicatus, incurrit eam, quoniam appellatio videtur omnino nulla.

Ego quidem sentio primum dictum horum Patrum solùm habere verũ, quãtùm ad forum interius, & supposito quòd appellauerit bona fide, credens se habere iustam causam appellandi; in foro autem exteriori tenenda est opinio glossæ.

Solùm restabat disputare, vtrùm metus mortis excuset ab excommunicatione: sed commodùs disputabitur capite sequenti.

De effectibus excõmunicationis.

Caput VI.

Disputatio I.

De effectibus excommunicationis in communi.

SVPPOSITO quòd excõmunicatio tam maior quàm minor, valida & iusta habet aliquos effectus, DVBITATVR primò, vtrùm excommunicatio nulla habeat aliquos effectus? Nota, quòd præmissis aliis diuisionibus excommunicationis positis cap. 1. disp. 2. excommunicatio est duplex, scilicet iusta & iniusta. Iusta est, quã ferens is qui potest, propter quod, & quomodo debet, scilicet quòd detur à legitimo Iudice, propter peccatum contumaciæ, & seruato iuris ordine; iniusta est, cui aliquid horum deficit. Rursus iniusta est duplex, quædam valida, quædam in-

ualida & nulla. Valida est, quando solùm deficit recta intentio ex parte Iudicis, vt quia procedit amore vel odio, & hæc à nonnullis dicitur iniusta per accidens, vel quando deficit iusta causa ad excommunicandum, vel quando solùm deficit iuris ordo, qui non est essentialis. Pro quo nota, quod iuris ordo est duplex, alter essentialis, alter accidentalis. Essentialis est ille, quo non seruato excommunicatio est nulla, verbi gratia, si feratur excommunicatio absque vlla monitione, vt patet ex dictis cap. 5. disput. 1. dub. 10. accidentalis est ille, qui licèt non seruetur, nihilominus excommunicatio est valida, vt quando non præmittitur trina monitio, vel vna pro tribus cum legitimis interuallis, sed vnica tantùm monitio, vt vidimus cap. 5. citato, vel quando excommunicatio non fertur in scriptis, vel scriptum non continet expressè causam, propter quam fertur excommunicatio, vel non traditur scriptum ipsi excommunicato illud petenti, vt vidimus capit. 2. disp. vnica. dubio 3. Excommunicatio autem iniusta nulla contingit in multis casibus, quos ponit glossa cap. præsenti. de sent. excommunicat. in 6. qui tamen ad quinque possunt reduci. Primus est, quando excommunicãs non est legitimus Iudex excommunicati. capit. nullus. de Parochiis. vel quando licèt sit proprius Iudex excommunicati, tamen non est toleratus ab Ecclesia, vt quando est excommunicatus, suspensus à iurisdictione, vel interdictus, & denunciatus talis, seu notorius clerici percussor; similiter est nulla, quando fertur à delegato excedente fines suę delegationis. capit. finali. de præbendis & dignitatibus. Vtrùm verò sit nulla excommunicatio lata à delegato, qui copiam suæ commissionis petenti noluit dare? bene tractat Nau. 5. Consil. de sentent. excommunicationis. consil. 9. & videtur inclinare in partem affirmatiuam, quam dicit magis posse probari autoritate Innocẽtij & vsu, quàm iure, & certè in oppositum adducit optimas rationes. Secundus est, quãdo fertur contra tenorem priuilegiorum. cap. quanto. de priuilegiis. vnde excommunicatio lata ab ordinario contra habentem priuilegium, ne excommunicetur, est nulla, etiam ordinario ignorante tale priuilegium, ita Sylu. ver. excommunicatio. 1. n. 6. Ad hunc casum reducitur, quando excommunicatio fertur in odium mendicantium, sed subtrahitur causa, vt quando in odium priuilegij mẽdicantium, cuius virtute possunt audire confessiones fidelium, ordinarius excommunicat omnes, qui antequam accedant ad Eucharistiam, non sunt confessi proprio Parocho; istum casum ponit Soto d. 21. quæst. 1. articul. 2. in 4. modo, & ponitur à Sylues. verb. excommunicatio. 2. n. 1. licèt sub aliis verbis, scilicet quando excommunicatio fertur contra priuilegium excommunicati, & colligitur ex dicto c. quanto. Tertius est, quando excommunicatio continet errorem intolerabilem, vt quando fertur contra aliquem, eò quòd fecit aliquod bonum, verbi gratia, quia dedit eleemosynam, vel quia non fecit aliquid illicitum, aut impossibile. c. venerabilibus. §. finali. de senten. excommunicat. in 6. & can. qui præest. 11. quæst. 3. vel si detur contra eum, qui secundùm allegata & probata est innocens, vt si debitor excommunicetur pro debito, quod euidens est omnibus illud soluisse; vel si excommunicatio maior feratur pro re mi. nima. sic Soto casu 3. Quartus est quando fertur prætermisso essentiali ordine iuris, vt quando maior excommunicatio fertur contra eos qui participant (non quidem in eodem crimine, sed in aliis rebus) cum excommunicato ab eodem Iudice, non nominando eos expressè prę uia trina monitione, cum interuallo aliquorum dierum. cap. præsenti. cap. constitutionem. de sentent. excommunicatio. in 6. de quo latiùs dicemus infrà. Ad hunc casũ potest reduci quintus, scilicet quando excommunicatio fertur post legitimã appellationem. cap. ad præsentiam. de appellationibus. Adde secundùm nostram

sen

sententiam alium casum, scilicet quando nulla præcessit monitio, vt vidimus cap. 5. disp. 1. dub. 10. & tenet P. Henri. lib. 13. cap. 16. n. 2.

His positis, breuiter respondetur ad quæstionem, quòd excommunicatio nulla nihil operatur in foro interiori, imò neque in exteriori, dummodo publicentur causæ nullitatis, vt populus sibi persuadeat, vel persuadere debeat de nullitate, vt sic euitetur scandalum, ita Nauar. c. 27. numer. 3. in fine, & alij multi, quos refert & sequitur Gutierrez Canon. quæstion. cap. 4. num. 36. & tunc se potest publicè gerere, ac si non esset lata excommunicatio, quia sententia nulla non est sententia.

DVBITATVR secundò, vtrùm excommunicatio iniusta valida habeat suos effectus? Prima conclusio. Excommunicatio iniusta, ex eo solùm quòd deficit recta intentio Iudicis, vel ordo iuris, qui non est essentialis, habet omnes suos effectus in foro interiori & exteriori, ita Nauar. c. 27. num. 3. & probatur: nam quantùm ad essentialia non differt ab excommunicatione iusta. Sed maior difficultas est de excommunicatione iniusta ex parte causæ. Vnde

Secunda conclusio sit. Quando causa est dubia ex vtraque parte, si feratur excommunicatio in fauorem vnius partis, ligat in conscientia; verbi gratia, Petrus & Ioannes litigant super fundum, & Aduocati insignes pro vtraque parte dicunt iustitiã esse pro sua parte, Iudex præcipit Petro sub excommunicatione latæ sententiæ, quòd intra certum terminum tradat fundum Ioanni, tenetur obedire sub excommunicatione in foro exteriori, & etiam in interiori, si non appellet, vel quærat alia remedia iuris, & si celebrat post talem excommunicationem, erit irregularis, quantumcunq; sui Aduocati dicant talem sententiam esse iniustam, sic Soto d. 21. q. 1. art. 3. ante secundam conclusionem, & Mexic. difficult. 6. de excommunicat. dub. vlt. concl. 2. & communiter Magistri; & probatur: Iudex habet ius ad determinandam vnam vel alteram partem, prout iudicauerit esse conforme iuri; ergo eius sententia est iusta, & per consequens illi est obediendum; &, vt ait Soto, hic est proprius casus, de quo loquitur Gregor. quando dicit, *Sententia Pastoris iusta vel iniusta timenda est.* Vtrùm hæc secunda conclusio intelligitur, quando iustitia causæ esset dubia quantùm ad ius, quia ex vtraque parte habet rationes & opiniones probabiles, at verò quando esset dubia quantùm ad factum, & Iudex reputans esse iustam ex falsa præsumptione, ferret sententiam excõmunicationis contra Petrum, licèt durante hoc dubio Petrus se debeat gerere vt excommunicatus in publico, & in secreto, tamen si in rei veritate causa non fuit iusta, excommunicatio in rei veritate erit nulla, & non ligabit in conscientia, ita videtur tenere Soto artic. 3. citato in fine ad 2. & eam colligo ex Sylues. verb. sententia. q. 11. & Medina Cod. de restitut. q. 3. causa 7. versic. quando autem. qui docent quòd quando sententia est declaratiua, licèt sit lata secundùm iura & allegata & probata, non reddit securum in conscientia illum, in cuius fauorem lata est, si innititur falsæ probationi, vel præsumptioni, quia talis sententia non aufert directum dominium, nec alteri accrescit ius; vnde si postea constet de veritate, non est habendus pro excommunicato, quãuis antea peccauerit mortaliter non obediendo, quia in dubio tenebatur parere, quod magis explicabitur dubio sequenti.

DVBITATVR tertiò, quando excommunicatio est iusta secundùm allegata & probata, tamen qui excommunicatur reuera est innocens, vtrùm talis excommunicatio liget, & habeat suos effectus? Hæc excommunicatio appellatur à Doctoribus iniusta, non continens errorem intolerabilem; nam illa quæ datur propter causam iniustam secundùm allegata & probata, dicitur iniusta continens errorem intolerabilem.

Prima

Prima opinio dicit, quòd talis excommunicatio iusta, secùdùm allegata & probata est valida, & obligat in conscientia, ita vt qui in publico vel in occulto non seruat eam, peccet mortaliter; sic Alens. Richar. & alij multi relati à Soto d.22.q. 1.art.3. quæ sententia probatur primò ex can.sententia. 11.q.3. vbi Greg. ait, *Sententia Pastoris iusta vel iniusta timenda est.* & idem dicit Vrbanus Papa, vt refertur can. quibus. eadem causa & quæst. Solent etiam adduci alia testimonia. Secundò, omnis lex & sententia lata per potestatem clauis, si clauis non erret, est valida in conscientia, vt patet Matth. 18. *Quecunque ligaueritis in terra*, &c. sed quãdocunque fertur sententia secundùm allegata & probata, licèt in re sit falsitas, clauis tamen nõ errat: nam Iudex tenetur iudicare secundùm allegata & probata; ergo rectè facit, atque adeò non errat. Confirmatur: Vt actus sacramentalis sit validus, & habeat suum effectum, sufficit quòd procedatur bona fide secundùm prudentiam humanam, licèt reuerà sit falsitas à parte rei; ergo idem est in excommunicatione. Antecedens probatur: nam diligentia pœnitentis ad examinandam conscientiam aliquando potest iudicari sufficiens à prudente confessario, quæ tamen reuerà non sit sufficiens, & tunc si pœnitens bona fide confiteatur omnia peccata, quorum recordatur cum vero dolore, faciet confessionem non solùm validam, sed formatam & fructuosam. Tertiò; in causis beneficialibus sententia iusta tãtùm secundùm allegata & probata, siue priuatiua sit, siue declaratiua, est valida; ergo similiter in censuris. Quartò: nam in iure sæpe fit distinctio inter excommunicationem nullam, & inter iniustam, ex parte causæ, & dicitur quòd à nulla non oportet petere absolutionem, nisi fortè ad cautelam, ab iniusta verò simpliciter petitur, & datur absolutio, vt patet c. venerabilibus. §. sed si ex causa. & §. sanè. de sententia excommunicat. in 6. & ibi glossa.

Secunda opinio dicit, quòd talis excommunicatio non est valida in foro cõscientiæ, atque adeò nullum habet effectum in foro interiori, nec quoad priuationem suffragiorum Ecclesiæ, nec quoad priuationem communionis cum fidelibus, siue in diuinis, siue in humanis; sic Gratianus can. si Episcopus. el 2.11.qu.2. Soto sup.qu.4.& 3.de iust.q.4.ar.5. Caiet. 2.2.q.70.ar.4.ad 2. Ledes. 2.p.4.q.23.ar.4. circa finem, concl.1. Couar.c.alma mater. p.1.§.7. num.5. concl.1. licèt à nonnullis citetur pro contraria sententia. Nau.c.27. n.3.& alij multi.

Prima conclusio. Hæc secunda opinio est tenenda; vnde dicimus quòd talis excommunicatio est inualida in foro conscientiæ, & nullum habet effectum, nec meretur nomen excõmunicationis propriè loquendo. Hãc probat Soto testimoniis Sanctorum. Secundò probatur ex D.Thom.2.2.q.70.ar.4. dicente, iniustum iudicium nõ est iudicium: nam iudicium est determinatio iusti; ergo sententia iniusta non est sentẽtia, sicut lex iniqua non est lex, fauet multùm lex quamuis. §. si conuenerit. ff. ad Senatusconsultum Velleianum. vbi dicitur, iniustum, nullum, & inualidum æquiparantur in iure. Tertiò, Ecclesia non habet maiorem potestatem ad inferendum damnum in spiritualibus, quàm Respublica ciuilis ad inferendum damnum in temporalibus, sed sententia Iudicis secularis, quæ tantùm est iusta secundùm allegata & probata, non obligat in conscientia; ergo nec sententia Iudicis ecclesiastici. Quartò, quia nullo modo præsumendum est, quòd pia mater Ecclesia intendat punire tam acerba pœna filios suos, qui reuerà sunt innocentes. Cõfirmatur, quia Ecclesia non accepit potestatem excommunicandi nisi pro peccato; ergo pro vero peccato.

Secunda conclusio; nihilominus iste excommunicatus tenetur in foro exteriori se gerere vt excommunicatus, ita Soto, Ledes. Couar. locis vbi suprà. Victoria in Sum.num.7. concl.1. probat hoc Couar. ex mul

ex multis textibus, vnde si publicè se ingerat diuinis, peccat mortaliter. Petis, quare peccat? Soto Armill. verb. excommunicatio. num. 10. dicunt, quòd non solùm ratione scandali; sed etiam quia violat obedientiam debitam Prælato in foro exteriori.

Tertia conclusio. Multò probabilius est quod solùm peccat ratione scandali, ita multi iuniores, vnde quamuis celebret in publico, si desit scandalum, vt si mutet habitationem, & pergit ad locum, vbi ignoratur excommunicatio, non peccabit. Ex dictis sequitur

Quarta conclusio, quòd iste celebrans in publico erit irregularis in foro exteriori, sed non in interiori; similiter omnes actus ab eo gesti erunt validi in foro interiori, quamuis aliqui illorum sint nulli in exteriori, vtpote facti ab excommunicato non tolerato in foro exteriori. Hæc conclusio partim est contra Paludan. & alios, qui cùm teneant huiusmodi excommunicationem nullum habere effectum in foro conscientiæ, dicunt quòd si iste celebret in publico, erit vere irregularis in foro conscientiæ, sed certè non loquuntur consequenter.

Quinta conclusio. Quod dictum est de excommunicato, idem proportionaliter dicendum est de communicantibus cum eo, vnde qui sciret excommunicationem à parte rei esse iniustam, quamuis communicaret cum hoc excommunicato nominatim denunciato, non peccaret, cessante scandalo.

Ad primum respondetur, quòd illa duo testimonia Gregorij & Vrbani non dicũt, quòd sententia iniusta sit valida, sed quòd sit timenda, idest, obseruanda in publico propter vitandum scandalum, quod frequentiùs oritur, quando excommunicatio est iniusta, quàm dum est nulla, aliquo ex quinque casibus positis dubio 1. & ideo de iniusta dicitur, quòd est timenda, non autem dicitur de nulla; at verò in casu quòd ex nulla sequeretur scandalum, etiam est timenda. Secundò dico, quòd isti textus præcipuè loquuntur in casu, quo sententia est dubia, vt dixi dub. 2. concl. 2. Ad reliqua testimonia quæ citari solent ex iure, respondeo esse intelligenda quantùm ad forum externum.

Ad secundum respondetur, maiorem esse veram, quando clauis non errat practicè, nec speculatiuè; at verò in hoc casu licèt non erret practicè, errat tamẽ speculatiuè, & in iis quæ sunt de substantia, requiritur ad validitatem actus, quòd non erret practicè, nec speculatiuè; verbi gratia, si Pontifex dispensẽt in voto ex causa omnino insufficienti, bona tamen fide putata sufficienti ab illo, & à petenti dispensationem, talis dispensatio non valeret, quamuis ipsi manerent tuti in conscientia, durante hac bona fide. Ad confirmationem respondetur, quòd falsitas quæ intreuenit in sacramentis, potest esse circa ea, quæ sunt de essentia, & tunc error speculatiuus annullat sacramentum vt si pœnitens accedat absq; vllo dolore, putans non esse necessarium, sacramẽtum est nullum; vel potest esse circa ea quæ nõ sunt de essentia, sed de præcepto, & tunc est validum. Talis est diligentia præmittenda ad examinandam conscientiam. At verò causa iusta est de substantia excommunicationis, & ideo error etiam speculatiuus annullat excommunicationem.

Ad tertium, cõcesso antecedenti negatur consequentia: nam in causis beneficialibus bonum commune exposcit, vt sententiæ latæ secundùm allegata & probata valeant etiam in foro interiori: hoc enim necessarium est ad rectam gubernationem Ecclesiæ, & ad reddendas securas fidelium conscientias, & iuxta hoc limitanda est doctrina, quam in fine dubij secundi adduximus, est Sylvest. & Medina; at verò ad bonum commune, & gubernationem Ecclesiæ non requiritur quòd excommunicatio, quæ tantùm est iusta secundùm allegata & probata, valeat in foro interiori, satis est quòd valeat in exteriori ad vitandum scandalum, & ne contemnatur ecclesiastica potestas.

Ad quartum respondetur, quòd illa distinctio solùm habet locum in foro exteriori, in quo qui existimatur simpliciter excommunicatus, solet absolui ab excommunicatione simpliciter; qui autem non existimatur simpliciter excommunicatus, sed sub dubio in alio foro, absoluitur tantùm ad cautelam; cæterùm in rei veritate, quando excommunicatio fuit nulla in foro interiori propter iniustitiam causæ, talis homo in foro interiori non indiget absolutione etiam ad cautelam. Agẽdum est iam in particulari de effectibus excommunicationis, in quo tractat Sylvest. verb. excommunicatio. 3. per totum. Angel. verb. excommunicatio. vltim. Soto d. 22. quæst. 1. art. 3. Et primò agendum est de effectibus excõmunicationis maioris, qui sunt vndecim. Primus, quòd priuat participatione actiua & passiua sacramentorum, itaque nec potest ea dare, nec accipere. hic effectus colligitur ex canon. Engeltrudam. 3. q. 4. & aliis textibus relatis à Couarr. in c. alma mater. p. 1. §. 6. numer. 5. qui hoc definiunt secundùm communem expositionem Doctorum, & si administret sacramentum, erit irregularis, de quo dicemus in tractatu de irregularitate. Secundus, quòd priuat generalibus Ecclesiæ suffragiis, vt habetur ex dicto can. Engeltrudam. vbi dicitur, quòd anathema, idest, maior excommunicatio separat à corpore Christi, quod est Ecclesia, quæ separatio, secundùm omnium Doctorum explicationem, fit per hoc, quòd excommunicatus priuatur specialibus influentiis prouenientibus ex vnione ad corpus, quas alia membra corpori vnita participant; habetur etiam ex cap. alma mater. de sententia excommunicatio. in 6. & capit. quod in te. de pœnitentiis & remissionibus. vbi dicitur, quòd quando tempore interdicti celebrantur Missæ, vel alia diuina officia, debet exclusis excommunicatis fieri. Tertius, quòd priuat ecclesiastica sepultura. cap. sacris. de sepultura. Quartus, quòd priuat voce actiua & passiua, ita vt non possit eligere, nec eligi. cap. cùm dilectus. de consuetudine. Quintus, quòd collatio beneficij facta excommunicato est nulla. cap. postulasti. de clerico excommunicato ministrante. Sextus, quòd iam electum suspendit ab officio & beneficio. cap. pastoralis. §. verum. de appellationibus. Septimus, quòd gratiæ ab eo impetratæ à Papa super quãcunque aliam rem, nisi super articulum excommunicationis, sunt nullæ. capit. 1. de rescriptis. in 6. Octauus, quòd remouetur ab omnibus actionibus fori iudicialis ecclesiastici & ciuilis. cap. intelleximus. de iudiciis. Nonus, quòd prohiberur communicare cum aliis fidelibus in diuinis, & etiam in humanis. c. nuper. de sentent. excommunicationis. & can. sicut. cum duobus sequentib. 12. q. 3. & can. ad mensam. eodem tit. Decimus, quòd reliqui fideles prohibentur communicare cum excommunicato, non solùm in diuinis, sed etiam in humanis, can. sicut. cum aliquibus sequentibus. 22. quæst. 3. Vndecimus, quòd si per annum pertinaciter perseuerauerit in excommunicatione, fit suspectus de hæresi, habetur ex Trident. sess. 25. cap. 3. de reformat. Alij effectus numerantur à Summistis, sed omnes ad prædictos facilè reducuntur. Et quoniam isti effectus diuersimodè comprehendunt excommunicatum toleratum, quàm non toleratum, ideo sit

Disput. II.

Quomodo cognoscetur, quis excommunicatus sit toleratus?

Dvbitatvr primò, qui excommunicati dicuntur tolerati, & qui dicuntur non tolerati? Conclusio, illi dicuntur tolerati, cum quibus licitè possunt fideles communicare in humanis, & diuinis; illi autem dicuntur non tolerati, cum quibus fideles non possunt licitè communicare in diuinis, nec in humanis. Pro quo supponendum est, quòd secundùm ius antiquum, omnes excõmunicati maiori

ioni excommunicatione erant vitandi, ita vt quicunque publicè excommunicatus publicè erat vitandus; occultè autem excommunicatus erat occultè vitandus, vt patet cap. cùm non ab homine. de sententia excommunicationis. & can. excõmunicatos. 11. qu. 3. at verò post Concilium Constantiense & Basiliense, solùm tenemur vitare duo genera excommunicatorum, scilicet nominatim denunciatos, & notoriè percussores clericorum. Tenorem Decreti Constantiens. refert ad literam Soto d. 22. quæst. 1. art. 4. & Gutierrez Canonic. quæst. c. 1. num. 1. cuius Decreti summa hæc est: *Ad cauenda animarum pericula statuit sancta Synodus, vt nemo deinceps teneatur aliquem ratione alicuius sententiæ vel censuræ vitare in sacramentorum receptione, vel administratione, vel in aliis rebus externis, nisi talis censura specialiter sit publicata & denunciata contra aliquam personam vel communitatem* (subintellige quoad interdictum, quia Vniuersitas non potest excommunicari) *vel nisi pro sacrilega manuum in clericum iniectione, sententiam latam à Canone adeò notoriè constiterit incurrisse, vt nulla possit tergiuersatione celari: nam à communione illius, licèt denunciatus non sit, volumus abstineri.* Et subditur, *Per hoc autem non intendimus ipsos excommunicatos, suspensos, vel interdictos in aliquo relaxare, aut eis quomodolibet suffragari.* Et quamuis Couar. c. alma mater. p. 1. §. 2. num. 6. dubitet vtrùm hoc Decretum fuerit conditum à Concilio, vel à Martino V. qui confirmauit illud Concilium post eius dissolutionem, tamen vtcunque sit, recipiendum est hoc Decretum tanquam canonicum. Postea verò Basiliense Concilium recepit hoc Decretum, sed aliquantùm restrinxit; decreuit enim quòd teneamur vitare omnes notoriè excommunicatos, quacunque ex causa essent excommunicati. Itaque per Constantiense nullum notoriè excommunicatum tenebamus vitare, antequam nominatim denunciaretur, nisi esset notoriè percussor clerici; at verò secundùm Basiliense tenemur vitare omnes notoriè excommunicatos licèt nec sint denunciati, neque percussores clericorum.

Hinc DVBITATVR secundò cui horũ Decretorum standum sit, quãtùm ad hoc in quo differunt. Prima opinio dicit standum esse Basiliensi; ita Sylues. ver. excommunicatio. 5. n. 9. vbi allegat Panormit. & Felin. Eandem sequitur Nau. de pœnit. d. 6. §. laboret. num. 9. versicul. sunt mihi duo. & in Manual. c. 27. num. 35. Couar. loco citato, & alij. Probatur primò: nam tale Decretum non reperitur in Constantiensi. Secundò: nam dato quòd reperiretur, tamen Basiliense fuit posterius, sed posteriora Concilia mutãt Decreta priorum quãtùm ad mores; ergo. Tertiò: nam hoc Decretum Basiliense fuit acceptatũ à Concilio Bituricensi, in Pragmatica sanctionum Gallicarum. tit. de excommunicatis non vitandis. &, quod magis vrget, postea fuit innouatum in Concilio Lateranensi sub Leone X. Confirmatur: nam Basiliense quantùm ad ea, quæ tractauit de censuris ecclesiasticis, fuit approbatum & confirmatum à Nicolao V. in quadam Bulla, quæ habetur in 2. tomo Conciliorum, post Concil. Basiliense.

Secunda opinio vera & tenenda est, standum esse Decreto Constantiensi, sic Antonin. 3. p. tit. 26. c. 3. Adrianus in 4. in materia de clauibus. quæst. 3. Turrecremata, qui interfuit Concilio Basiliensi. 2. p. Summæ ecclesiasticæ. c. 100. Caiet. in Sum. ver. excommunicatio minor. & 2. 2. quæst. 12. art. 2. Soto sup. Medina Cod. de confessione. quæst. de confessione cõfessori excommunicato sciẽter facta. Aragon. 2. 2. qu. 10. art. 9. Gutierrez num. 7. vbi hoc latissimè tractat, & communiter omnes moderni, quos refert Gutierrez, imò, vt ipse refert, idem tenuit postea Sylues. in conflatorio epistolarum, postquam vidit in Turrecremata, illud Decretum Basiliense conditum fuisse, postquam Eugenius IV. reuocauerat idem Concilium. Idem etiam tenet Nau. in Manuali,

in vltima impressione cap. 9. num. 8. cap. 27. num. 25. vbi mutauit sententiam; quæ opinio abundè comprobatur ex vsu receptissimo fidelium, Vnde in Anglia, & Germania Catholici securè communicant cum iis, qui sunt notoriè hæretici, & consequenter notoriè excommunicati.

Ex dictis sequitur, quòd quantuncũque constet aliquem esse publicè excommunicatum, dummodo non sit denunciatus nominatim, vel notoriè percussor clerici, non tenemur illum vitare; & excommunicati tantùm in his duobus casibus dicuntur non tolerati; in reliquis verò dicuntur tolerati ab Ecclesia. Et quod diximus, non teneri vitare excommunicatos nisi in iis duobus casibus, intelligendum est ex vi præcepti ecclesiastici; at verò ex vi præcepti diuini & naturalis, tenemur vitare excommunicatos quoscunque in quatuor casibus traditis à Soto d. 13. q. 1. art. 9. Primus quando ex tali communicatione sequitur fauor tali excommunicato & eius doctrinæ, vt si sit hæreticus. Secundus, ratione correctionis fraternæ, vt si credo probabiliter, quòd si me separo ab eius consortio, confundetur & conuertetur. Tertius, quando ex tali communicatione immineret mihi periculum incidendi in similem errorem. Quartus, quando ex tali communicatione sequeretur scandalum.

Ad primũ respondetur, concedo quòd in exemplaribus Conciliorum, quæ modò extant, non reperitur illud Decretum inter Decreta Concilij Constantiens. satis tamen est, quòd aliquando fuit scriptum, vel postea à Martino V. editum, saltem viua voce; cuius rei fidelissimus testis est Antonius, qui vixit circa tempora illius Concilij, & refert testes oculatos.

Ad secundum respondetur, primò cum Medina sup. Decretum Basiliense non statuisse aliud, quàm statutum fuerat in Cõstantiensi: nã quando Basilense dicit, omnes notoriè excommunicatos esse vitandos: solùm intelligit de notoriè percussoribus clericorum; quæ solutio licèt nõnullis iunioribus nõ placeat, mihi tamen multùm placet; ideo secundò respondetur, quòd illud Decretum factum fuit in Basiliensi post schisma Concilij, vt ait Turrecremata, quẽ refert & sequitur Gutierrez num. 7. Vnde omnia quę in eo acta sunt reuocauit Eugenius IV. nonnullis Decretis exceptis, inter quæ non est hoc Decretum de censuris, vt aduertit Turrecrem. Tertiò respondetur cum Gutierrez num. 12. quòd licèt daremus, Decretum Basiliense à principio habuisse autoritatem, tamen iam esset abrogatum per contrariam consuetudinem.

Ad tertium, quantùm ad Concilium Biturience dicimus primò, quòd non reperitur in tomis Conciliorum. Secundò dico, quòd fuit Prouinciale, & ideo magis præpõderat vniuersalis consuetudo. Quãtùm ad Concilium verò Lateranense respondeo, quòd illa approbatio nunquam fuit vsu recepta. Ad confirmationem respondetur cum Gutierrez num. 15. quòd Nicolaus V. non approbauit vniuersaliter omnia Decreta Basilien. nec decretum illud censurarum, sed tantùm illa quæ acta fuerant circa beneficialia, & circa absolutiones ibi factas à quibuscunque censuris. Vnde quando in Summa Conciliorum ait Miranda, quòd Nicolaus V. approbauit Concilium Basilience, quantùm ad beneficialia & censuras, hoc verbum, *quantùm ad censuras*, intelligendum est de absolutionibus ibi factis à quibuscunque censuris.

DVBITATVR tertiò, quis dicatur nominatim excommunicatus; Glossa cap. à nobis. el 1. de sententia excommunicat. ait, quòd qui violat legem continentem pœnam excommunicationis latæ sententiæ, est nominatim excommunicatus; sed hæc Glossa reiicitur à Couar. cap. alma mater. p. 1. §. 6. num. 8. conc. 5. à Gutierrez c. 1. citato, num. 26. & ab aliis. Vnde sit

Prima conclusio. Ille dicitur nominatim excommunicatus, qui excommunicatur expresso nomine proprio, vel aliquibus

bus signis, quæ sufficienter declarent personam, vt quando excommunicatur Prætor Limensis, vel Decanus; ita Couar. & Gutierrez num. 28. Soto d. 22. q. 1. ar. 4. & communiter Doctores Theologi & Canonistæ; & ita debet declarari persona, vt nō liceat de illa dubitare; vnde si sint duo eiusdem nominis vel officij, vt duo Iudices, verbi gratia, *dos alcaldes ordinarios*, debent explicari particulares notæ, & signa, ita vt nullum maneat dubium.

Petis, vtrùm post Concilium Constantiense sufficiat aliquem esse nominatim excommunicatum, ad hoc vt teneamur illum vitare; vel etiam requiratur esse nominatim denunciatum. Adrian. in 4. de sacramento confessionis. post q. 5. dub. 9. propositione 1. & 2. & qu. 3. de claubus. Medina loco citato, dubio præced. dicunt Concilium Constantiense tantùm loqui de excommunicatis generaliter; at verò in excommunicatis nominatim dicunt obseruandum esse ius antiquum, vt scilicet publicè excommunicati publicè vitentur, occultè autem excommunicati vitentur occultè. Sit tamen

Secunda conclusio. Vt teneamur vitare excommunicatum, non sufficit quòd sit excommunicatus nominatim, sed vlteriùs requiritur quòd sit denunciatus: ita Caiet. in Sum. verbo, absolutionis impedimenta. Couar. c. alma mater. p. 1. §. 6. n. 7. corol. 4. Nau. de pœn. d. 6. §. laboret. n. 22. & in Manuali. c. 26. n. 35. Sylu. ver. excommunicatio. 5. n. 24. & alij quos refert & sequitur Gutierrez n. 29. & communiter Doctores. Probatur primò: nam vtrumque Decretum, scilicet Constantiense, & Basiliense, ait quòd illa sententia excommunicationis debeat esse à Iudice publicata & denunciata specialiter vel expressè. Secundò: nam ita obseruat communis vsus fidelium, vt testatur Conarruuias. Tertiò: nam aliàs non vitarentur scandala quæ Concilia Constantiense & Basiliense intenderunt vitare.

Hinc colligo, quòd ille, cui tradita est denunciatoria scripta contra aliquem nominatim excommunicatum, vt illum denunciet, non tenentur eum vitare ante denunciationem, vt ait Sylvest. ver. excommunicatio. 5. num. 24. & aliqui viri docti, & habetur ex Nau. de pœnit. d. 6. §. laboret. num. 23. vbi nota, quòd si iste appellet à declaratione excommunicationis, & denunciatione, non est vitandus, vt latiùs tradidi sup. c. 5. disp. 5. dubio 11. in 2. concl.

Tertia conclusio. Vt aliquis excommunicatus sit denunciatus, ita vt teneamus illum vitare, non sufficit quòd denunciatio fiat in consistorio Iudicis corā litigātibus, sed requiritur quòd fiat in loco publico, vt tempore Missæ maioris, vel Concionis, vel quòd charta affigatur in publico loco, vel deniq; quòd publicetur secundùm consuetudinem regionis. ita glossa Clem. 1. de sepulturis. verbo, Publicè. Armil. ver. excommunicatio. n. 60. Palac. in 4. d. 17. disp. 7. col. 7. in fine, & communiter Magistri, de quo plura Gutierrez n. 32. vbi idem tenet.

Sed est primò notandum cum Soto colum. 3. quòd vt aliquis excommunicatus censeatur nominatim denūciatus, sufficit quòd in speciali publicè declaretur incurrisse crimen habens annexam excommunicationem ipso facto, quamuis non fuerit nominatim excommunicatus, sed tantùm generaliter per excommunicationem generaliter impositam; verbi gratia, eo ipso quòd aliquis publicè declaretur hæreticus, tenetur illum vitare tanquam denunciatum, quamuis Iudex non declaret expressè illum esse excommunicatum. Patet: nam eo ipso quòd iuridicè declarat eum hæreticum esse, declaratum manet esse excommunicatum.

Secundò notandum, quòd licèt aliquis transgrediatur legem continentem excommunicationem ipso facto, non est denunciandus, nisi priùs citetur, vt alleget pro se, & audiatur, nisi in casu quòd delictum esset notorium, vt ex Philippo Decio, & aliis tradidimus supr. cap 5. disp. 1. dub. 5.

Hinc sequitur, quòd nullus potest denunciari excommunicatus, nisi per suum Iudicem competentem; vnde si Religiosus exemptus ab ordinario violet etiam publicè legem imponentem excommunicationem ipso facto, non potest denunciari ab ordinario, ita Nau. libr. 5. Consil. de sent. excom. cons. 3.

DVBITATVR quartò, quis dicatur notorius percussor clerici? Ad quod dico primò cum Couar. c. alma mater. p. 1. §. 2. num. 9. in fine, quòd licèt ante Concilium Constantiense, vt aliquis percussor clerici esset vitādus, sufficiebat quòd esset notorius percussor clerici notorietate iuris, scilicet per propriam confessionem partis in iudicio, vel per sententiam Iudicis, vt tradit Nau. c. 21. num. 55. & habetur ex c. vestra. de cohabitatio. clericorum & mulierum. at verò post Constantiense requiritur quòd sit notorius notorietate facti, ita vt nulla possit tergiuersatione celari; & hùnc etiam ante denunciationem tenemur vitare.

Hinc tamen insurgit magna difficultas quid requiratur ad hoc, vt aliquid dicatur notorium per euidentiam facti? Adrian. in 4. in materia de Eucharistia, ante vltimū dubium. §. oritur. quando ait requiri quòd sciatur (scilicet euidenter, & hîc semper loquimur de scientia euidēti ipsius facti) à tota ciuitate vel populo, vel à maiori parte, & quia decem personæ faciunt populum, illud (inquit) dicetur notorium quod fit saltem coram decē hominibus; Sylvest. autem ver. notorium. dicit sufficere quòd fiat coram sex, quia est maior pars eorum, qui requiruntur ad constituendum populum, licèt de facto non sint maior pars populi. Sed neutra regula est certa; vnde relinquendum est arbitrio boni viri, secundùm particulares circunstantias, ita Panormita. dicto vestra. n. 16. vbi ait, *Discretus Iudex ex variis circunstantiis & qualitate actus, loci & temporis, arbitratur factum esse notorium vel non.* Idem dicit Ioannes Andreas, eodem c. colum. 4. Cardinal. colum. 8. Hostiens. c. tua nos. eodem tit. colum. 4. Anton. Gomez tom. 3. Variarum. c. 1. num. 42. Vnde qui percutit clericum coram decem vel duodecim, non erit notorium in magna ciuitate, bene tamen in oppido paruo, & etiam in vicinia illius magnæ ciuitatis, vt docet Nau. c. 25. num. 73. & Soto d. 12. q. 1. ar. 6.

Hinc sequitur, quòd si aliquis in ciuitate, in domo priuata percutiat clericum coram sex vel septem, nō erit notorium; si verò in foro, vel in collegio, seu conuentu Religiosorum, respectu illorum erit notorium, regulariter loquēdo. Dico, *regulariter*, quia tam magnus posset esse conuentus, vt hæc scientia non sufficeret, verbi gratia, si conuentus haberet ducentos Religiosos.

Secundò sequitur, quòd si Petrus me præsente percutiat clericum, non teneor illum vitare, quia licèt mihi sit notorium, non tamen est absolutè notorium; imò idem dico, licèt percutiat illum coram duobus vel tribus testibus, vt habetur ex doctrina Couar. §. 2. citato. num. 7. versic. secundò deducitur. imò Arago. 2. 2. q. 10. ar. 9. colum. 7. ait, quòd licèt percutiat coram quatuor vel quinque, non tenentur illum vitare, & Nauar. sup. necessariò debet esse huius sententiæ: nam ipse ait, quòd scientia paucorum quàm sex, non facit rem notoriam.

Tertiò sequitur, quòd licèt factum sit notorium, tamen si est aliquod dubium iuris, non tenemur eum vitare; verbi gratia, Petrus notoriè percussit clericum, tamen allegat non incurrisse excommunicationem, quia ille non gestabat habitum clericalem, Petrus nesciebat esse clericum; vel allegat solùm percussisse vim vi repellendo, vel aliquid huiusmodi, ita videtur tenere Gutierrez c. 1. citato. n. 12. & Cordub. in Sum. quæ. 183. puncto 4. in fin. sed clariùs Aragon vbi suprà. & probo ex illis verbis Concilij Constantiensis, sententiam latam à canone adeò notoriè constiterit incurrisse, quòd factum nulla possit tergiuersatione celari, nec aliquo suffragio excusari.

DVBITATVR quintò, vtrùm Decretum Concilij Constantiensis non solùm habeat locum in excommunicato, sed etiam in suspenso? Soto d.18.q.3.ar.3. ante 2. concl. clarè videtur dicere, quòd qui confitetur sacerdoti suspenso, licèt non sit denunciatus, confessio est nulla ex defectu iurisdictionis. Contrarium est tenendum. Vnde sit

Prima conclusio. Non tenemur vitare suspensos neque interdictos, donec sint denunciati. Hæc est certissima: nam est expressè definita in dicto Decreto, vt patet ex illis verbis, *prætextu cuiuscunque sententiæ, aut censuræ ecclesiasticæ*, & ex illis, *per hoc tamen huiusmodi excommunicatos, suspensos, interdictos, seu prohibitos non intendit in aliquo relaxare.* tenet Caiet.3.p.q.82.artic.9. Nauarr.cap.9.num.7.& c.27.num.163.& eam latè probat, de pœnit.d.6.§.laboret. n.24. Gutierrez c.1.num.43. & moderni communiter.

Hinc sequitur, quòd licèt canon nullus. & canon præter.32.d. suspendentes ipso facto clericum publicum cõcubinarium, essent in suo robore, nunc bene possumus eius Missam audire; donec sit denunciatus, vt ait Nauar.de pœnit.§.laboret.n.24. Gutierrez num.45. vbi citat alios. Dixi, *licèt essent in suo robore*, quia iam sunt abrogati per contrariam consuetudinem, vt testatur Gutierrez ibidem. Soto d.15.q.2. art.9.circa finem. Medina in Sum.p.1.c.11. §.8. circa medium. & communiter moderni. Vnde nec ipsi clerici concubinarij sunt iam suspensi; neque fideles tenentur abstinere ab audiendis Missis illorum, quidquid dicat Nau.c.25.n.77. imò Cou. Clement.si furiosus.p.1.§.1.num.5. dicit, quòd iste clericus etiam secundùm ius antiquum, non erat suspensus suspensione, quæ esset vera censura. Maior difficultas est, vtrùm istud Decretum Constantiense etiam habeat locum in irregularibus; verbi gratia, scio meum Parochum esse homicidam, & communiter irregularem, vtrùm antequam denuncietur; possim ab eo petere, & recipere sacramenta?

Ratio dubij est, quia irregularitas non est censura, vt diximus p.1.

Secunda cõclusio. Hoc Decretum etiã habet locum in irregularibus; ita Cano & recẽtiores communiter. Probatur primò: Quia Concilium non solùm loquitur de impeditis per censuram, sed etiam de impeditis per sententiam; vt patet ex illis verbis, prætextu cuiuscunque sententiæ, aut censurę à iure vel ab homine, sed irregularitas est quædam sentẽtia à iure; ergo Secundò: nam ratio quæ mouit Concilium quantùm ad excommunicatos, suspensos, & interdictos, nempe ad euitanda scandala fidelium, currit etiam in irregulari. Tertiò: nam aliàs semel tantùm liceret audire Missam à sacerdote excommunicato tolerato. Probatur sequela: nam post primam celebrationem manet irregularis, atque adeò Decretum Concilij esset ridiculum. His positis quoniam hæc materia de se apta est confusionem parere, vt clarè procedamus, agemus seorsum de effectibus, quos incurrit excommunicatus non toleratus, & de effectibus quos incurrit toleratus; & primò agendum est de non tolerato.

DISPVT. III.

De primo effectu, scilicet de participatione in sacramentis.

IN PRIMIS recolenda est illa distinctio tradita sup p.1.dub.2.post 3.concl. scilicet triplicem esse communicationem fidelium; prima purè interior, quia fideles iusti communicant inter se in fide & charitate; secunda purè exterior, qua communicant in conuictu politico, nempe in contractibus & colloquiis, & aliis rebus & commerciis politicis; tertia mixta, qua fideles etiamsi peccatores sint, communicant sacramentis & suffragiis Ecclesiæ. Prima communicatione non potest Ecclesia priuare; sed solùm mortale peccatum, bene tamen secunda & tertia, vt latiùs

tiùs ibi dixi ad primum. Et quoniam participatio sacramentorum est duplex, actiua & passiua, primò agendum est de actiua. Vnde

DVBITATVR primò, vtrùm sacramenta administrata ab excommunicato non tolerato, sint valida?

Prima conclusio. Certum est quodcunque sacramentum celebratum ab excommunicato non tolerato etiam extra casum necessitatis esse validum, exceptis sacramento pœnitentiæ & matrimonij; ita D. Thom. 3. p. q. 64. art. 9. ad 3. Nauar. c. 27. num. 36. in fine. & omnes. & habetur ex can. secùdum. 19. d. & probatur: nam concurrunt omnia essentialia, scilicet vera materia & forma, & minister, cum intentione faciendi quod facit Ecclesia.

Secunda conclusio. Si iste excommunicatus est Episcopus, quamuis conferat veros ordines, non tamen confert executionem, quia nemo dat quod non habet; de quo plura in materia de irregularitate.

Maius dubium est de sacramento pœnitentiæ; & ratio dubij est, quia ad hoc sacramentum non sufficit sola potestas ordinis, sed vltra illam requiritur iurisdictio, vt constat ex c. omnis vtriusque sexus. de pœnitentiis & remissionibus. Et cùm hæc iurisdictio possit auferri ab Ecclesia, vt patet in materia de confessione. c. q. 8. art. 4. dub. 1. restat videre vtrùm de facto ablata sit, aut ligata, vel tantùm sit illi prohibitum, ne vtatur illa.

Sit tertia conclusio, si sacramentum pœnitentiæ administretur ab excommunicato non tolerato extra articulum necessitatis, erit nullum: ita Palud. in 4. d. 17. q. 6. ar. 1. concl. 4. Couar. c. alma mater. p. 1. §. 6. num. 7. concl. 7. & omnes Doctores. Probatur: nam talis sacerdos extra casum necessitatis vel nullam habet iurisdictionem; vel vt propriùs dicam, habet eam impeditam & ligatam; ergo. Et hanc conclusionem intelligo etiam de confessione venialium: nam ad absoluendum à venialibus etiam requiritur iurisdictio, & hæc datur ab Ecclesia, ac per consequens potest tolli vel ligari ab ipsa Ecclesia: nam res per easdem causas dissoluitur, per quas nascitur; de quo plura dixi in materia de confess. q. 8. art. 4. dub. 10.

Hinc sequitur, quòd licet aliquis cum ignorantia inuincibili confiteatur huiusmodi sacerdoti, confessio erit nulla, & veritate comperta, erit necessariò iteranda, & loquor de confessione mortalium. Hoc autem corollarium intelligitur, quando ignorantia est particularis huius vel illius pœnitentis, secus si sit ignorantia communis, & talis sacerdos habeat aliqualem titulum; verbi gratia sacerdos qui in Hispania est nominatim excommunicatus & denunciatus, vel notorius percussor clerici, venit ad hanc Indicam regionem, vbi hoc ignoratur; & confertur sibi beneficium Parochiale, confessiones quas audit validæ sunt; hoc est contra Palac. in 4. d. 17. dispur. 7. colum. 12. sed tenet Victoria in Sum. de excõmunicatione. quæst. 333. Probatur: nam titulus præsumptus & communis error facti conferunt iurisdictionem, vt ait Caieta in Sum. verbo, absolutionis impedimenta. & verbo, confessionis iteratio. Nau. c. 9. num. 4. & alij Autores, qui fundantur in l. Barbarius. ff. de officio Prætoris.

Secundò: nam in hoc casu potiùs præsumendum est, quòd Ecclesia vult prospicere communi saluti fidelium dando iurisdictionem huic sacerdoti, quàm punire illum cum tanto detrimento fidelium.

Restat adhuc grauissima difficultas de articulo mortis, quæ quoniam ex professo tractatur in materia de confessione, vbi eam disputaui, quæ. 8. art. 6. dub. 1. breuiùs nunc erit agendũ. Et in primis notandum est, quòd dupliciter stat, aliquem ministrum esse non tolleratum. Primo modo, quia est excommunicatus, denunciatus, vel notorius percussor clerici, non tamen est præcisus ab Ecclesia. Secundo modo, quia non solùm est excommunicatus denunciatus, sed etiam præcisus ab Ecclesia, vt hæreticus damnatus de hæresi, eoipso est

est excommunicatus denunciatus, & inquantùm separatus est à corpore Ecclesiæ per infidelitatem, dicitur præcisus ab Ecclesia. Hoc posito

Prima opinio dicit, quòd nullus minister non toleratus, quamuis non sit præcisus, potest validè administrare sacramẽtum pœnitentiæ in articulo mortis, ita tenuit D. Tho. in 4. d. 19. q. 1. art. 2. q. 2. ad 3. Couar. c. alma mater. p. 1. §. 11. n. 8. Nau. c. 27. n. 17. Fundamentum est, quòd isti sunt priuati, vel ipsa iurisdictione, vel vsu iurisdictionis, vt habetur c. si celebrat. de clerico excommunicato ministrante.

Secunda opinio est, quòd minister non toleratus, qui tamen non est præcisus, poterit validè administrare hoc sacramentum in articulo mortis, non tamen si sit præcisus, ita Soto dist. 28. q. 4. art. 4. & alij, & Nauar. c. 27. num. 271. quamuis nihil dicat de sacerdote præciso; de excommunicato autem etiam denunciato ait, quòd potest validè absoluere; vbi expressè mutauit sententiam, quam tenuerat cap. 26.

Tertia opinio est, quòd quilibet sacerdos etiam non toleratus, etiam præcisus, potest validè administrare sacramentum pœnitentiæ in articulo mortis.

Quarta conclusio. Hæc opinio post Concilium Trident. est longè probabilior, tenet Caiet. in Sum. verb. absolutio. Angel. ver. confessor. 3. Palac. in 4. 5. & 6. distinctionem, disput. 3. colum. 15. concl. 4. & alij multi Doctores, quos retuli in materia de confessione. Probatur primò ex Trident. sess. 14. cap. 7. dicente, quòd *in articulo mortis nulla est casuum reseruatio, atque adeò omnes sacerdotes possunt absoluere omnes pœnitentes à quibuscunque casibus & censuris*; vbi pondera, quòd sicut nullus excipitur casus, à quo non possit absolui pœnitens, ita nullus excipitur sacerdos, qui non possit absoluere. Secundò, quia non est credendum de pietate matris Ecclesiæ, quòd velit fideles in vltimo periculo carere beneficio absolutionis, præcipuè cùm sacramentum faciat de attrito contritum; verum est, quòd si pœnitens sit infirmus in fide, & timeat peruertendum esse à sacerdote hæretico, nullo modo debet illi cõfiteri, & ex hac parte posset annullari cõfessio, quia peccaret mortaliter confitendo illi; & hæc tertia opinio intelligitur, suppositò quòd non sit alius minister legitimus, qui possit & velit administrare hoc sacramentum, ita Soto artic. 4. citato, immediatè ante §. nonnihil ambiguitatis. Nauar. cap. 26. num. 70. & alij multi.

Ad fundamentum primæ opinionis respondetur, quòd illi sunt priuati vsu iurisdictionis extra mortis articulum, non tamen in illo.

Denique de sacramento matrimonij est difficultas, vtrùm sit validum, si celebretur coram sacerdote excommunicato non tolerato? Nonnulli iuniores dicunt, quòd erit validum.

Sit quinta conclusio. Probabilius iudico quòd erit nullum. Sic tenent aliqui viri docti, & videtur tenere Veracruz in Appendice ad speculum coniugiorũ. dub. 7. concl. 2. Probatur: nam actus quos excommunicatus non toleratus exercet ratione publici officij, sunt nulli, vt tradit Syluest. ver. excommunicatio. 3. n. 2. & 3. Nau. c. 27. n. 36. ad 6. sed in matrimonio assistit parochus ratione publici officij & publicæ potestatis; ergo. Minor probatur: nam assistit inquantùm Parochus formaliter, cuius rei signum est, quòd licèt loco parochi adhibeantur mille testes, non valebit matrimonium. Secundò, contractus, in quibus secũdùm ius requiritur de substantia præsentia tabellionis, sunt inualidi & nulli, si tabellio sit excõmunicatus non toleratus, sed de substantia matrimonij requiritur post Tridentinum præsentia parochi; ergo si sit nõ toleratus, erit nullum. Maior habetur ex glossa c. decernimus. de sententia excommunicat. in 6. in fine. quam sequitur Geminian. ibi. num. 6. Francus num. 7. Ancaranus colum. antepenul. Syluest. verb. excommunic. 3. n. 2. circa finem. & communiter Canonistæ; secus dicendum est de testibus: nam licèt

sint excommunicati non tolerati, valet matrimonium coram illis celebratũ, quia non assistunt vt personæ publicæ, nec ratione publici officij, sed vt personæ priuatæ. Verùm de his plura in materia de matrimonio. q. 45. art. 5. disp. 3. dub. 14. Excipio etiam à quinta conclusione illum casum, quem excepi à quarta, scilicet quando est communis ignorantia, & titulus præsumptus: tunc enim validum erit matrimonium, sicut & absolutio.

Sexta conclusio. Si Parochus sit toleratus, validum erit matrimonium. Probatur; nam ea quæ excómunicatus toleratus facit ratione publici officij, valida sunt, vt ait Nauar. cap. 27. num. 21. & allegat cap. ad probandum. de re iudicata.

DVBITATVR secundò de excommunicato tolerato, vtrùm valida sint sacramenta ab illo administrata? Et quidem de reliquis sacramentis, exceptis pœnitentia & matrimonio, constat ex dubio præcedenti esse valida, vt dixi in 1. concl. & de matrimonio iam constat ex concl. 6 Vnde solùm est difficultas de sacramento pœnitentiæ, de quo sit

Prima conclusio. Si excommunicatio est omnino occulta, & pœnitens ignorat sacerdotem esse excommunicatum, valida esset absolutio etiam ante Decretum Concilij Constantiensis: nam occulta excommunicatio non impediebat actus, quos aliquis exercebat ratione publici officij, iuxta l. Barbarius ff. de offic. Prætoris. & præterea probatur: nam aliàs innumera orirentur animarum pericula, quibus nullus possit mederi. Hanc conclusionem tenet Richard. in 4. d. 18. art. 7. q. 1. Castro 2. de lege pœnali. c. vlt. post secundam conclusionem. alterum quod circa.

Secunda conclusio. Quando excommunicatio est occulta, sed pœnitens bene scit sacerdotem esse excommunicatũ; stando in iure antiquo ante Concil. Constantiense absolutio erat nulla; & hoc modo intelligendi sunt Calderinus, Panormit. & alij Autores relati à Nauar. c. 9. num. 7. & à Soto dist. 22. quæst. 1. artic. 4. Et hanc conclusionem intelligo de absolutione facta extra casum extremę necessitatis, quia non est credẽdum Ecclesiam aliquando voluisse priuare fideles sacramento pœnitentiæ in tali necessitate, vt patet ex Tridentino, sess. 12. cap. 7. de sacramentis, in illis verbis, *In Ecclesia Dei custoditum semper fuit, vt nulla sit reseruatio in articulo mortis, &c.*

Tertia conclusio, post Concilium Cõstantiense licèt sacerdos sit publicè excommunicatus, dummodo sit toleratus, valida erit absolutio, licèt detur extra casum necessitatis, & hoc quamuis conce- dimus quòd peccat administrando sacramentum, de quo postea. Hanc tenent cõmuniter Doctores, qui scripserunt post Constantiense; & probatur: nam post hoc Concilium non tenemur vitare etiam in administratione sacramentorum excommunicatos toleratos; ergo tale sacramentum est validum. Contrà: nam si confessarius peccet administrando; ergo pœnitens peccat petendo; per consequens confessio & absolutio erit nulla. Respondeo primò, quòd absolutio non erit nulla ex defectu iurisdictionis in Confessario (& hoc est de quo principaliter tractamus modò) sed erit nulla ex defectu dispositionis in ipso pœnitente. Secundò respondeo quòd dantur aliqui casus, in quibus licèt iste Confessarius peccet administrando, pœnitens tamen non peccet petendo; quos videre in materia de sacramentis in genere.

DVBITATVR tertiò, vtrùm excõmunicatus non toleratus possit licitè administrare sacramenta?

Prima conclusio. Extra casum extremæ necessitatis nullum sacramentum potest licitè administrare; hæc recipitur ab omnibus quantùm ad omnia sacramenta, excepto matrimonio: nam qui tenent, quòd matrimonium erit validum, cõsequenter dicent, quòd non peccabit mortaliter ex hoc capite; quamuis peccabit aliunde, scilicet inquantùm communicat cum fidelibus: est enim supponendum, quòd Parochus

chus peccator administrans matrimoniũ, non peccat mortaliter, quia non conficit ipse sacramentum, vt latiùs dixi in materia de matrimonio. q. 42. art. 1 dub. 2 ad 2. at verò tenendo quòd tale matrimonium est nullum, dicendum est, quòd peccat mortaliter administrando, saltem quando est causa quòd contrahentes credant se validum contrahere matrimonium.

Secunda conclusio. In casu extremæ necessitatis licitè potest administrare sacramentum Baptismi, si non adsit legitimus alius minister, qui possit & velit administrare. Hæc conclusio etiam est certa; pro qua supponẽdum est, quòd Baptismus hoc habet speciale inter reliqua sacramẽta, quòd habet duplicem ministrũ, vnum solemnitatis, alterum necessitatis, qui necessitate vrgente potest administrare hoc sacramentum sine solennitate, vnde quamuis sit in peccato, non peccabit mortaliter in tali administratione, & similiter dicimus, quòd excommunicatus non toleratus licitè potest administrare Baptismum in extrema necessitate.

Tertia conclusio. Non toleratus licitè potest administrare sacramentum pœnitentiæ in articulo mortis: hæc constat ex quarta conclusione dubij primi, quæ intelligitur supposito quòd talis sacerdos non sit iam in mortali. De sacramento autem Eucharistiæ Soto dist. 13. q. 1. art. 9. P. Suar. 3. p. q. 82. disput. 82. sect. 4. circa finem. & nonnulli iuniores dicunt, quòd non toleratus licitè potest illud administrare in articulo mortis; probãt, quia tũc est præceptum de sumenda Eucharistia.

Quarta conclusio. Opposita sententia est probabilior, quam tenuit Victoria & Cano, Palac. in 4. d. 5. disp. 3. col. 23. §. scito tamen. & multi viri docti. Probatur: nam hoc sacramentum non est tam necessarium, sicut sacramentum pœnitentiæ: non enim est per se institutum ad remittenda peccata, sicut sacramentum pœnitentiæ. Hæc autem conclusio intelligitur in casu quòd infirmus receperit sacramentum pœnitentiæ; at verò si non potest illud recipere, vel quia non potest loqui, nec confiteri per signa, vel quia iste sacerdos non toleratus est mutus, nec potest illum absoluere, tunc licitè potest ministrare Eucharistiam. Probatur: Ideo potest licitè administrare sacramentum pœnitentiæ, ne pœnitens periclitetur, si fortè non haberet veram contritionem, sed idem periculum est in casu quòd non recipiat Eucharistiam; ergo.

Quarta conclusio. Quod in præcedenti conclusione diximus de Eucharistia, idem dicendum est de Extrema Vnctione; scilicet quòd non potest licitè illam administrare, nisi in casu quòd existens in articulo mortis non potuit recipere sacramentum pœnitentiæ, neque Eucharistiæ: tunc enim licitè potest. Patet eadem ratione: nam hoc sacramentum etiam facit de attrito contritum.

Ad argumentum contrariorum respondetur, quòd præceptum diuinum de suscipienda Eucharistia semper intellectum est ab Ecclesia, supposito quòd possit reuerenter administrari; non autem administratur reuerenter à ministro non tolerato; verum est, quòd in casu, quem excepimus à quarta conclusione, cessat irreuerentia, eo quòd tale medium censetur necessarium ad liberandum proximũ à periculo probabili damnationis. Vtrùm verò excommunicatus toleratus licitè possit administrare sacramenta, dicemus disp. 8. Hactenus de participatione actiua sacramentorum, iam de passiua agendum est.

DVBITATVR quartò, vtrùm sacramenta, quæ recipit excommunicatus non toleratus, sint valida? Controuersia solùm est de sacramento pœnitentiæ: nam de reliquis certum est apud omnes Doctores, quòd sunt valida. Secundò, suppone quòd quæstio nõ procedit de illo qui vult prius recipere absolutionem ab excommunicatione, quàm à peccatis; certum est enim vt docet Caiet. statim citandus; quòd excommunicatus potest cõfiteri sua peccata, priùs quàm absoluatur ab excommu-

nicatione, quia non priuatur à materia sacramenti, sed à forma, nec Confessarius audiens eum, incurret minorem excommunicationem, vt notat Nauar. c. 10. n. 3. Solùm ergo procedit quæstio, quando priùs absoluitur à peccatis, quàm ab excommunicatione. Tertiò nota, quòd quæstio non procedit, quãdo instat mors adeò repentina, vt non sit tempus absoluendi ab excommunicatione: tunc enim absolutio à peccatis esset valida & fructuosa etiam cessante ignorantia; ita communiter Doctores: non enim est intentio Ecclesiæ, quòd iste careat beneficio absolutionis: sed casus hic est metaphysicus, præcipuè cùm sufficiat hoc vnum verbum, *Te absoluo*, cum intentione absoluendi ab excommunicatione, & à peccatis, vt aduertit Soto. His positis

Prima opinio dicit, quòd nunquam est validum, etiamsi suscipiatur ab excommunicato sola minori excommunicatione, siue recipiatur scienter, siue ignoranter; ita Sylvest. verb. confessio. 1. q. 3. §. 5. Adria. in 4. fol. 149. & 189. citatur etiam Palud. sed falsò. Probatur primò: Receptio sacramentorum facta ab excommunicato est annullata secundùm ius; ergo. Antecedens probatur ex capit. si celebrat. de clerico excommunicato ministrante. vbi dicitur de clerico excõmunicato minori, *Peccat conferendo ecclesiastica sacramenta, sed ab eo collata virtutis non carent effectu, cùm non videatur à collatione, sed à receptione semotus.* Secundò: Excommunicatus non toleratus æqualiter prohibetur à participatione actiua & passiua sacramẽtorum, sed si administret sacramentum pœnitentiæ extra necessitatis articulum, erit nullum; ergo si recipiat, erit nullum. Tertiò: Applicatio suffragiorum Ecclesię, electio & collatio beneficij facta excommunicato maiori excommunicatione erit nulla; ergo similiter absolutio. Quartò: Iste est membrum præcisum à Christo, & ab Ecclesia; ergo non recepit influxum sacramentorum.

Secunda opinio dicit, quòd si excommunicatus accedat cum ignorantia inuincibili iuris vel facti, sacramentum erit validum, imò & fructuosum, at verò si accedat cum ignorantia culpabili, erit nullum. Ignorantia iuris est, quando ignorat excommunicationem esse impedimẽtum ad recipiendam absolutionem; ignorantia facti est, quando ignorat se esse excommunicatum; huius sententiæ videtur Soto d. 22. q. 1. art. 2. circa finem.

Tertia opinio dicit, quòd si excommunicatus etiam non toleratus suscipiat hoc sacramentum, non erit inualidum formaliter & precisè ratione excommunicationis; vnde validum erit, si cætera adsint, quę ad substantiam sacramenti requiruntur, scilicet debita materia cum legitima dispositione. Hanc tenet Caietan. verbo, absolutionis impedimenta. Angel. verbo, confessio. 5. n. 10. Petrus à Soto lect 4. de excommunicatione. Victoria in Sum. de excommunicat. num. 3. Nauarr. cap. 9. n. 3. & c. 26. num. 7. & communiter iuniores, & quoniam hæc est probabilior. Pro eius probatione supponendum est, dupliciter intelligi posse, quòd Ecclesia irritauerit sacramentum pœnitentiæ receptum ab excommunicato. Primo modo, inhabilitando ipsum excommunicatum ad receptionem sacramenti, sicut inhabilitauit aliquas personas ad contrahendum matrimonium. Secundo modo, auferendo iurisdictionem à sacerdotibus respectu pœnitentium excommunicatorum. Hoc posito probatur tertia opinio, Ecclesia nec primo nec secundo modo irritauit sacramentum pœnitentiæ receptum ab excommunicato; ergo est validum. Quòd non irritauerit primo modo, patet: nam hæc prohibitio non est specialis pro sacramento pœnitẽtiæ, sed generalis respectu omnium sacramentorum, quoniam eisdem verbis prohibet excommunicato recipere hoc sacramentum, quibus prohibet recipere reliqua: sed certum est, non esse incapacem ad recipiendum sacramẽtum Confirmationis, Ordinis, Matrimonij, Extremæ Vnctionis, neque Eucharistiæ.

stiæ;ergo nec Pœnitentię.Et est adeò certum, Ecclesiam non irritasse hoc primo modo sacramentum pœnitentiæ, quòd sit valde probabile id facere non posse. Nec obstat quòd hoc primo modo irritauerit matrimonium clandestinũ, scilicet inhabilitando personas, non, inquam,obstat, quoniam matrimonium est contractus & sacramentum,& ratio contractus est fundamentum ad rationem sacramenti, & quoniam in ratione contractus potuit irritari ab Ecclesia, scilicet inhabilitando personas ad sic contrahendum,ideo consequenter annullauit contractum & sacramentum; at verò sacramentum pœnitentiæ est purum sacramentum;ergo existente pœnitente subdito cum dispositione necessaria ex institutione Christi ad veritatem sacramenti,nõ potest annullari hoc primo modo,& hoc procedit contra primam & secundam opinionem. Quòd verò non sit annullatum secundo modo, patet:nam si eo ipso quòd aliquis esset excommunicatus, auferretur omnibus Cõfessoribus iurisdictio ad absoluendũ eum sacramẽtaliter,sequeretur quòd licèt pœnitens accederet cum ignorantia inuincibili,absolutio esset nulla cõtra secundam opinionem. Probatur consequentia: nam licèt ignorantia excuset à peccato, nõ tamen dat iurisdictionem, & non loquor modò de ignorantia cõmuni, sed de particulari. Si dicat aliquis, quòd sacramentum esset validum, quãdo excommunicatus accedit cum ignorantia inculpabili, non prouenit ex ipsa ignorantia, sed ex hoc quòd iurisdictio solùm est ablata sacerdotibus respectu excommunicatorum accedentium sine ignorantia inuincibili. Contrà: nam absolutè prohibet Ecclesia, ne excommunicati recipiant sacramentũ pœnitentiæ; ergo si per hanc prohibitionem auferrur sacerdotibus iurisdictio ad absoluendum sacramentaliter excommunicatos accedentes sine ignorantia inuincibili,etiam manebit ablata, ne absoluant accedentes cum ignorantia inuincibili,siquidem ibi nulla sit exceptio.Et quoniam hoc tantùm procedit contra secundam opinionem,probatur contra primã,quòd sacramentum non sit annullatum secũdo modo:nam excommunicatus manet subditus,sicut antea; ergo iurisdictio non est ablata ab illis,qui eã habebant,antequam iste incurrisset excommunicationem. Secundò probatur cõtra vtramque opinionem: Ius solùm dicit prohibitum esse excommunicato recipere sacramenta,& lex pœnalis non est extendenda;ergo.

Ex dictis sequitur primò, quòd sacramentum pœnitẽtiæ receptum ab excommunicato etiam non tolerato,nõ est nullum precisè ratione excommunicationis, sed poterit esse nullum ex defectu debitæ dispositionis, vt clarè patebit per sequentes conclusiones.

Prima conclusio. Si excommunicatus minori vel maiori excommunicatione, etiam non toleratus,accedat ignorans inuincibiliter se esse excommunicatum, vel quòd est peccatum mortale sic accedere, confessio erit valida & formata;ita Caiet. verb. absolutionis impedimenta. Medin. Cod.de confessione. quæst.de confessi.ab excommunicato facta. Ledesm. 2.4.q.13. artic.1.& alij.

Secunda conclusio.Si ignoret culpabiliter,mortaliter, sed non affectatè, se esse excommunicatum, vel quòd est mortale sic accedere, confessio erit valida, sed informis,ita Caiet.sup. Armil.verb. absolutio.num.5.Nauar.cap.9.num.3.

Tertia conclusio.Si scit se esse excommunicatum,& quòd est mortale sic accedere,confessio est nulla ex defectu debitę dispositionis. Istæ conclusiones probãtur vnica ratione Caietani: nam supposito quòd receptio sacramẽtorum ab excommunicato non est annullata in iure, sed tantùm prohibita,solùm erit nulla,quando pœnitẽs ponit obicem; sed in casu primæ conclusionis non ponit obicem gratiæ,quia excusatur ignorantia, nec sacramento; ergo recipit validum sacramentum & fructum eius:in casu secũdæ conclusionis ponit obicem gratiæ, quia pec-

cat, non tamen sacramento, quia non dimidiat confessionem per se; ergo recipit sacramentum validum, sed non fructum eius. Denique in casu tertiæ conclusionis ponit obicem gratiæ, quia peccat, & sacramento, quia vel tacet illud peccatum, & sic dimidiat per se confessionem, vel si confitetur, illud est absque dolore.

Secundò sequitur, quòd aliquãdo continget aliquem recipere sacramentũ pœnitentiæ validum, imò & fructuosum, & quòd maneat excommunicatus, vt si aliquis ignorans inuincibiliter se esse excommunicatum, confitetur omnia peccata, quorum recordatur, cum vero dolore, & tamẽ Confessarius per obliuionem, & etiam ex malitia non præmitteret absolutionem ab excommunicatione, in quantùm possum, & indiges; vt habet communis vsus; vel quamuis præmitteret, tamen excommunicatio, quam pœnitens ignorat, est reseruata Superiori, & ideo non potest absolui ab inferiori.

Ad primum respondetur, quòd excommunicatus est incapax ad recipiendum sacramentum quoad fructum gratiæ (intellige nisi excusetur ignorantia inuincibili) non tamen quoad validitatem, vt patet in aliis sacramentis. Hæc solutio habetur ex Caiet. supr. & Couar. c. alma mater. par. 1. §. 6. n. 7. concl. 3. Vnde in forma negatur antecedens.

Ad secundum, negatur maior: nam administratio actiua sacramẽtorum est prohibita excommunicato non tolerato per subtractionem iurisdictionis, & consequenter sacramentum pœnitentiæ ab eo administratum erit nullum, nisi in casu necessitatis; at verò administratio passiua non est prohibita inhabilitando excommunicatum ad recipienda sacramenta, neque auferendo iurisdictionem à sacerdotibus respectu excommunicati, vt vidimus; & ideo licèt talis receptio sit illicita, nisi excuset ignorantia, nihilominus erit valida.

Ad tertium, concesso antecedenti, nego consequentiam: nam applicatio suffragiorum Ecclesiæ, electio & collatio beneficij vt valida sit dependet ex mera voluntate Ecclesiæ, non sic receptio sacramentorum; item quòd electio vel collatio facta excommunicato sit nulla, habetur expressum in iure; cæterùm quòd receptio sacramenti pœnitentiæ sit nulla, non habetur in iure.

Ad quartum, quòd excommunicatus maiori excommunicatione quantùm ad aliqua est membrum præcisum, scilicet quantùm ad Ecclesiæ suffragia, electionem, & collationem: nam hæc annullantur; at verò quantùm ad aliqua non est omnino præcisus, sicut hæretici, qui iam desinunt esse vniti corpori Ecclesiæ; solùm est prohibitus, scilicet ne communicet cum reliquis fidelibus, ne recipiat sacramenta.

Disputatio IV.

De secundo & tertio effectu, scilicet de priuatione suffragiorum, & ecclesiastica sepultura.

Dvbitatvr primò, quibus suffragiis priuetur excõmunicatus maiori?

Pro explicatione suppone, Ecclesię suffragia esse in duplici differentia; quædam sunt generalia & communia omnibus fidelibus, vt illa, quę siue ab Ecclesia sint instituta, siue non, tamen ab illa ordinãtur, & applicantur in vtilitatem omnium mẽbrorũ, quæ ipsi sunt vnita saltem per fidẽ, vnde peccatoribus fidelibus prosunt saltẽ quoad impetrationem, vt scilicet illuminentur à Deo, & resurgant à peccato, & protegantur ab incursibus dęmonum; huiusmodi est sacrificium Missę, & recitatio Horarum Canonicarum, in quibus orat sacerdos sub nomine & persona Ecclesiæ; alia sunt suffragia particularia, nempe orationes particulares, in quibus qui orat, tantùm orat vt persona particularis.

Secundò, nota esse differentiam inter

hæc

hæc ſuffragia, quòd ſuffragia ſecundi generis ſolùm habent valorem ex perſona offerente; at verò ſuffragia primi generis præter valorem, quem habèt ratione perſonæ offerentis, habent etiam valorem ratione ipſius Eccleſiæ, cuius nomine offeruntur, & inſuper ſacrificium Miſſę habet alium valorem (præcipuum quidem) ex inſtitutione & virtute Chriſti, cuius perſonam gerit ſacerdos qui ſacrificat. Hinc ſequitur alia differentia, quòd valor ſuffragiorum ſecundi generis perditur ex indignitate perſonæ offerentis, vnde ſi ſit in mortali, non ſunt ſatisfactoria ſibi neque alteri; valor autem ſuffragiorum primi generis, qui prouenit ab Eccleſia, non pendet ex dignitate offerentis; vnde quãuis ſit in mortali, erunt aliis ſatisfactoria, quia offeruntur nomine Eccleſiæ, quæ eſt gratiſſima Deo; & valor, quem ſacrificium Miſſæ habet ex inſtitutione Chriſti, non perditur per hòc quòd ſacerdos offerens ſit in peccato, imò licèt per impoſſibile tota Eccleſia eſſet in peccato, non perderetur.

Tertiò, nota quòd ſicut ſuffragia communia Eccleſiæ habent duplicem valorem, ita etiam poſſumus conſiderare duplicem fructum ab illis prouenientem; primum generalem, qui prouenit fidelibus ex applicatione ipſius Eccleſiæ; ſecũdum ſpecialem, qui prouenit illis, quibus ſpecialiter applicantur à miniſtro offerente; & inſuper ſacrificium Miſſæ habet alium tertium valorem ex inſtitutione Chriſti.

Quartò, nota quòd non diſputamus modò vtrùm offerens generalia ſuffragia pro excommunicato peccet: de hoc enim agendum eſt infrà; ſed ſolùm diſputamus, quibus ſuffragiis priuetur, ita vt licèt de facto offerantur pro illo, non proſint ei. His poſitis, ſit

Prima concluſio. Excommunicatus etiam non toleratus, ex vi excommunicationis non manet priuatus particularibus Eccleſiæ ſuffragiis, nec fructu ab illis prouenire. Hæc recipitur ab omnibus; imò Soto diſt. 22. quæſt. 1. art. 4. videtur ſentire, quòd nec poteſt Eccleſia illum priuare; quòd verùm eſt in hoc ſenſu, quòd licèt de facto prohiberet, ne huiuſmodi ſuffragia offerrentur pro illo, tamen ſi de facto exiſtens in gratia offerret illa, prodeſſent excommunicato, nõ ſolùm quoad impetrationem, ſed ſi eſſet in gratia, etiã quoad ſatisfactionem; & ratio eſt, quoniam talia opera habent vim ex applicatione & deuotione offerentis; ergo licèt ſuperior poſſit præcipere ſubdito, ne offerat ea pro excommunicato, tamen non poteſt tollere, quin applicatio, ſi fiat, ſit valida.

Secunda concluſio. Excommunicatus etiam non toleratus, ex vi excommunicationis non ſolùm non priuatur particularibus ſuffragiis, verùm nec communibus, quantùm ad valorem particularem prouenientem ex particulari intentione & applicatione offerentis. Probatur, quia illud ſuffragium, quantùm ad hunc valorem, non eſt ſuffragium generale; quia non habet hunc valorem ex intentione & applicatione generali Eccleſiæ, ſed ex ſpeciali intentione offerentis. Confirmatur: nam per hoc quòd tale ſuffragium applicetur ab Eccleſia pro omnibus fidelibus, non perdit illum valorem particularem prouenientem ex parriculari applicatione offerentis, quem quidem haberet, licèt non offerretur ab Eccleſia. ergo quantùm ad hunc valorem eſt ſuffragium particulare. Ex dictis ſequitur, quòd ſi illud generale ſuffragium, quod ex ſpeciali intentione ſacerdotis offertur, eſt ſacrificium Miſſæ, excommunicatus gaudebit non ſolùm fructu ſpeciali prouenire ex ſpeciali applicatione ſacerdotis offerentis, ſed etiam illo fructu prouenire ex inſtitutione Chriſti, vt poſtea videbimus.

Tertia concluſio. Excommunicatus maiori etiam toleratus, ex vi excommunicationis manet priuatus generalibus Eccleſiæ ſuffragiis, quantùm ad valorem prouenientẽ ex applicatione ipſius Eccleſiæ.

siæ. Hinc sequitur, quòd manet incapax huiusmodi fructu, ita vt licèt de facto applicetur illi à ministro Ecclesiæ, non gaudebit illo; & ratio est, quoniam huiusmodi valor pendet ex applicatione & intentione Ecclesiæ, sed Ecclesia excludit excommunicatos maiori à tali fructu; ergo. Consequentia patet à simili: nam si œconomus distributurus numos, distribuat eos illis, quos dominus exclusit, talis distributio non valebit, nec isti acquirent dominium.

DVBITATVR secundò, quando excommunicatus exit à peccato, & non stat per ipsum, quin absoluatur ab excommunicatione, vtrùm statim fruatur communibus Ecclesiæ suffragiis, & possit communicare cum fidelibus? Casus potest contingere, quando aliquis incurrit excommunicationem reseruatam Superiori, & postea conuertitur ad Deum, tamen longè abest Superior, à quo est absoluendus; vel quando aliquis incurrit excommunicationem, quia non satisfecit, cùm tamen posset, modò autem nō potest, sed proponit firmiter satisfacere cùm primùm possit, & dolet de peccato.

Prima opinio est, quòd licèt fruatur fructu particulari, quem participant iusti, non tamen fruitur communibus Ecclesiæ suffragiis; sic Adrian. in 4. quæst. 3. de clauibus. in fine. Soto dist. 22. quæst 1. art. 1. colum. 12. dub. 2. & quam plurimi Thomistæ. Probatur primò, ex cap. à nobis. de sententia excommunicatio. vbi dicitur, hunc non esse habendum pro absoluto, nec orandum pro eo, & subditur, contingere posse, vt qui liber est apud Deum, sit innodatus sententia ecclesiastica. Secundò: Contritio non liberat hūc ab excommunicatione, sed de ratione excommunicationis maioris est, priuare suffragiis Ecclesiæ; ergo.

Confirmatur primò. Vel in isto saluatur essentia excommunicationis, vel non; si primum, ergo priuatur suffragiis communibus Ecclesiæ, vt patet ex definitione maioris excommunicationis; si secundum; ergo non indiget absolutione. Confirmatur secundò: Iste manet excommunicatus quantùm ad alios effectus excommunicationis, ne posset recipere, nec administrare sacramenta; ergo etiā quantùm ad hunc, qui est priuari suffragiis Ecclesiæ. Tertiò: nam aliàs sequeretur, quòd posset aliquis vt minister Ecclesiæ orare pro huiusmodi excommunicato, & pro eo offerre Missæ sacrificium. Quartò: nam aliàs iste nō curaret absolutionem ab excommunicatione, & per consequens contemnerentur claues Ecclesiæ.

Secunda opinio est, quòd fruuntur cōmunibus Ecclesiæ suffragiis huiusmodi excommunicati, sic Richard. in 4. dist. 18. artic. 7. quæst. 2. post concluſ. Palac. eadem dist. disput. 13. colum. 22. versicul. obserua tamen. Anton. 3. par. tit. 25. cap. 76. Turrecremata can. si quis Episcopus. 11. quæst. 3. Nauar. cap. 27. num. 18. & 36. vbi allegat Hostiensem. Couar. cap. alma mater, par. 1. §. 6. num. 8. concluſ. 9. & aliqui viri doctissimi.

Primà concluſio, hæc opinio est probabilior. Probatur primò: Ecclesia ideo priuat excommunicatum suis suffragiis, quia illum reputat inimicum & contumacem; ergo si cessat contumacia, cessat etiam voluntas puniendi illum hac pœna acerbissima, & oppositum videtur inhumanum. Confirmatur, quia non est præsumendum de pietate Ecclesiæ, quòd velit excludere à suis suffragiis, & tradere Satanæ illum, quem Deus admisit in suam amicitiam. Secundò, iste est membrum Christi viuum, & per consequens membrum viuum Ecclesiæ; ergo vegetatur eodem spiritu, quo reliqua membra viua, atque adeò fruitur communibus suffragiis. Tertiò, excommunicatio est medicinalis, sed iste iam est curatus; ergo cessauit excommunicatio, saltem quantùm ad hunc effectum, qui est priuari suffragiis.

Secunda concluſio. Licèt iste fruatur communibus Ecclesiæ suffragiis, non tamen fruitur sacramentis, nec poterit pro illo

illo nominatim orari, vt amplius patebit in solutione argumentorum.

Tertia conclusio. Excommunicatus licèt certò sciat per reuelationem se esse in gratia, non poterit communicare cum fidelibus, sed quantùm ad hoc debet se gerere, ac si perseueraret in peccato.

Ad primum respondetur, illum textum solùm intendere quòd Ecclesia non reputabit hunc pro absoluto, & quòd non potest publicè orari pro illo nominatim.

Ad secundum respondetur, quòd licèt contritio non liberet excommunicatum ab omnibus effectibus excommunicationis, liberat tamen ab hoc, qui est priuari suffragiis. Ad primam cõfirmationem respondetur, quòd essentia excommunicationis non consistit in diuisibili, sicut essentia rei naturalis, verbi gratia, hominis, vel lapidis; sed est quoddam ens morale, scilicet quædam pœna priuans multis rebus; vnde fieri potest, quòd non duret quãtùm ad vnam priuationem, & duret quantùm ad alias. Ad secundam confirmationem Angel. verb. confessio. 5. & quidam alij concedunt, quòd iste potest recipere sacramentum pœnitentiæ, non tamen Eucharistiæ; sed hoc falsum est: nam eadem ratione, qua potest licitè recipere sacramentum pœnitentiæ, posset etiam recipere Eucharistiam: confessio enim ad Eucharistiam ordinatur; vnde in forma concesso antecedenti, nego consequentiam; & ratio disparitatis est, quoniam ex receptione, vel administratione sacramentorum facilè cõtemneretur potestas Ecclesiæ, vt in sequenti solutione patebit.

Ad tertium Couar. suprà & nonnulli iuniores ex iis qui sequuntur secundam opinionem, dicunt, quòd licitè potest aliquis vt minister Ecclesiæ orare, secretè tamen, pro excommunicato contrito, & pro eo Missæ sacrificium offerre, sed ego cum aliis oppositum sentio; vnde dico quòd licèt talis oratio & applicatio sacrificij, si fiat, erit valida, illicita tamen erit, quoniam est directè contra prohibitionem Ecclesiæ; & ratio est, quoniam ex hoc multum eneruaretur, & contemneretur potestas Ecclesiæ, quod inconueniens non sequitur ex hoc, quòd iste interiùs fruatur suffragiis Ecclesiæ: nam hæc participatio est omnino occulta Ecclesiæ militanti.

Ad quartum negatur sequela: nam indiget absolutione ab excommunicatione quantùm ad multos effectus, scilicet vt possit communicare cum fidelibus, & fideles cum eo in diuinis & in humanis, vt possint fideles publicè orare pro eo nominatim, & quantùm ad multos alios effectus, hoc excepto de suffragiorum priuatione, & ideo non contemnentur claues Ecclesiæ.

DVBITATVR tertiò, vtrùm sacrificium Missæ oblatum à non tolerato, sit validum & proficuum aliis fidelibus? De hoc latiùs egimus in materia de sacrificio Missæ. c. 4. dub. 3. Ideo sit breuiter

Prima conclusio, quòd sacrificium erit validum; ita Soto d. 13. quæst. 1. art. 8. & alij multi. & è contrà Scot. in 4. eadem d. quæst. 2. circa finem. & contrà Bonauent. in 1. p. distinct. Probatur primò, talis sacerdos validè consecrat; ergo validè offert sacrificium. Probatur consequentia: nam potestas consecrandi ordinatur ad offerendum hoc sacrificium. Confirmatur: nam actus offerendi est actus characteris sacerdoralis. Secundò: nam sacerdos quando sacrificat, non solùm sacrificat vt minister Christi, sed etiam in persona Christi offerentis per suum ministrum, sed Sacerdoti operanti in persona Christi Ecclesia non potest interdicere, saltem ne operetur validè; ergo.

Petis, quam certitudinem habeat hæc conclusio? Nonnulli dicunt, esse de fide, sed hoc est falsum; vnde solùm est certa eo gradu certitudinis, vt oppositum sit parum probabile, vel improbabile. ita nonnulli viri doctissimi. Probatur: nam licèt sit certum de fide, quòd consecratio Eucharistiæ & oblatio eiusdem est actus characteris sacerdotalis (nam solus sacer-

dos potest validum offerre sacrificium) non tamen est certum de fide, quòd character sacerdotalis habeat se eodem modo respectu oblationis huius sacrificij, quo se habet respectu cõsecrationis: posset enim aliquis absque nota erroris dicere, quòd licèt character sacerdotalis non pendeat ab Ecclesia quantùm ad validitatem consecrationis, pendet tamen quãtùm ad oblationem sacrificij, ita vt nec licitè, nec validè offerat; cuius rei potest esse aliquod signum, quòd non solùm sacerdos, verùm etiã reliqui fideles per manus sacerdotis offerunt hoc sacrificium, & tamen solus sacerdos cum Christo consecrat Eucharistiam.

Secũda conclusio. Hoc sacrificium erit proficuum fidelibus iustis per modũ impetrationis, & per modum satisfactionis quantùm ad fructum, quem habet ex virtute Christi; hanc tenet Soto ar. 8. cit. & alij. Et probatur: nam hic fructus non potest impediri per indignitatem sacerdotis, quoniã Christus est qui principaliter offert. Dixi, *ex virtute Christi*, quia non erit proficuum quantùm ad valorem, quem habet ex parte Ecclesiæ: nam ipsa nõ vult offerre per talem sacerdotem, quòd amplius patebit dubio sequẽti. Præterea hæc conclusio partim non habet locum in eo, qui scienter petit à tali sacerdote præciso quòd sacrificet, quia peccat petendo, & ideo non erit illi proficuum quantùm ad satisfactionem, & bene tamen quãtùm ad impetrationem. Et ita sentiunt aliqui viri docti, quamuis oppositum videatur dicere Soto loco citato.

DVBITATVR quartò, vtrùm hoc sacrificium oblatum pro excommunicato non tolerato sit ei proficuum?

Prima conclusio, hoc sacrificium oblatum pro quocũque excõmunicato etiam non tolerato, est illi fructuosum quãtùm ad impetrationẽ, licèt offerens, & ille pro quo offertur, peccent mortaliter, vnus offerendo, alter petẽdo quòd offeratur pro se. Ita tenent doctissimi viri, & probatur: nam hoc sacrificium secundùm propriam naturam, & institutionem Christi, habet posse prodesse quantùm ad impetrationẽ quibuscunq; peccatoribus; ergo licèt Ecclesia per suam prohibitionem efficiat, ne licitè offeratur pro tali excommunicato, non tamen efficere potest, quòd si oblatio fiat, non sit fructuosa.

Secunda conclusio. Si talis excommunicatus sit in gratia, sacrificium oblatum pro illo non solùm erit illi fructuosum quantùm ad impetrationẽ, sed etiã, quantum ad satisfactionẽ, & loquor de satisfactione proueniẽte ex virtute Christi; suppono enim quòd hoc sacrificium etiam habet satisfactionem ex parte Ecclesiæ, vt ostendi in materia de sacrificio Missæ. c. 3. disp. 1. dub. 10. Probatur: nam hæc satisfactio non potest eneruari ab Ecclesia. Secundò: nam hîc concurrunt omnia necessaria ad hoc vt sacrificium sit fructuosum quoad satisfactionem. Patet: nam datur verus sacerdos applicãs verum sacrificiũ, & ille cui applicatur est aptus ad recipiẽdum hoc sacramentum, cùm sit in gratia, ergo recipit hunc effectum; quæ conclusio habet verum, licèt teneremus eũ prima opinione dubij 2. quòd iste excommunicatus quamuis in gratia sit, nõ fruitur communibus Ecclesiæ suffragiis, ita vt licèt applicentur illi, non valeat talis applicatio; & ratio discriminis est: nam sacrificium Missæ quantùm ad rationem sacrificij, & valorem quem habet ex institutione Christi, nõ pẽdet ab Ecclesia quantùm ad validitatẽ. Cæterùm valor suffragiorum communium pendet ab Ecclesia, quæ est domina illorum, & ideo potest annullare applicationem eorum factam per ministrum excommunicatum non toleratum, vel factam pro excommunicato etiam tolerato. Est etiam alia differentia, quæ magis explicat præcedẽtem: nam sacrificium Missæ præcisè quantùm ad rationem sacrificij, & valorem quem habet ex institutione Christi, non computatur inter suffragia communia Ecclesiæ propriè loquendo, sed cõmunia suffragia sunt orationes, quæ in ipsa Missa dicuntur, & aliæ

aliæ quæ dicuntur extra Missam; nam hæc offeruntur à ministris nomine Ecclesiæ, ita vt ministri offerentes non offerant in persona Christi, sed immediatè in persona Ecclesiæ; & hinc proueuit quòd potest Ecclesia annullare applicationem horum suffragiorum factam sine debitis circunstãtiis, vt si fiat per ministrum excommunicatum non toleratum, quia ipsa nõ vult offerre per illum; vel si applicentur excõmunicato etiam tolerato, quia non vult vt offerantur pro illo. Valor autem quem habet sacrificium ex institutione Christi, non pendet quoad validitatem ab Ecclesia, quia, sacerdos illud offerens, licèt offerat vt minister Ecclesiæ, non tamen offert in persona Ecclesiæ principaliter, sed in persona Christi, & offertur secundùm institutionem Christi, & ideo si adsint ea quæ requiruntur ex institutione Christi, sacrificium & applicatio est valida, & etiã proficua illis, pro quibus offertur. Cuius differentiæ est optimum signum, quòd licèt daremus per impossibile, non solùm sacerdotem offerentẽ esse in peccato, sed etiam totam Ecclesiam, talis applicatio sacrificij haberet vim satisfaciendi; quòd si in isto casu non prodesset alicui quoad satisfactionem, non esset ex defectu virtutis sacrificij, sed ex incapacitate subiecti, cui applicaretur; at verò dato per impossibile quòd tota Ecclesia esset in peccato, applicatio communium suffragiorũ Ecclesiæ nullam haberet in se vim satisfaciẽdi. Vide D. Tho. 3. p. q. 82. art. 7. ad 3. ex cuius doctrina desumpta est differentia tradita. Dixi in secunda conclusione, *de satisfactione proueniente ex virtute Christi*: nam de proueniente ex parte Ecclesiæ, stando in prima opinione dubij secundi, non valebit illi excommunicato contrito, bene tamen valebit iuxta secundam opinionẽ, quam ibi sumus sequuti, scilicet quòd excommunicatus contritus fruitur suffragiis communibus Ecclesiæ.

DVBITATVR quintò, vtrùm orationes cõmunes, quæ offeruntur in Missa in Horis Canonicis à ministro excommunicato maiori, si applicentur aliis fidelibus, sint illis fructuosæ?

Dico primò, si offerantur à tolerato, certum est quòd sunt validæ & fructuosæ fidelibus, quia indignitas ministri nõ obscurat valorem & dignitatem orationum communium Ecclesiæ, neque Ecclesia intendit annullare applicationem factam per talem ministrum, supposito quòd tolerat illum. Vnde difficultas solùm est de non tolerato; de quo est

Prima opinio Gab. lect. 27. in canonẽ, quòd istæ orationes sunt fructuosę fidelibus. Probatur primò. Sacrificium Missæ oblatum à nõ tolerato est fructuosum illis, pro quibus offertur, vt vidimus; ergo etiam orationes communes. Secundò: nam offeruntur nomine Ecclesiæ, quæ semper est Deo grata; ergo.

Secunda opinio est expressa D. Tho. 3. p. q. 82. ar. 7. ad 3. vbi ait, quòd orationes Missæ dictæ à sacerdote præciso, non habent efficaciam. eandem tenet Soto d. 13. q. 1. art. 8. & alij.

Dico secundò. Hæc opinio est tenenda. Probatur. Huiusmodi orationes habent efficaciam ex meritis Ecclesiæ, vnde Ecclesia est vera domina harum orationum, sed ipsa non vult offerre eas per sacerdotem præcisum; ergo si ab eo offerantur, nullam habent efficaciam.

Ad primum concesso antecedẽti negò consequentiam: nã Ecclesia potest annullare oblationem orationum communium factam per ministrum non toleratũ, non tamen potest annullare oblationem sacrificij Missæ, vt clarè patet ex dictis dub. præced. post secundam conclusionem.

Ad secundum respondetur, solùm probare, quòd si Ecclesia vellet offerre suas orationes per ministrum non toleratum, essent fructuosæ, quia indignitas ministri non potest obscurare merita, & dignitatẽ Ecclesiæ; at verò non vult eas offerre.

DVBITATVR sextò, vtrùm excommunicatus non toleratus, qui aliàs tenebatur recitare Horas Cãonicas, titulo ordinis sacri, vel professionis, vel beneficij,

teneatur modò?

Prima conclusio,quòd tenetur,ita Nau. de consecr.d.1.c.4.not.7. n.18.& in Sum. c.25.n.101.Couar.lib.3. Variarum.c.13.n. 8.& e,alma mater.p.1.§.3.n.9.Sylvest.ver. hora,n.15. Palud.in 4.d.15.q.5.art.1.n.15. & communiter Doctores. Probatur:nam Ecclesia non vult releuare excommunicatum; aliàs reportaret commodum ex iniquitate sua;& cõclusio intelligitur etiam si solùm teneretur recitare titulo beneficij,vt ait Syl.q.3.Palud.sup.& alij.

Contrà. Iste non percipit fructus beneficij;ergo nõ tenetur recitare. Transeat antecedens,de quo infrà,& negetur consequentia;nam sua culpa perdit illos,sicut beneficiarius, qui ex eo quòd non residet personaliter,non potest percipere fructus beneficij, nihilominus tenetur recitare, quia sua culpa non percipit illos.

Secunda conclusio. Iste quamuis sit toleratus,tenetur recitare solus,non cum socio; ita Doctores citati. Verũ est,quòd alij non tenentur vitare excommunicatũ toleratum,vnde non peccabunt recitãdo cum illo,ita Soto libr.10.de iust.q.5.ar.3. col.6. Vtrùm verò ipse excommunicatus peccet mortaliter, vel tantùm venialiter recitando cum socio,postea dicemus.Aduertunt autem prædicti Doctores, quòd non debet dicere, *Dominus vobiscum*. Sed circa hoc sit

Tertia conclusio.Dato quòd peccet dicendo, *Dominus vobiscum*,non tamen peccabit mortaliter, quia materia est parua; imò teneo cum Nauar.in Sum.Hispana.c. 27.n.45.& quibusdam viris doctis, quòd non peccabit,si dicat recitando solus.Vltimò, nota quòd qui solùm tenebatur recitare ratione beneficij,si priuetur illo,nõ tenetur,vt tradit Couar.3.Variarum.c.13. citato,illatione 12.circa medium.

Quid de suspenso, irregulari, degradato? Prædicti omnes Autores conueniunt in hoc, quòd tenetur recitare: sed differunt in modo:nam ferè omnes dicũt quòd non potest recitare cum socio,sicut neque excõmunicatus; o, positum tamen tenet Soto sup.vbi ait,quòd potest recitare cum aliis in choro, quia suspensis, degradatis,& irregularibus,si aliàs non sint excõmunicati, non est prohibitum communicare cum aliis:solũ enim est illis prohibita executio ecclesiasticæ iurisdictionis,administratio sacramentorum, & susceptio ordinum.Cum Soto tenent multi viri doctissimi, & ego idem firmiter sentio.tenet & Nau.de oratione.c.21.n.17.

DVBITATVR septimò,vtrùm excommunicatus peccet non audiẽdo Missam diebus festis,& non confitendo, vel communicando,quando præcepit Eccles? Hoc dubium æqualiter procedit in excommunicato non tolerato,& tolerato.

Prima conclusio.Si negligit procurare absolutionem eo fine, ne audiat Missam, peccat mortaliter,vt in simili tenet Medina 1.2.q.77.ar.7.Probatur,quia iste per se intendit non adimplere præceptum.

Secunda conclusio. Quamuis negligat procurare absolutionem,si tamen non sit eo fine,non peccat mortaliter,non audiẽdo Missam;hæc etiam est de mente Medinæ ibidem,& Armil.ver.Missa.n.29.& tenet expressè Nau.c.21.n.3.Probatur,quoniam Ecclesia solùm obligat non impeditos;iste autẽ est impeditus per censuram.

Tertia conclusio.Si non sit negligẽs in procuranda absolutione,non peccat non confitendo,neque communicando, secus verò si sit intelligens.ita Nau. sup.n.34.& 45.Hæc secunda pars probatur, quoniam hæc præcepta non sunt purè positiua;sicut est præceptum audiendi Missam, sed partim sunt diuina; vnde quamuis Ecclesia prohibeat excommunicato accedere ad sacramenta, non tamen tollit obligationem iuris diuini de recipiendis sacramentis. Iam de tertio effectu, qui est priuari ecclesiastica sepultura.

DVBITATVR octauò, quomodo intelligatur? Prima conclusio.Per sepulturã ecclesiasticam intelligitur sepultura in loco sacro,etiam in cæmeterio;ita Syl.verb. excommunicatio.3.§.10.Nau.c.27.n.137. & est text.c. sacris. de sepulturis. & ratio

quare

quare interdicitur sepultura est; nam cui non communicamus viuo, nec mortuo communicare debemus; vnde, vt ait Sylu. sup & Soto d.22.q.2.ar.2.in fine, non potest pro eo suscipi oblatio, nec fieri publica oratio.

Secunda conclusio. Hæc prohibitio sepulturæ intelligitur etiam de excommunicato tolerato, vt infrà dicemus in vltima disp. vbi notandum est, quòd participãdo cum excommunicato, scilicet *acompañandole à la sepultura*, &c. si sit non toleratus, incurritur minor excommunicatio, vt habetur ex Nau.c.27.n.36.ad 2.& 3.

Tertia conclusio. Hæc prohibitio sepulturæ intelligitur de excommunicato, qui nõ est absolutus post mortem: nam si decessit cum signis contritionis, potest absolui, & deinde sepeliri in loco sacro, vt latiùs tradidi sup.c.3.disp.2.dub.8.

Disputatio V.

De quarto & quinto effectu, scilicet priuatione vocis actiuæ & passiuæ; & de annullatione collationis beneficij.

Dvbitatvr primò de electione actiua, vtrùm electio facta ab excommunicato maiori, sit valida?

Prima conclusio. Si sit non toleratus; erit nulla, valida tamen, si sit toleratus. Prima pars patet ex c.tanta de excessibus Prælatorum. & c. cùm inter.el 1. de electio. quæ conclusio patebit ex dicendis disputatione sequenti, dub.3. vbi ostendemus, quòd ea quæ geruntur ratione publici officij ab excommunicato non tolerato, sunt nulla; at verò si gerantur à tolerato, erunt valida.

Secunda conclusio. Quod dictum est de electione, idem de collatione actiua beneficij dicendum est. c. quia diuersitatem. de concessione præbendæ. & Doctores communiter, vt tradit Couar.c.alma mater.p.1.§.7.n.9.versicul.duodecimus.

Tertia conclusio. Excommunicatus nõ toleratus non solùm non potest solus eligere, verùm nec cum aliis etiam non excommunicatis, taliter quòd si ad electionem admittatur aliquis excommunicatus denunciatus, electio erit nulla; ita Nauar. lib.1.Consil.tit.de electio.consil.11. Cou. vbi sup. Panorm.c.ille.de electione.n.7.& multùm fauet ipsum c.illa.& c.finale, de procuratoribus. Intelligitur autem hæc conclusio, vt ait Nau. dummodo talis excommunicatio esset nota aliis electoribus, & habetur ex dicto c.finali. sed de hoc latissimè Panormit. dicto c.finali. Vbi nota, quamuis maior pars suffragiorum sit habilis, vitiatur electio propter vnum excommunicatum, si scienter admittitur, secus si ignoranter; sic glossa c.postulasti.de procuratoribus, verbo, nota, & verbo, talis. facit c.Masana.de electio.

Quarta conclusio. Patronus excommunicatus non toleratus non potest validè præsentare ad aliquod beneficium, ita communiter Doctores, & tradit Couar. vbi sup. vbi addit collationem factam ab Episcopo in virtute talis præsentationis, esse nullam. idem tenet Nauarr. cons.7.de iure patron. quod incipit, An præsentatio. Iam de collatione passiua.

Dvbitatvr secundò, vtrùm collatio vel electio beneficij facta excommunicato sit valida?

Prima conclusio, quòd est nulla, sic Nauar.27.n.21.Couar.c.alma mater.p.1.§.7. n.1.& communiter Doctores, & est text. cap.postulasti.de clerico excommunicato ministrante. Et ratio est, quia beneficium datur propter officium, sed excommunicatus est suspensus ab officio; ergo. Circa hanc conclusionem aliqua sunt notanda.

Primò, quòd conclusio intelligitur, quamuis talis excommunicatus sit toleratus; ita Cou. nam Concil. Constantiense non intendit fauere ipsis excommunicatis; intelligitur etiam conclusio, quamuis excommunicatio inuincibiliter ignoretur ab ipso, & etiam à conferente beneficium, ita Couar.& Nauar.c.27.num.271. dicto 8. vbi allegat glossam Panormita.& communem: nam licèt ignorantia inuincibilis excuset à culpa & aliquando etiam à pœna, non tamen validum facit actum

quem annullauit Ecclesia, nec facit capacem, quem Ecclesia fecit incapacem, vt rectè ait Nau. n. 271. citato. Vtrùm verò gesta ab hoc beneficiario, quando excommunicatio erat omnino occulta, sint valida, dicemus disp. sequenti, dub. 6.

Secundò, nota quòd conclusio etiam habet verum in permutatione beneficij, ita Couar. Probatur: nam in tali permutatione interuenit mutua collatio beneficij.

Tertiò, nota quòd hæc electio vel collatio non conualescit per absolutionem ab excommunicatione postea sequutam, sed debet renouari, ita Nau. c. 27. num. 21. vbi allegat c. cùm bonæ. de ætate & qualitate. & ordine præficiendorum. Et ratio est, quoniam talis collatio à principio fuit nulla.

Quartò, nota quòd etiam habet verum conclusio, licèt collatio facta sit motu proprio conferentis, vt latiùs Couarruuias.

Quintò, nota prædictam conclusionem non procedere in collatione vel electione facta cum clausula absolutionis quoad effectum præsentium consequendum, quæ communiter ponitur in literis Pontificiis, vt testatur Nau. num. 271. citato, neque etiam procedit, quando interuenit virtualis dispensatio Papæ, vt si conferat beneficium ei, quem scit esse excommunicatum: nam tunc virtualiter dispensat; ita Couar. Dixi, *Papæ*, quia non sufficit talis dispensatio Episcopi: nam hoc impedimentum & inhabilitas prouenit ex iure communi; de quo latiùs Nau. in Sum. prælud. 9 num. 11. & c. 25. num. 74. Ex dictis infertur

Secunda conclusio, quòd iste non facit fructus suos, sed tenetur restituere quos percepit vsque ad tempus absolutionis & nouæ collationis, nec receptio fructuum ante absolutionem perceptorum conualescit per subsequentem absolutionem; ita Nau. n. 21. citato.

Tertia conclusio. Excommunicatus nó potest præsentari à patrono laico, nec clerico ad beneficium iuris patronatus, ita Couar. sup. notab. 2 vbi citat alios. Hinc colligitur, quòd si excommunicatus præsentetur ad beneficium, & Episcopus virtute huius præsentationis conferat ei illud beneficium post absolutionem ab excommunicatione; collatio erit nulla, sicut collatio facta ab Episcopo ad præsentationem patroni excommunicati, vt tradit Couar. sup. num. 9. & Nau. cons. 7. de iur. patron.

Quarta conclusio. Non solùm collatio beneficij facta excommunicato est nulla, verùm etiam impetratio literarum ad beneficia vacatura, licèt impetrans ignorauerit excommunicationem, latiùs tradit Couar. dicto §. 7. num. 3. illat. 11. nisi detur cum clausula absolutionis. Circa hanc autem absolutionem generalem tam ad literas, quàm ad beneficia, nota primò, quòd non habet locum in eo, qui sciens insorduerit per annum in excommunicatione. ita Nau. c. 7. n. 22. & P. Henr. c. 48. num. 5. in gloss. lit. C. Imò in quibusdam casibus sufficit insorduisse per quatuor menses, iuxta regulam Cancellariæ, quam refert & explicat Nau. c. ita quorundam. de Iudæis. notab. 11. glossa vlt. n. 15. quam limitationem intelligo, nisi Papa sciret hunc insorduisse in excommunicatione per annum, vel per quatuor menses, iuxta dicta in notab. 4.

Secundò, nota quòd si hæc absolutio fiat à Papa, valet quantum ad hunc effectum ab omnibus excommunicationibus etiam contentis in Bulla Cœnæ. ita Nau. dicto c. ita quorundam. num. 21. corol. 7. hoc tamen limitatur in excommunicatione incursa propter hæresim: hæc enim censetur sublata, vt tradit Felinus relatus à Couar. c. alma mater. p. 1. §. 12. num. 15. & Felinus testatur ita expressè fuisse decisum ab Innocentio VIII. in quadam regula Cancellariæ. Dixi, *si fiat à Papa*: nam si fiat ab inferiori, non manebit absolutus ab omnibus, sed à pluribus vel paucioribus, secundùm potestatem quam habet; ita Nau. dicto c. ita quorundum. dicto c. 22. Vtrùm verò prima conclusio habeat locum

cum in collatione officij Iudicis secularis, dicemus disputatione sequenti, dubio vltimo.

DVBITATVR tertiò, quod remedium habebit excommunicatus, qui obtinuit beneficium? Conclusio. In primis petat absolutionem ab excommunicatione, & deinde resignet beneficium simpliciter in manibus illius, ad quem spectat prouisio talis beneficij, & petat vt sibi denuò conferatur. Dico, *resignet simpliciter*, quia non sufficit resignare causa permutationis: nam qui non habet ius in beneficio, non potest illud permutare cum alio, & si de facto permutat, non acquirit ius in alio, etiam in casu quòd possit Episcopus conferre, quia non contulit simpliciter, sed causa permutationis: ita Syl. verb. permutatio. q. 13. & est regula Cancellariæ 39. & propter eandem rationem non poterit talis excommunicatus resignare beneficium in fauorem alterius.

DVBITATVR quintò, vtrùm possit Episcopus illud beneficium de nouo conferre?

Prima conclusio. Si collatio talis beneficij aliàs pertinebat ad Episcopum, bene potest Episcopus illud de nouo conferre post absolutionem ab excommunicatione obtentam ab eo qui potest absoluere, ita Couarru. §. 7. citato. num. 8. & glossa c. postulasti. de clerico excommunicato ministrante. verbo dispensatum. Panormita. ibidem. num. 8. Cardinalis, & alij relati à Syluest. verb. excommunicatio. 3. §. 1. p. 9. licèt ipse non teneat hoc absolutè, sed cum quadam limitatione; nempe quando Episcopus poterat eum absoluere ab excommunicatione. Sed ratio glossę, Panormit. & aliorum est optima: nam quando à Canone permittitur dispensatio, & non denegatur Episcopo, potest Episcopus dispensare, quamuis sit constitutio iuris communis; sed in dicto c postulasti, permittitur dispensatio in hoc casu, & non denegatur Episcopo; ergo. Verùm hæc decisio duas habet limitationes. Prima, quando Episcopus scienter contulisset beneficium excommunicato: tunc enim non potest illud de nouo conferre eidem, sed recurrendum est ad Papam; ita Panormit. sup. n. 9. & Sylu. sup. vbi citat Palud. Secunda est, si Papa contulit beneficium tali excommunicato: tunc enim non poterit Episcopus dispensare cum eo, vt illud obtineat, licèt aliàs collatio talis beneficij pertineret ad Episcopum, sed de nouo facienda est collatio per Papam, quia beneficium istud iam est affectum autoritate Papæ; ita Panormit. n. 9. de quo plura Couar. dicto §. 7.

Secunda conclusio. Si collatio beneficij aliàs non pertineret ad Episcopum, non potest Episcopus dispensare, vt obtineat illud; ita Couar. dicto §. 7. & Nauar. c. 27. n. 271. §. 8. contra Panormita.

Tertia conclusio. Quamuis dispensetur cum tali excommunicato, vt deinceps obtineat beneficium, conferendo illud ipsi de nouo post absolutionem, siue hoc fiat per Episcopum, siue per Papam, fructus tamen perceptos medio tempore vsque ad nouam collationem, vel reualidationem, tenebitur restituere iuxta dicta dub. 2. nisi cum eo super hoc specialiter dispensetur, vt ait Sylvest. suprà. in quo non poterit Episcopus dispensare, etiam si possit dispensare in obtentione beneficij, nec poterit facere compositionem cum eo de talibus fructibus, sed dispensatio vel compositio petenda est à Papa; vnde iste aduertendus est, quòd si petit reualidationem à Papa, petat simul ab illo remissionem vel compositionem fructuum & similiter quando obtinuit de nouo beneficium ab Episcopo, debet petere à Papa prædictam remissionem vel compositionem.

Vltimò nota, ea quæ dicta sunt de collatione vel electione facta excommunicato, etiam habere locum si fiat suspenso, interdicto, vel irregulari; ita Nau. cap. 25. numer. 133. & est text. c. cùm inter. de electio. c. postulastis. & c. si celebrat. de clerico excommunicato ministrante.

DVBITATVR quintò, vtrùm cõsigna-

tio

tio pensionis facta excommunicato, maiori sit valida? Notandum est, duplicem esse pensionem; quædam spiritualis, quæ fundatur in titulo spirituali, vt illa quæ datur coadiutori alicuius Episcopi, vel Parochi iam senio confecti, vt illum adiuuet in administratione rerum spiritualium,& beneficium remanet penes ipsum senem;altera est temporalis, & quæ fundatur in titulo temporali, vt illa quæ datur personis omnino secularibus,eò quòd armis vel suo patrocinio defenderūt temporaliter Rempublicam;& de hac omnes vnaniniter concedunt esse temporalem: talis etiam est, quæ datur alicui Parocho iam seni, & beneficium confertur alteri robustiori; & quamuis de hac nonnulli dicant quòd est spiritualis, tamen probabilius est oppositum, quoniam hæc pensio non datur ad exercendum aliquod officium spirituale, sed solùm datur in sustentationem & remunerationem præcedentium laborum.Hoc posito,sit

Prima conclusio.Pensio temporalis collata excommunicato valida est.Probatur primò,quia iura annullantia collationem factam excommunicato, solùm loquuntur de collatione beneficij ecclesiastici.Secundò:nam ratio ob quam annullatur collatio beneficij facta excommunicato est, quia beneficium datur propter officium,& excommunicatus est inhabilis ad tale officium,sed hæc ratio cessat in præsenti,quia talis pensio non datur propter aliquod officium spirituale,quod debeat exerceri;ergo etiam cessat dispositio iuris.

Secunda conclusio.Loquendo de pensione spirituali, quæ fundatur in titulo spirituali,licèt sit probabile,quòd collata excommunicato erit valida, oppositum tamen est probabilius;ita multi viri docti. Probatur: nam habet rationem beneficij ecclesiastici,inquantùm datur propter officium ecclesiasticum;sed excommunicatus est inhabilis ad huiusmodi officium; ergo.Et ita dicunt nonnulli seruari praxim Romanam.

DVBITATVR sextò,quando aliquis in absentia, vel per literas eligitur ad beneficium tempore quo non erat excommunicatus,& tamen tempore quo acceptat est excommunicatus, vtrùm talis acceptatio sit valida?

Prima opinio tenet esse nullam.Pro hac solent referri aliqui Theologi,scilicet Victoria, & Cano, & tenent eam multi Iuristæ relati à Couar. libr.3.Variarum.c. 16.num.4.in quam videtur ipse declinare,quamuis in c.alma mater. eligit oppositam,vt postea videbimus.Probatur primò: nam licèt per collationem detur ius in beneficio (beneficiarius enim non confert sibi beneficium,sed electores & collatores) tamen hoc ius non acquiritur nisi per acceptationem,sed excommunicatus est incapax ad acquirendum ius in beneficio;ergo si talis acceptatio fiat ab excommunicato, erit nulla. Minor de se patet; maior verò probatur primò,ex cap.si tibi absenti.de præbendis.in 6. vbi dicitur, *Si tibi absenti per tuum Episcopum conferatur beneficium, licèt per talem collationem, donec eam ratam habueris, ius in ipso beneficio, vt tuum esse dicatur,non acquiras*,&c.Secundò probatur eadem maior: nam si aliquis moriatur antequam acceptet beneficium sibi collatum in absentia, non censetur vacare de nouo tale beneficium, sed censetur adhuc vacare in curia Romana, vt testatur Couar. ergo ante acceptationem non acquisierat ius.Secundò principaliter probatur, iste excommunicatus acceptás beneficium peccat mortaliter, eò quòd existens in excommunicatione nō habebat ius ad tale beneficium; ergo acceptatio est nulla.

Secunda opinio tenet talem acceptationem esse validam. Hanc videtur sequi Couar.c.alma mater. p. 1. §.7.num 4.notab.12.& allegat pro ea Nauar. & quamplurimos Iuristas, & decisionem Rotæ. Probatur primò: Iura solùm annullant collationem & electionem beneficij;ergo cùm sint odiosa, non debent extendi ad acceptationē. Secundò:nam illa Ecclesia, in qua

in qua est cõsuetudo, vt antiquior canonicus ascendat ad pinguiorem præbẽdam vacantem (de qua consuetudine fit mẽtio in c. vlt. de consuetudine.) licèt ille canonicus sit excommunicatus, poterit optare illam præbendam vacantem; ergo similiter, licèt excommunicatus acceptet, valida erit acceptatio. Hæc opinio est à nobis amplectenda tanquam probabilior.

Sed vt plenius examinetur, nota, quòd solet dupliciter intelligi. Primo modo, ideo acceptationem esse validam, quia per eam nullo modo accipitur ius in beneficio, & sic intelligunt eam nonnulli iuniores, sed fundamẽtum horum falsum est, vt videbimus. Secundo modo potest intelligi, supponendo quòd per acceptationem aliquo modo acquiratur ius in beneficio, & nihilominus acceptatio sit valida, non quidem quantùm ad iuris acquisitionem, sed quantùm ad declarationem consensus. Itaque si post talem acceptationem absoluatur ab excommunicatione, non est opus alia electione, collatione, nec acceptatione, sed cùm primùm absoluamur, acquirit ius in beneficio & non antea; vnde si post absolutionem moriatur, illud beneficium vacat de nouo. Sic explicat hanc opinionem Couar. 3. Variarum. loco citato. Et consequenter dicendum est, quòd ille qui nondum erat excommunicatus obtinuit literas ab beneficium vacaturum, licèt tempore quo vacat sit excommunicatus, poterit illud acceptare virtute literarum; collatio tamen erit suspendenda, donec absoluatur ab excommunicatione; vt habet decisio Rotæ citata à Couar. 3. Variarum. & idem dicendum est de acceptatione ipsarum literarum, verbi gratia, Petrus non excommunicatus petit à Papa literas ad beneficia vacatura, expeditæ sunt literæ, postea tamen quando de facto accepauit eas, erat excõmunicatus. Talis acceptatio est valida; & sufficit ad explicandum consensum, vnde si quando vacat beneficium, iam est absolutus, validè & licitè poterit illud obtinere, & collatio erit valida; similiter antiquior canonicus quamuis sit excommunicatus poterit optare pinguiorem præbendam vacantem, collatio tamen est suspendenda, donec absoluatur, ita Couar. ibidem.

Ad primum argumentum primæ opinionis nonnulli, vt vidimus, negant quòd per acceptationem acquiratur aliquod ius in beneficio; sed isti nullam adhibent expositionem, quæ quadret textui, *si tibi absenti*; & præterea ratio ipsa contrarium conuincit: non enim potest negari quin per acceptationem acquiratur ius in beneficio, saltem minùs principaliter; & tãquam per conditionem sine qua non, & hoc confirmat illa Praxis Romana. Quòd si aliquis moriatur ante acceptationem, beneficium illud non censetur vacare de nouo; vnde intelligendo secundam opinionem modo à nobis exposito, facillimè respondetur ad argumentum, quòd solùm probat acceptationem illam non esse validam quantùm ad acquisitionem iuris, non tamen probat esse nullam quantùm ad consensus declarationem.

Ad secundum respondetur, quòd si accepter cum animo exercendi officium, antequam absoluatur, peccat mortaliter, nõ quidem ratione acceptationis precisè; sed ratione finis mali, quia est suspensus ab officio; si autem accepter animo non exercendi officium, donec absoluatur, non peccat mortaliter, nec venialiter, quia talis acceptatio non est prohibita in iure. Ad id verò quod dicitur in argumento, quòd excommunicatus non habebat ius ad beneficium, dicendum est, quòd ius ad beneficium habet per suam dignitatem constantem scientia & virtute; ius autem in beneficio habet principaliter per collationem, & minùs principaliter per acceptationem.

scientibus eum esse excommunicatum, nihilominus sententia lata ab excómunicato occulto erat valida tam in foro interiori, quàm exteriori; lata verò ab excommunicato publico etiam non denunciato erat nulla, vt patet ex c. ad probandum. de sententia & re iudicata.

Ad secundum respondetur, quòd excommunicatus si sit toleratus solùm est suspensus à iurisdictione, quantum ad hoc, quòd non possit eam licitè exercere, non tamen quantum ad hoc, quòd gesta ab eo sint nulla.

Ad argumenta secundæ opinionis non est opus respondere, quia vel non oppugnant nostram sentétiam; vel si in aliquo oppugnant, facilè patet solutio ex dictis; solùm aduerto negandum esse, quòd non sequantur grauia inconuenientia ex hoc quòd annullentur gesta per excommunicatum publicum, toleratum tamen, pertinentia ad forum exterius.

Ex dictis primò sequitur, quòd si Episcopus excommunicatus toleratus conferat alicui beneficium, valida erit collatio; similiter patronus ecclesiasticus, vel secularis excommunicatus toleratus si præsentat ad aliquod beneficium, præsentatio erit valida; idem dico de electione facta à tolerato, quod partim est contra Gemin. cap. 1. de rescriptis. in 6. num. 16. & Couarru. capit. alma mater. p. 1. §. 7. num. 9. versiculo 12. dicentes, quòd si excommunicatus occultus eligat tanquam persona publica, non valet electio; valet tamen quando eligit vt persona priuata. Sed nihilominus generaliter dicendũ est, validam esse electionem factam ab excommunicato tolerato; ita Bertachinus tracta. de Episcopo. lib. 1. part. 3. quæst. 32. Nauarr. libr. 1. Consiliorum. consil. 11. & communiter recentiores. Probatur: nam post Concilium Constantiense solùm tenemur vitare excommunicatum non toleratum; & quòd toleratus validè eligat, non respicit fauorem excommunicati, sed fidelium. Similiter dicendum est de sententia prolata à Iudice excommunicato ecclesiastico vel seculari, quòd si sit toleratus, erit valida, nulla tamen, si sit non toleratus. cap. ad probandum. de re iudicata. &c. licèt. de sentent. excommunicat; in 6. qui textus generaliter loquuntur de quolibet Iudice: sed specialiter de sententia Iudicis secularis est textus in c. aduersus. de immunit. Ecclesiarum. c. intellexi-mus. de iudiciis. c. decernimus. de sententia excommunicationis. in 6. vbi videte Ancharanum & Geminianum. De sententia verò ecclesiastici est textus can. audiuimus. 24. q. 1. vbi dicitur, quòd excommunicatus non habet potestatem absoluendi & ligandi.

Ex quo sequitur secundò, falsam esse sententiam Victoriæ in Sum. num. 345. de excommunicat. dicentis actus iurisdictionis gestos à Iudice seculari excommunicato esse validos, si non perseuerauerit per annum in excommunicatione. allegat cap. excommunicamus. el 1. de hæreticis. §. credentes. vbi videtur ita determinari: sed nostra sententia est de mente Soti d. 22. quæst. 1. art. 4. colum. 6. Sylvest. verb. excommunicatio. 3. numer. 3. 4. & 5. & aliorum. Et ad cap. excommunicamus; respondetur, textum non exigere perseuerantiam in excommunicatione per annum, ad hoc vt excommunicatus incurrat hunc effectum, imò omnes effectus relatos disputat. 1. dubio 1. incurrit, cùm primùm est non toleratus: sed textus solùm exigit annum ad hoc, vt excommunicatus incurrat aliquas pœnas in particulari, & personales ibi contentas, & hoc propter contumaciam perseuerandi per annum, vt colligitur ex c. cùm contumacia. de hæreticis. in 6. c. cùm bonæ memoriæ. de ætate & qualitate ordinandorum. Similiter Prælatus excommunicatus si sit toleratus, poterit excommunicare, secus verò si sit non toleratus. dicto can. audiuimus. 24. quæst. 1. Hoc partim est contra Turrecremat. libr. 4. Summæ ecclesiasticæ. p. 2. c. 20. ad 1. & contra Didacum Perez libr. 8. ordinamenti. titul. 4. leg. 4. pag. 128. dicentes communicationem latam

à quo

à quouis excommunicato etiam occulto esse nullam; sed nostram sententiam latiùs comprobat Couarru. c. alma mater. p.1.§.11.n.4.

Præterea de sentétia prolata à Iudice excommunicato nõ tolerato est specialiter aduertendum, quòd si plures sunt Iudices vnius causæ, non valet sententia, si pronuncient simul cum vno eorum excommunicato; ita Sylvest. ver. excommunicatio.3.numer. 1.p.11.& est optimus textus cap.ad probandum. de sententia, & re iudicata.

Tertiò sequitur, quòd ille qui aliàs posset committere facultatem ad audiendas confessiones, si sit excommunicatus toleratus; poterit eam committere, non tamen poterit si sit non toleratus; ita communiter Doctores contra Palud. in 4. d. 23.quæst.2.qui licèt teneat cum communi Doctorum, quòd commissio iurisdictionis ad alia, si fiat à non tolerato, erit nulla; de commissione tamen ad audiendas confessiones dicit quòd erit valida, licèt fiat à non tolerato; verùm hæc sententia est improbabilis: nam talis commissio est actus iurisdictionis; vnde confessio facta cum tali confessore delegato ab excõmunicato non tolerato, licèt fiat bona fide, erit nulla, & necessariò iteranda. Vtrũ autem de licentia Episcopi excommunicati non tolerati possit alius Episcopus conferre sacramẽtum ordinis vel confirmationis, vel de licẽtia Curati excommunicati non tolerati, possit alius sacerdos conferre Extremam Vnctionem? Aliqui videntur inclinare in partem affirmatiuam, & de Extrema Vnctione tenet Sylu. verb. Vnctio Extrema. quæst. 4. Ratio potest esse quia collatio horum sacramentorum non pertinet ad potestatem iurisdictionis, sed ordinis. Ego autem contrariam sententiam iudico probabiliorem: nam licèt iurisdictio non requiratur ad hoc vt huiusmodi sacramenta administrentur validè, requiritur tamẽ ad hoc vt licitè administrentur. Et cõfirmatur: nam talis commissio est actus iurisdictionis; siquidem potest fieri ab Episcopo confirmato nondum consecrato; verum est, quòd si postquam Curatus vel Episcopus commisit hanc facultatem, siue ad hæc sacramenta, siue ad confessionem, excommunicetur & denuncietur, non expirat cõmissio nec vsus eius; ita Soto d.18.qu. 4.art.3.colum. 8. quod est contra Gutierrez Canon. quæst.c.1. num. 83. dicentem quòd licèt non expiret commissio, expirat tamen vsus eius. Sed sententia Soti habetur ex cap. Romana. de officio vicarij. in 6. ex cap. licèt. de offic. delegati. & ex c. is cui. de officio Iudicis delegati. in 6. Occasione huius

DVBITATVR quartò, vtrùm si Episcopus sit excommunicatus nõ toleratus, Officialis eius scilicet, & Prouisor possit exercere iurisdictionem, quam acceperat ad Episcopo, antequam incurreret excommunicationem?

Conclusio, quòd non potest; ita Sylvest. verb. vicarius. numer. 4.p.4. & 8. licèt contrarium dicat ver. absolutio. 2.quæst. 6. nisi intelligatur ibi de vicario delegato. Nostram conclusionem tenet Emanuel in Summa. verb. excommunicatio. c. 82. concl. 8. circa med. & Maranta de ordine iudiciorum. distinct. 5. num. 70. Et pro nostra conclusione est textus dicto c. Romana. Reddit rationem glossa ibi verbo, ipsius. quia est idem tribunal & consistorium, & ideo non appellatur ab Officiali ad Episcopum. Quæ decisio etiam habet locum in iurisdictione temporali, vt ait Collectarius in cap. veritatis. de dolo & contumacia. numer. 2. Credo tamen aliter esse dicendum in vicario particulari designato ab Episcopo, & ita videtur sentire glossa sup. vbi solùm loquitur de Officiali generali. Et ratio quam assignat solùm habet locum in Officiali generali; idem tenet Sylvest. ver. absolutio. 2. q. 6. Et probatur: nam si Episcopus antequam esset excommunicatus delegauit alicui aliquam causam, non expirat potestas delegati, licèt Episcopus excommunicetur & denuncietur, vt ait Syl. verb. absolutio.

2.q.6

pressum in iure, quòd quandiu Episcopus non fuerit negligens in procuranda absolutione, prouisio & collatio beneficiorum non deuoluatur ad Capitulum; at verò non est expressum in iure, quòd quãdiu excommunicatus nó fuerit negligens in procuranda absolutione, quamuis non præstet suum officium, lucretur fructus, imò ex iure colligitur apertè contrarium. nam beneficium datur propter officium.

Argumenta secundæ opinionis confirmant nostram primam conclusionem, & illud §. verùm. supponit, quòd excommunicatus non præstat officium, siquidem denegatur illi ecclesiastica communio, quæ præcipuè consistit in diuinis. Secundò respondetur, quòd textus solùm dicit *subtrahuntur*, non tamen quòd subtrahuntur ante sententiam, & cùm sit dispositio pœnalis, mitiùs est interpretãda, dummodo excõmunicatus inseruiat beneficio.

DVBITATVR secũdò, in casu quòd fructus sunt restituendi, cui debent restitui? Respondetur, fabricæ Ecclesiæ, vel pauperibus, ita Nauar. cap. 25. num. 123. excipio tamen cum eodem, & cum P. Henriquez lib. 7. de indulgentiis, cap. 36. num. 3. quando distribuenda sunt lucri facta per distributiones quotidianas; istæ enim debentur illis, qui interfuerunt choró illis diebus, quibus excommunicatus non interfuit. Supposito ergo quòd excommunicatio priuat officio & beneficio, videndum est, vtrùm ea quæ geruntur ab excommunicato sint valida; & quoniam ea quæ geruntur ab excommunicato possunt fieri tanquam à persona publica, & ratione publici officij, vel tanquam à persona particulari. Ideo

DVBITATVR tertiò, vtrùm ea quæ geruntur ab excommunicato tanquam à persona publica & publici officij, sunt valida? De hoc dubio sunt variæ sententiæ, & Doctores loquuntur ita confusè, vt videantur nunc vnam, nunc aliam amplecti sententiam.

Prima opinio dicit, omnia quæ fiunt ab excommunicato, etiam tolerato, pertinentia ad iurisdictionem, esse nulla, siue talis excommunicatus sit manifestus, siue occultus, ita glossa, canone infamis, 3. quæst. 7. citatur etiam Caietanus ver. excommunicatio. post omnia capita, verficulo, vbi scito; vbi absolutè loquitur de excommunicato: sed certè Caieta. explicandus est iuxta ea quæ dicit ver. absolutionis impedimenta. Vnde potiùs tenet secundam opinionem statim referendam, & idem dico de Palud. Richard. & nonnullis aliis Autoribus, qui solent citari pro hac prima opinione. Quæ sententia probatur primò ex iure in can. audiuimus. 24. quæst. 1. vbi de quodam Archiep. copo hæretico dicitur, quòd licèt intendit excommunicare, non tamen potuit, quia erat excommunicatus; & ex c. aduersus. de immunit. Ecclesiarum. vbi dicitur, quòd sententia, vel constitutio facta ab excommunicato, est inualida. Secundò, excommunicatus est suspensus ab officio & beneficio. cap. Pastoralis. §. verùm. de appellationibus. ergo si officium habeat iurisdictionem, suspensus est ab ea, & per consequens gesta ab eo pertinentia ad iurisdictionem sunt inualida.

Secunda opinio dicit tria. Primò, quòd gesta ab excommunicato tolerato occulto erunt valida: secundò, quòd gesta ab excommunicato tolerato, publico tamen & manifesto, si pertineant ad iurisdictionem fori exterioris, sunt nulla: tertiò, quòd si pertineant ad iurisdictionem fori interioris, sunt valida, licèt fiant ab excommunicato publico, dummodo sit toleratus; sic Richard. in 4. d. 18. art. 4. q. 2. Palud. q. 2. aliqui allegant Nauarrum, sed falsò, vt postea videbimus; alij allegant Sotum d. 22. q. 2. ar. 1. in fine. sed Soto non facit differentiam de pertinentibus ad forum interius vel exterius; nota tamen quod Autores huius opinionis non innituntur eisdem fundamentis: quidam enim fundantur in hoc, quòd modò standum est Concilio Basilienſi præcipienti vitare omnes publicos excommunicatos,

sed

sed isti non loquuntur consequenter: nam si omnes publici excommunicati sunt vitandi; ergo eorum gesta pertinentia ad iurisdictionem erunt inualida, licèt pertinent ad forum interius. Alij verò, qui dicunt standum esse Concilio Constantiensi, tenent ideo esse inualida ea quæ gerit excommunicatus publicus, si pertineant ad iurisdictionem exteriorem, quia ex hoc non sequuntur grauia inconuenientia, sicut sequeretur ex hoc, quòd pertinentia ad forum interius essent inualida, & per hoc probatur tertium dictum. Sed quantùm ad primum dictum probatur hæc opinio, & etiam quantum ad secundum, ex c. ad probandum. de sententia & re iudicata. vbi sententia lata à Iudicibus delegatis, quando vnus erat publicè excommunicatus, dicitur nulla; ergo insinuatur, quòd si esset occultè excommunicatus, esset valida.

Tertia opinio dicit, quòd omnia quæ geruntur ab excommunicato etiam publico, dummodo sit toleratus (quia scilicet nec est denunciatus, nec notorius clerici percussor) erunt valida, siue pertineat ad iurisdictionem fori interioris, siue exterioris. Hanc tenet Hen. lib. 13. cap. 8. n. 6. in gloss. lit. A, & sine dubio Nauar. c. 27. n. 21. vbi dicit, quòd gesta per excommunicatum, quandiu est toleratus, si fiant ratione publici officij, erunt valida; & n. 7. dicit, quòd excommunicatus si non est denunciatus, potest validè excommunicare, & in vltima impressione c. 27. n. 35. ait standum esse Concilio Constantiensi. Eandem videtur tenere Gutierrez Canonic. quæst. c. 1. n. 82. in fine. vbi explicans ad probandum. in quo (vt vidimus) dicitur, quòd publicus excommunicatus nõ potest excommunicare, dicit ipse quòd hodie intelligitur de denunciato, vel notoriè percussore clerici; vnde ea omnia, quæ ibi dicit de publicè excommunicato, videtur intelligere de denunciato, vel notoriè percussore clerici. Eandẽ tenent aliqui viri doctissimi; & quoniam hæc opinio est à nobis amplectenda, supponendum est, ex disputat. 1. dub. 1. & ex dub. 3. concl. 2. quòd post Concilium Constantiense in solis duobus casibus tenemur vitare excommunicatum, nempe quando est denunciatus, vel notorius clerici percussor, & solùm in iis dicitur non toleratus. Quo supposito, est argumentum: Possumus communicare cum excommunicato tolerato in sacramentorum administratione, & aliis rebus externis, vt patet ex verbis Decreti Constantiens. positis disputat. 2. dub. 1. ergo gesta per eum valida sunt, aliàs non cauerentur animarum pericula.

Secũdò probatur specialiter, quòd pertinentia ad forum exterius sint valida; Sententia in foro interiori, scilicet absolutio sacramentalis lata ab excõmunicato tolerato, est valida, secundùm omnes Doctores communiter, vt vidimus disput. 3. dub. 2. concl. 3. ergo à fortiori erunt valida ea, quæ pertinent ad forum exterius. Probatur consequentia: nam licèt excommunicatio priuet excommunicatione bonorum spiritualium & temporaliũ, principaliùs tamen priuat communicatione spiritualium.

Tertiò probatur: nam aliàs sequeretur quòd multæ collationes, electiones & præsentationes beneficiorum essent nullæ. Quartò: nam cùm huiusmodi pœnæ sint de iure positiuo, quandiu Ecclesia tolerat excommunicatos in suis officiis, non censetur eos priuare vsu iurisdictionis, & hoc in vtilitatem fidelium. Ex qua ratione sequitur, ea, quæ gerit excommunicatus non toleratus tanquam persona publica, esse nulla, in quo concordant omnes Doctores: nam Ecclesia ex quo non tolerat illos, aufert ab eis vsum iurisdictionis & publici officij.

Ad primum primæ opinionis respondetur, quòd illi textus post Concilium Constantiense intelligendi sunt de excommunicato non tolerato. Ex quo sequitur, quòd ante Cõstantiense licèt quilibet excommunicatus erat non toleratus, inquantum erat vitandus à fidelibus

Disputatio VI.

De sexto effectu, de suspensione scilicet ab officio & beneficio.

In primis supponendum est, quòd excommunicatio maior nõ priuat ipso facto beneficiis legitimè acquisitis ante excommunicationem, nihilominus priuandus est, si per multum temporis perseueret in excommunicatione, iuxta c. cùm bonæ memoriæ. de ætate & qualit. ordinandorum. Quo posito

Dvbitatvr primò, vtrùm saltem priuet excommunicatio fructibus beneficij legitimè acquisiti ante excommunicationem? Dico, *acquisiti ante*: nam de illo qui existens in excommunicatione electus est, iam dixi disputatione præcedente, dubio primo.

Prima opinio dicit, quòd tantùm priuat fructibus, quandiu est in mora petẽdi absolutionem, aliàs non ita Sylvest. verb. clericus. 4. quæ. 25. & ver. excommunicatio. 3. n. 1. Anton. 3. p. tit. 24. c. 76. effectu 9. Victoria de excommunicat. num. 345. & Caiet. verb. excommunicatio. circa finem. §. vbi scito. Et addit hęc opinio, quòd licèt deposito & suspenso à beneficio, non ob contumaciam, sed propter crimen, si non habeat vnde sustentetur, danda sunt alimenta, ne cogatur mendicare in opprobrium ordinis clericalis; at verò excommunicato negligenti in procuranda absolutione non sunt danda. Hæc sententia probatur in c. quia diuersitatem. de concessione præbendæ. vbi de quodam Archiepiscopo suspẽso dicitur, quòd per sex menses in quibus non fuit negligens in quærenda absolutione, non erat priuatus iure conferendi beneficia; ergo similiter beneficiarius excommunicatus, quandiu non est negligens in procuranda absolutione, non priuatur fructibus.

Secunda opinio tenet, quòd licèt non sit negligens in procuranda absolutione, priuatur fructibus beneficij; ita Gutierrez Cano. quæst. c. 7. n. 92. Aragon. 22. q. 12. ar. 2. & multi viri docti; eandem videntur tenere multi Doctores relati à Cauar. 3. Variarum. c. 13. n. 8. illatione 12. eandem tenet Nau. c. 25. num. 124. si attentè legatur: nam ibi solùm ponit hanc limitationem, quòd si non stet per ipsum, quin absoluatur, poterit præcipere ex fructibus quod necessarium fuerit ad se, suósque modestè sustentandam, si non habeat bona vnde viuat. Cæterùm, si per ipsum stet quin absoluatur, ne hoc quidem poterit præcipere; & nonnulli ex his Autoribus dicunt, quòd tenetur restituere fructus ante aliam sententiam Iudicis. Probatur primò secunda opinio ex c. Pastoralis. §. verùm, de apellationibus. vbi dicitur, quòd prouentus Ecclesiæ meritò subtrahuntur; cui Ecclesiæ cõmunio denegatur. Secundò beneficium datur propter officium. c. finali. de reseriptis. in 6. sed excommunicatus est suspensus ab administratione officij, dicto c. pastoralis. ergo.

Tertia opinio per alterum extremum dicit, quòd non priuatur fructibus, quamuis fuerit negligens in absolutione procuranda; pro hac citatur Pater Henriquez, sed non multùm inclinat libr. 7. de indulgentiis. c. 36. num. 1. in glossa; verùm quoniam Autores harum opinionum non satis explicant vtrùm lõquantur in casu, quòd excommunicatus seruiat, vel non seruiat beneficium, ideo distinctione opus est. Vnde sit

Prima conclusio. Si non præstet officium quod beneficium exigit, non potest percipere fructus, nisi excommunicatio esset iniusta ex parte causæ, sic Couar. vbi supr. & Nauarra libr. 2. de restit. c. 2. difficult. 4. num. 238. & probatur argumentis secundæ opinionis; & in casu huius conclusionis tenetur restituere fructus ante Iudicis sententiam, quoniam hæc lex non est pœnalis, sed conuentionalis; imò ista restitutio est rei alienæ, ad quam tenetur homo ex lege naturali, sicut beneficiarius qui non residet tempore debito, tenetur

pro

pro rata temporis restituere fructus tanquam rem alienam, non expectata sententia Iudicis, de quo vide Nau. c. 25. n. 221. & P. Henriquez c. citato. n. 3. Dixi, *nisi excommunicatio esset iniusta*, quia tunc lucratur fructus, etiam distributiones, vt tradunt Couar. & Nauar locis citatis.

Secunda conclusio. Si præstat officium lucratur fructus; ita Nauar. de restitu. loco citato; verbi gratia, aliquis beneficiarius est excommunicatus occultus, vel saltem est toleratus, & si est canonicus, assistit choro, si habet beneficium simplex, facit sacrum, si habet curatum, administrat sacramenta, &c. iste lucratur fructus. Probatur, quia licèt quoad Deum non rectè præster officium suum, tamen rectè præstat illud in vtilitatem Ecclesiæ, & fidelium, & omnia gesta per eum sunt valida, & ob hoc officium assignatur illi stipendium; verum est quòd hoc non habebit locum in non tolerato, quia nec admitteretur ad officia diuina, nec ad sacramentorum administrationem. Hanc conclusionem limitant aliqui viri docti, nisi fructus beneficij essent pinguissimi: tunc enim solùm poterit retinere ea, quæ ad arbitrium boni viri darentur substituto, qui seruiret beneficio, vel quod necessarium est ad se suósque modestè sustentandum, & hoc quamuis aliàs habeat vnde se sustenter, quam limitationem approbo; fructus autem restantes sunt restituendi, non tamen ante sententiam Iudicis: nam quantùm ad hos est pœna, & per consequens non obligat ante Iudicis condemnationem, vt apertè colligitur ex Nauar. supr. Et credo tertiam opinionem nihil aliud intendere, quàm hanc secundam conclusionem; imò fortassis nonnulli Autores secundæ opinionis tantùm intendunt primam conclusionem: nam aliqui eorum dicunt, quòd isti fructus applicantur sacerdoti qui medio tempore seruiuit, ne Ecclesia debitis fraudetur officiis; ita dicit Nauar. num. 105.

Ex dictis sequitur, quòd beneficiarius excommunicatus ratione excommunicationis formaliter & præcisè non manet priuatus fructibus, siue sit curatus, siue canonicus, siue simplex habeat beneficium.

Tertia conclusio. Quando iste excommunicatus aliàs pauper, qui non habet vnde viuat, licèt non resideat, & licèt sit negligens in procuranda absolutione, potest retinere ex fructibus quod fuerit necessarium ad moderatam sustentationem sui & suorum. Probatur, quia non est peioris conditionis quàm alij pauperes, sed fructus restituendos potest dare pauperibus, vt dicemus dubio sequenti; ergo etiã sibi. Hanc conclusionem limitat Nauarr. c. 25. num. 124. dummodo non fuerit negligens in procuranda absolutione. Sed alij tenèt conclusionem absolutè, vt iacet, & meritò, quia hæc retentio fructuum est per modum eleemosynæ, ad quam non requiritur diligentia in procuranda absolutione, sed contra conclusionem hanc est argumentum: Illis qui deponuntur vel suspenduntur à beneficiis in pœnam alicuius delicti, non ob contumaciam, solent assignari aliqui fructus ex ipsis beneficiis ad se & suos modestè sustentandos, si aliàs sunt pauperes, ne cogantur mendicare, in opprobrium ordinis clericalis, sed excommunicato non assignantur, quamuis sit pauper, vt ostendit Couarru. 3. Variarum. illatio. 11. & dicit esse communem; ergo. Respondetur, quòd hoc procedit in foro exteriori; ratio autem huius est, quoniam depositi & suspensi priuantur in perpetuum beneficio, taliter quòd licèt resipiscant, non restituetur illis beneficium; excommunicatus autem non sic priuatur beneficio, & potest resipiscere à contumacia, & absolui; vnde idem est de suspenso ob contumaciam, scilicet quòd non assignantur illi fructus, quia potest resipiscere, vt notat Nauarr. num. 124. citato. Hæc igitur procedunt in foro exteriori, sed nos loquimur in interiori.

Ad argumentum primæ opinionis, in quantum facit contra primam conclusionem, respondetur, illum casum esse ex-

2. quæst. 6. Soto d. 18. quæst. 4. articul. 3. glossa dicto cap. Romana. & apertè colligitur ex cap. licèt, & cap. is cui iam citatis; sed vicarius particularis non est iudex ordinarius, sed delegatus, vt tenet expressè Maranta de ordine iudiciorum, cap. de appellatione. num. 360. pag. 639. vnde appellatur ab ipso ad Episcopũ, Clement. & si principalis. de rescriptis. & glossa ibi, verbo, foraneo; ergo non cessat eius iurisdictio. Confirmatur: nam vicarius foraneus non repræsentat totam iurisdictionem Episcopi, sicut repræsentat Officialis generalis. Dixi, *designato ab Episcopo*: nam si designetur ab Officiali Episcopi, si Officialis excommunicetur & denuncietur, talis vicarius non poterit vti iurisdictione, vt habetur dicto c. Romana. Et ratio differentiæ inter vicarium designatum ab Officiali vel ab Episcopo, videtur esse, quòd iurisdictio non est ita radicata in Officiali, sicut in Episcopo: sed in hoc consulantur Iuristæ, & consuetudo.

DVBITATVR quintò, vtrùm instrumenta facta à tabellione non tolerato sint valida? Dico, *non tolerato*: nam facta à tolerato, certum est esse valida, post Concilium Constantiense, vt tenet Didacus Perez lib. 2. ordinamenti. tit. 5. leg. 2. q. 19. & patet ex dictis; vnde solùm est dubium de non tolerato.

Conclusio. Probabilius est, quòd sunt nulla, contra Rebuffum in Concord. tit. de excommunicatis vitandis. verficul. 6. ita tenet Fredericus conf. 74. Ripa libr. 3. Responsionum. glossa in capit. decernimus. de sententia excommunicationis. in fine. in 6. Francus ibi num. 7. Geminianus num. 6. Ancharanus colum. antepenult. Sylvest. ver. excommunicatio. 3. num. 2. circa finem. P. Hen. i. c. 9. num. 3. Et probatur efficaciter ex cap. nullus. 3. quæst. 4. vbi Stephanus Papa dicit, *Nullus anathematizatorum suscipiatur, nec à quoquam credatur, quæ ab eis dicuntur, vel conscribuntur.*

Est ergo resolutio, quòd omnia gesta ab excommunicato tolerato pertinentia ad iurisdictionem erunt valida; facta verò à non tolerato erunt nulla.

DVBITATVR sextò, vtrùm ea quę gerantur ab excommunicato etiam non tolerato, tanquam à persona particulari, sint valida?

Conclusio. Licèt excommunicatus peccet faciendo ea, nihilominus regulariter valent; ita Nauarr. cap. 27. num. 36. ad 6. Couarr. cap. alma mater. par. 1. §. 1. num. 9. Sylvest. verb. excommunicatio. 3. num. 2. & 7. Hinc sequitur, quòd contractus ab eo facti, vt contractus emptionis, venditionis, mutui, &c. sunt validi; similiter testamentum ab eo factum validum est, vt tradit Couarru. de testamentis. part. 2. rubricæ. num. 18. Antonius Gomez l. 3. tauri. numer. 15. & alij contra nonnullos. Hoc autem limitandum est in excommunicato propter hæresim, vel propter percussionem Cardinalium, capit. fœlicis. de pœnis. in 6.

Petis, vtrùm non solùm possit validè testari, sed etiam licitè? Multi Canonistæ absolutè docent, quòd illicitè testatur, quæ sententia vera est cum hac limitatione, quòd excommunicatus tempore mortis nõ potest obtinere absolutionem, quia nullus reperitur sacerdos. Probatur: nam actus testandi est quasi factum necessariũ saluti morientis, ab hoc autem actu non intendit Ecclesia priuare excommunicatum, qui tunc non potest obtinere absolutionem. De matrimonio similiter dicimus, quòd est validum; ita Nauar. supr. Couarru. de sponsalibus. p. 2. p. c 6. num. 3. & est textus cap. significasti. de eo qui duxit in matrimonium, &c.

De professione primò, dico esse illicitam, cùm necessariò interueniat communicatio cum fidelibus, imò quia communiter ad solemnitatem eius admiscentur officia diuina, communiter erit peccatum mortale, non qua parte profitetur, sed qua parte communicat in Diuinis. Secundò dico quòd est valida, ita Panormita. cap. cùm illorum de sentent. ex-

com

communicationis. Couar. de sponsalibus. sup. & alij ab eo citati. & Nauar. cap. 9. n. 2. & est textus dicto cap. cùm illorum.

De receptione autem ad habitū à fortiori dicendum est esse validam.

Vtrùm verò excommunicatus denunciatus possit esse testis? Infrà dicemus.

Hucusque loquuti sumus de gestis ab excommunicato, qui ante excommunicationem obtinuit legitimè beneficium; modò

DVBITATVR septimò, quando aliquis non obtinuit verum titulum beneficij, quia electio vel collatio fuit inualida, eò quòd facta est excommunicato, vel simoniaco, vel patienti alium defectum; vtrùm ea quæ geruntur à tali excommunicato, pertinentia ad illud officium & beneficium, sint valida?

Ex decisione huius dubij pendet decisio multorum casuum. Pro cuius resolutione supponendum est, dupliciter posse contingere quòd aliquis non acquirat legitimum titulum beneficij. Primo modo, quia licèt facta fuerit ei collatio à legitimo Superiore, tamen ipse, cui facta fuit talis collatio, erat excommunicatus maiori, vel simoniacus. Secundo modo, quia nunquam habuit collationem factam à Superiore, sed ipsemet propria authoritate se intrusit in beneficium.

Prima conclusio sit. Quando iste recepit beneficium primo modo, scilicet cum electione, & excommunicatio vel simonia erat occulta, licèt non acquisierit verum titulum beneficij, nihilominus acquisiuit veram iurisdictionem pertinentem ad tale beneficium. Hanc tenet Panormitanus cap. nihil. de electione. n. 12. Sylvest. verb. confessor. 1. quæst. 19. Caietanus verb. absolutionis impedimenta. circa principium. & verb. confessio. cap. 3. Nauar. cap 9. n. 7. Fundamentum eorum est, quia communis error facti, & autoritas Superioris, vel, vt dicunt alij, titulus præsumptus, dant iurisdictionem, sed in hoc casu communiter ignoratur hunc esse excommunicatum, & interuenit Superioris autoritas; ergo. Quæ ratio fundatur in lege Barbarius. ff. de offic. Prætoris. vbi seruus, qui putabatur liber, habuit officium à Superiori; & in can. infamis. §. verum. 3. q. 7. Præterea: nam ex opposito innumera orirentur incommoda, quibus nullus posset adhibere remedium.

Ex dictis sequitur, omnes absolutiones factas ab huiusmodi beneficiariis in foro pœnitentiæ, & omnia alia pertinentia ad iurisdictionem sui officij, siue pertineant ad forum interius, siue ad exterius, & omnes sententias latas à Prætore, & alia pertinentia ad suum officium, esse valida & firma; imò hæc conclusio etiam habet locum in excommunicato, qui in Hispania est non toleratus, & venit in hanc Indicam regionem, vbi hoc ignoratur, vt dixi disput. 3. dub. 1. quod (præter Autores ibi citatos) tenent aliqui viri docti. Similiter si sacerdos simplex occultè excommunicatus approbatur à legitimo Prælato, & eligitur in Confessarium, omnes absolutiones ab eo factæ erunt validæ; idem erit si sacerdos simplex occultè excommunicatus approbatur à Prælato, tanquam idoneus ad audiendas confessiones, nullam recipiendo ab illo iurisdictionem, si aliquis per Bullam cruciatæ eligit eum in Confessarium, valida erit absolutio. Denique, vt bene infert Palud. in 4 dist. 17. quæst. 6. artic. 2 idem sentiendū est de omnibus similibus casibus pertinentibus tam ad forum interius, quàm ad exterius. Et hæc conclusio habet verum, quamuis collatio beneficij fiat ab eo qui non posset tollere tale impedimentum, ita Palud. suprà. Et probat, quia tunc recipiens tale beneficium, non recipit iurisdictionem à conferente beneficium, sed à iure, vel ex consensu tacito principis, qui potest illud impedimentum tollere, vel efficere quòd tale impedimentum non annullet collationem iurisdictionis.

Secunda conclusio. Quando aliquis nunquam habuit vllum titulum, ne præsumptum quidem, quia non habuit col-

lationem à legitimo Superiore, sed ipse se intrusit autoritate propria in beneficium, quamuis ibi sit communis error facti, omnia tamen ab eo gesta pertinentia ad iurisdictionem sunt nulla; ita Panormit. & Sylvest. vbi suprà. & Nauar. sup. num. 8. & communiter alij viri docti. Probatur, quia licèt sit communis error facti, deficit tamen titulus saltem præsumptus; & hæc duo debent simul concurrere.

Hinc sequitur, quòd si aliquis fictitiis literis subscriptis nomine sui Prælati intromittit se in beneficium Parochiale, omnes absolutiones, & reliqua pertinentia ad iurisdictionem sunt nulla, & veritate comperta sunt iterandæ confessiones, licèt factæ sunt bona fide.

Secundò sequitur, quòd licèt concurrat titulus, si deficiat communis error facti, non sufficit; verbi gratia, si postquam excommunicatus occultus recepit beneficium, cesset communis error facti, & plublicè constet quòd ille tempore collationis erat excommunicatus, consequenter cessat iurisdictio, quia iam constat de nullitate tituli.

Tertia conclusio. Quando aliquis semel acquisiuit legitimum titulum, sed postea incidit in aliquod delictum, propter quod ipso facto absque alia sententia Iudicis manet priuatus titulo beneficij, tunc omnia ab eo facta pertinentia ad iurisdictionem sunt valida, supposito quòd sit communis error facti; sic Panormit. Sylvest. & Nauar. vbi suprà. & est textus cap. nónne. 8. quæst. 4. Et ratio est, quia toto illo tempore toleratur ab Ecclesia in officio.

Quarta conclusio. Idem dicendum est, quando licèt istud delictum sit publicum, tamen est dubium, vtrùm propter illud amiserit ipso facto titulum beneficij, quẽ antea habebat; vnde, vt dicunt Panormit. & Sylvester, omnia, quæ fecerit spectantia ad iurisdictionem, sunt valida; ex quo Ecclesia tolerat eum in officio, & propter eandem rationem quamuis beneficiarius ipse sit dubius de amissione tituli, poterit (nisi aliud obstet impedimentum) licitè exercere suum officium; præterea quia in dubio melior est conditio possidentis.

Ex dictis in hoc dubio, & dubio primo huius disputationis, & dubio secundo disputationis præcedẽtis, colligo aliud faciendum esse iudicium de iurisdictione, & de titulo ad officium, vel beneficiũ collatum occulto excommunicato, & de iure ad percipiendum fructus: nam iste recipit veram iurisdictionem propter bonum commune, non tamen verum titulum, & consequenter nõ habet ius ad percipiendum fructus; nihilominus tamen dico, quòd si inseruit beneficio, potest percipere tantum, quantum daretur cuidam Capellano substituto, qui seruiret beneficium, & non ampliùs, reliquos verò tenetur restituere ante sententiam Iudicis, quia in hoc non est pœna, sicut est in illo, qui post obtentum legitimè beneficium incurrit excommunicationem; de quo diximus in hac disputatione, dubio primo, post secundam conclusionẽ, quòd istam partem fructuum non tenetur restituere ante sententiam. Vtrùm verò collatio officij secularis, verbi gratia, Prætoris vel Auditoris, facta excommunicato sit valida? Nonnulli Theologi dicunt esse validam, quia cap. postulasti. de clerico excommunicato ministrante. tantùm loquitur in beneficio ecclesiastico.

Conclusio tamen sit, quòd est nulla. Textus est, quem isti Theologi non viderunt, in cap. venerabilem. de electione. vbi electio cuiusdam Ducis, scilicet Duque, dicitur nulla, quia facta fuit excommunicato; propter quem textum nostram conclusionem tenet ibi expressè glossa magna circa medium, & in fine, & verbo, electus. & Panormit. num. 11. cuius litera est mendosa. ait enim, *Excommunicatio impedit promotionem etiam ad secularem dignitatem; valet ergo electio facta de excommunicato etiam ad secularem dignitatem.* debet legi, *non valet.* Et probatur ratione: nam excommunicatio superueniens suspendit iurisdictionem secularem, taliter quòd

omnia

omnia facta sunt nulla, quod post Concilium Constantiense solùm habet locum in non tolerato; ergo à fortiori annullabit electionem: nam plus est aliquem à sua fide deiicere, quàm non admittere.

Quod verò attinet ad priuationem fructuum, placet mihi sententia horum Theologorum dicentium non esse eandem rationem in Iudice seculari, quæ est in beneficiario ecclesiastico, & ita credo seruari in praxi.

Disputatio VII.

De septimo & octauo effectu, scilicet de annullatione impetrationis gratiarum, & remotione ab actionibus fori iudicialis.

De septimo effectu nihil est dicendum præter dicta disput. 5. dub. 6. de impetratione literarum ad beneficia. Reliqua videte in glossa c. finali. de procuratoribus. verbo, iurati. & in Geminiano c. 1. de rescriptis.

De octauo effectu supponendum est, quòd excommunicatus Iudex non toleratus non potest validam ferre sententiam, vt dixi disputatione præcedenti; solùm est addendum quòd si excommunicetur, & denuncietur, & appelleret à denunciatione, quamuis postea declaretur legitimè excommunicatus & denunciatus, gesta per eum in isto medio tempore sunt valida, vt habetur ex Panormita. cap. Pastoralis. §. verum. de appellationibus. num. 15. & ex dictis c. 5. disp. 5. dubio 11. concl. 2.

Præterea dicimus, quòd excommunicatus non potest esse actor in iudicio in causis ciuilibus, neque ecclesiasticis. cap. pia. de exceptionibus. in 6. bene tamē potest esse reus ad se defendendum. cap. intelleximus. de iudiciis. vide Nauar. cap. 27. num. 23. Et ratio est, quia non est fauor, sed odium, quòd excommunicatus possit ab omnibus in iudicio conueniri, ipse autem nullum conuenire possit. Præterea: nam multi priuarentur suis commodis, si non possent excommunicatum conuenire, & ipse reportaret commodum ex iniquitate sua. Præterea non potest esse procurator. cap. post cessionem. de probationibus. nec testis. cap. decernimus. de sententia excommunicationis. nec potest instituere procuratorem, nisi in causa propria, quando ipsemet est reus; patet ex cap. vlt. de procuratoribus. vbi habetur, quòd quando communitas aliqua instituit procuratorem, si inter instituentes sit aliquis excommunicatus, de quo fit mentio in literis, talis institutio est inualida. Potest excipere pro vtilitate Ecclesiæ. Nauar. lib. 1. Consil. cons. 1. de corpore vitiat. num. 8. citat c. dilecti. & c. dilecte. de excep.

Dvbitatvr primò, de actore, vtrùm excommunicatus maiori possit esse actor?

Prima conclusio. Excommunicatus maiori, etiam toleratus, repellitur per ius ab agendo; ita tenet Bustos c. decernimus. de sententia excommunicationis. Et probatur, quoniam agere in iudicio concernit fauorem agentis; Concilium autem Constantiense noluit in aliquo fauere ipsis excommunicatis.

Secunda conclusio. Quando actor est publicè excommunicatus, debet Iudex ex officio illum repellere ab agendo, licèt reus hoc non excipiat; dicto cap. pia. quod ego intelligo post Concilium Constantiense de excommunicato non tolerato: nam ratio huius textus est euitare peccatum communicationis, vt habetur ex Gemin. ibi, num. 2. & 5. & vt constat ex c. decernimus. de sententia excommunicationis. in 6. Hæc conclusio etiā habet locum in Iudice seculari, qui quidē de causa spirituali excommunicationis non cognoscit principaliter, nec incidenter, sed tantùm de facto excommunicationis, quod non prohibetur Iudici seculari, vt ait Bartolus. leg. Titia. ff. soluto matrimonio.

Tertia conclusio. Quando reus opponit hanc exceptionem, debet ponere speciem, scilicet quòd est maior excõmunicatio,& nomen communicatoris,debétque illam probare intra octo dies; aliàs audietur actor; ita dicto cap.pia.& c prudentis.§.sexta.de offic.delegati.

Quarta conclusio. Ista exceptio non potest opponi à tertio, licèt ad eius instãtiam fuerit excommunicatus; ita Felinus c.intelleximus.de iudiciis.n.7.

Quinta conclusio. Acta ab actore excommunicato antequam à Iudice repellatur, vel à reo opponatur hæc exceptio, valida sunt, dicto capit. pia. Videte plura ibidem.

Duo restant aduertenda. Primò,quòd Couar.lib.1. Variarum.c.19.n.5.ait,apud Hispanos passim admitti excommunicatum à Iudicibus secularibus ad agendum. Secundò, quòd excommunicatus opponens exceptionem pro Ecclesia audiendus est; ita Nauar.lib.1. Consiliorum.tit. de corpore vitiatis.consil.vnico.n.8.& est textus c.dilecti.de exceptionibus.

DVBITATVR secundò de reo, vtrùm reus excommunicatus possit comparere in iudicio,vel per procuratorem?

Prima opinio absolutè dicit,nunquam teneri respondere per procuratorem, sed semper posse respondere per seipsum; in hanc satis inclinat Panormitanus c.intelleximus.de iudiciis.n.5.

Secunda opinio dicit, quòd solùm in causis arduis potest respondere per se ipsum.

Tertia opinio, & tenenda, est, quòd etiam in causis arduis non potest respondere per seipsum, si inuenit idoneũ procuratorem, bene tamen si non inueniat; ita Felinus dicto cap.intelleximus.num.3. Decius num.7. Aretinus num.18.Sylvest. verb.excommunicatio.3.numer. effectu 12. Et probatur ex dicto c. intelleximus. ibi, *Etiam debet per alium respondere*;& textus loquitur de causa matrimonij, quæ est grauissima; nec placet explicatio glossæ, quòd verbum, *debet*, non inducit necessitatem, quoniam, vt ait Calderinus, verba propriè sunt accipienda, nisi resultet sensus absonus. Quando autem non inuenit idoneum procuratorem, licitè potest comparere in iudicio,quia Ecclesia pro sua pietate non vult auferre illi defensionem naturalem;& tunc reliqui,qui necessariò interueniunt in iudicio, licitè possunt cum illo communicare; nec incurrent minorem excommunicationem, ita glossa dicto cap. intelleximus. verbo, conuenire. & est textus capit. si verè. de sententia excommunicationis.De procuratore autem Decius, quem sequitur Nauar. capit.27.num.23.dicit,quòd excommunicatus potest constitui procurator,vt postea absolutus exequatur officium; sed hoc est contra glossam c.post cessionem. de probationibus.& contra communem, vt ipse Nauarr. fatetur, & fortiter obstat dictum c.post cessionem.ibi, *Excommunicatus erat*.

DVBITATVR tertiò, vtrùm excommunicatus possit esse aduocatus?

Prima conclusio. Non potest licitè aduocare, habetur ex c.decernimus.de sententia excommunication. in 6. & ibi Doctores communiter; Sylvest. verb. aduocatus. quæst.2.Probatur:nam hoc officiũ est honorificum, & publicum,& requirit communicationem aliorum.

Secunda conclusio. Probabilissimum est,quòd si sit toleratus, poterit post Cõcilium Constantiense licitè aduocare in fauorem aliorum,prout latiùs infrà.

Petis,vtrùm excommunicatus non toleratus teneatur restituere stipendium quod accepit?Ioannes Andreas & Bustos dicto cap. decernimus. & Hostiensis cap. pia. de exceptionib.in 6.absolutè dicunt, quòd tenetur restituere pauperibus.

Tertia conclusio.Oppositum est longè probabilius,& colligitur in simili ex Nauarra lib.2. de restitut.num.237. Et probatur:nam hic labor est pretio æstimabilis,& est vtilis parti; & nullum reperitur ius quod reddat aduocatum inhabilem ad recipiendum iustum stipendium.

DVBI

DVBITATVR quartò, vtrùm excommunicatus possit esse testis?

Prima conclusio. Post absolutionem potest esse testis, dummodo talis excommunicatio non fuerit incursa propter crimen, quod etiam post emendam repellat ad testificandum, sic glossa cap.veniens.el 2.de testibus.Panormit.& Felinus cap.testimonium.eod tit.

Secunda conclusio.Etiam ante absolutionem toleratus licitè potest esse testis, sic Bustos dicto c.statuimus. Et probatur: nam actus testificandi natura sua ordinatur in fauorem partis, non in fauorem testificantis, sed Concil.Constant.tolerat prædictos excommunicatos, quantùm ad ea quę tangunt commodum aliorum; ergo.

Tertia conclusio. Non toleratus non potest licitè esse testis, nisi in aliquibus causis fauorabilibus, vt in causa hæresis. cap.in fidei fauorem. de hæreticis.in 6.& in contractu matrimonij, quia est causa fauorabilis.cap.finali.de sentent. & re iudicata.

Vtrùm verò possit esse testis in instrumentis, vide Panormit.dicto cap.testimonium.& Francum dicto cap.decernimus. colum.2.Felinum in c.Rodulphus.de reseriptis.num.39.& Bustos suprà.

DISPVTATIO VIII.

De nono effectu, scilicet de prohibitione communicationis cum fidelibus.

DVBITATVR primò vtrùm excommunicatus toleratus possit post Cōcilium Constantiense licitè communicare cum fidelibus, & fideles cum ipso?

Prima opinio dicit, quòd licitè potest communicare cum fidelibus, quando inuitatur ab ipsis ad communicationem, & quòd fideles licitè possunt inuitare illum. Hæc tribuitur Victoriæ, & eam tenet Ledesm.2.par.4.quæst.21.artic. 1. Probatur: nam si non posset communicare cum fidelibus, licèt inuitaretur ab illis, sequeretur quòd fideles non possent illum inuitare, & per consequens nullum priuilegium concessum esset fidelibus in Concilio Constantiensi.

Secunda opinio consistit in sequentibus conclusionibus.

Prima conclusio.Si excommunicatus toleratus communicat cum fidelibus, siue ipse se ingerat, siue inuitetur à fidelibus, peccat, siue communicet in diuinis, siue in humanis, secluso casu necessitatis, ita Caiet.verbo, absolutionis impedimenta. vbi dicit, quòd non est licitum inuitare istos excommunicatos. eandem tenent communiter discipuli D. Th. Probatur: nam Concilium Constantiense non intendit in aliquo fauere ipsis excommunicatis.

Secunda conclusio.Si iste excommunicatus de facto se ingerit aliis fidelibus in humanis, vel in diuinis, vel est paratus ad communicandum, non tenentur fideles abstinere, sed licitè possunt communicare cum illo.Hæc conclusio habetur ex Soto dist.1.q.5.artic.6.concl. 5.Caiet.sup. & tenent communiter omnes Magistri. Probatur, quia tunc fideles non sunt causa mortalis peccati illius: nam ipse est paratus, & ipsi vtūtur iure suo, sicut qui petit mutuum ab vsurario parato. Aduertendum est autem cum nonnullis Magistris, quòd vt excommunicatus dicatur paratus ad communicandum, non requiritur quòd sit actualiter paratus, satis est quòd sit paratus habitualiter, quia scilicet habet animum promptum ad communicandum. Vnde aduertunt isti cum Cano, quòd qui primò aperit caput tali excommunicato bona fide, quia scit, quòd ipse solet sibi aperire caput, nullus est habendus scrupulus.

Tertia conclusio.Quando ipse excommunicatus toleratus nō se ingerit, neque est paratus ad communicandū cum aliis, non est licitum fidelibus illum prouocare, vel inuitare ad communicādum in diuinis, neque in humanis, sed ipse peccabit

bit in hoc, & excommunicatus ipse peccabit communicando, quamuis sit inductus vel inuitatus. Hanc tenet expresse Caiet. verbo, absolutionis impedimenta. Sylvest verb excommunicatio, 5. dub. 19. dicto 4. Cano & Mexic. difficultate 10. de excommunicat. ante 5. casum. & multi viri docti. Probatur primò. Excommunicatus ipse peccat tunc communicando; ergo etiam alij peccabunt imitando eum, cùm non sit paratus. Secundò. Concilium Constantiense, noluit in aliquo fauere ipsis excommunicatis toleratis, sed si talis excommunicatus licitè posset communicare cum fidelibus, quotiescunque inuitaretur ab illis, etiam nulla interueniente necessitate, multùm redundaret in fauorem excommunicati, & ferè nullum præstaret illi impedimentum excommunicatio; ergo. Tertiò: nam si prima opinio esset vera, etiam haberet locum in receptione sacramentorum, quod tamen negant communiter Magistri, vt statim videbimus; vnde propter hæc nonnulli dicunt primam opinionem nõ esse probabilem, nec securam: sed ego cum aliis dico probabilem esse, & securam in praxi. Hæc autem tertia conclusio intelligitur extra casus permissos in iure, de quibus infrà.

Quarta conclusio. Licèt fideles peccẽt inuitando excommunicatum toleratum non paratum ad communicandum, siue peccent venialiter, siue mortaliter, iuxta dicenda dubio tertio, non tamen incurrunt minorem excommunicationem; ita tenet expresse Sylvest. supr. & multi viri docti. Et probatur: nam ex vi Decreti Constantiensis solùm tenemur vitare excommunicatos non toleratos. Dico, *ex vi Decreti*: nam si tenemur abstinere à communicatione tolerati in casibus tertiæ conclusionis, est ex vi legis naturalis & diuinæ prohibentis, ne inducamus aliquem ad peccandum.

Ad fundamentum primæ opinionis respondetur negando vltimam consequentiam, scilicet quòd nullum priuilegium concessum esset fidelibus in Concilio Constantiensi: nam concessum est illis, quòd si excommunicatus se ingerit, vel est paratus, possunt licitè communicare cum eo, quod tamen non possunt facere cum non tolerato, & etiam concessum est quòd in casu quòd peccent communicando iuxta tertiam conclusionem, non incurrant excommunicationem minorem, quam tamen semper incurrent ante Concilium Constantiense.

DVBITATVR secundò, vtrùm excommunicatus toleratus contritus iam de peccato, possit in aliquibus casibus administrare sacramenta fidelibus? Dico, *contritus*, quia certum est in nullo casu licere administrare sacramentum aliquod cum conscientia peccati mortalis, nisi Baptismum in extrema necessitate, quia tunc non baptizat vt minister Ecclesiæ, sed vt laicus.

Prima opinio generaliter dicit, quòd ipsi excommunicati peccant mortaliter ministrando sacramenta, & quòd non licet eos ad id inuitare, sed tantùm recipere, si sunt parati. Pro hoc citatur Sylvest. verb. excommunicatio. 5. §. 9.

Secunda opinio dicit, quòd in nullo casu potest licitè administrare, quamuis alius licitè petat, imò quamuis habeat ius iustitiæ ad petendum, itaq; quamuis subditus licitè petat à Parocho, & Parochus teneatur administrare, non tamen licitè administrat; sic Adrianus in 4. q. 3. de Baptismo. fol. 12. Probatur primò: nã Concilium Constantiense non intendit in aliquo fauere ipsis excommunicatis toleratis. Secundò: nam eadem ratione sequeretur, quòd posset talis excommunicatus licitè celebrare coram aliis fidelibus id petentibus. Probatur sequela, quia post Concilium Constantiense fideles habent facultatem communicandi cum excommunicatis toleratis, non solùm in sacramentis, sed etiam in aliis diuinis. Tertiò, quia sequeretur, quòd posset minister excommunicatus inuitare fideles, vt peterent ab ipso sacramentum. Probatur sequela: nam quod alius licitè potest à me petere,

petere, possum & ego licitè petere ab illo, vt petat à me. Verùm hæc opinio est prorsus falsa. Primò: nã sequeretur, quòd minister esset perplexus, ira vt quidquid faceret, peccaret: nam si est Parochus, & non ministrat petitus, peccat contra iustitiam; si non est Parochus, & petitur ab extremè indigenti, peccat contra charitatem: si autem ministrat, etiam peccat secundùm Adrianum; ergo est perplexus. Secundò: nam si fauor Concilij Constantiensis non extendatur indirectè ad ipsos excõmunicatos toleratos; sequitur quòd occluderetur via priuilegio fidelium. Patet sequela: nam si talis excommunicatus quamuis sit Parochus, non potest etiam petitus ministrare, licitè poterit obiicere subditis petentibus quòd ipse non potest licitè ministrare, & hac via fundarentur fideles suo priuilegio.

Tertia opinio dicit, quemlibet posse liberè inuitare & inducere excommunicatum toleratum, etiam nulla existente necessitate, quamuis non sit Parochus, & quòd minister sic inuitatus potest licitè administrare sacramentum; ita Ledesm. 1. part. 4. q. 5. art. 6. dub. 11. & 2. p. q. 25. art. 1. pag. 5. & pauci quidam iuniores. Eandem videtur tenere Victoria num. 339. de excommunicat. citatur etiam Soto, sed potiùs tenet quartam opinionem, vt statim videbimus.

Fundamentũ huius opinionis est, quia Concilium Constantiense absolutè concessit fidelibus, quòd non teneantur abstinere ab excommunicato tolerato in sacramentorum administratione, vel receptione. Sed contra hanc opinionem arguitur: nam ex ea sequeretur, quòd excõmunicatio maior ferè nullũ causaret impedimentum intolerato ad sacramẽta administranda. Patet: nam etiam nõ excommunicatus nõ solet ministrare sacramenta nisi petitus; vnde multi viri grauissimi reiiciunt hanc sententiam tanquam omnino falsam, & cõtra communem; verum est quòd ego iudico eam probabilem esse.

Quarta opinio sit, quòd quoties excommunicatus toleratus tenetur siue ex iustitia, siue ex charitate consentire petitioni fidelium, potest licitè administrare; at verò quando licitè potest repellere petitionem, non potest licitè administrare, verbi gratia, peto sacramentum à Parocho etiam extra casum necessitatis, ille tenetur ministrare, & per consequens licitè ministrabit. Idem est si peto à non Parocho in extrema necessitate; at verò si absque necessitate peto à non Parocho, non potest ministrare, quia licitè potest repellere meam petitionem. Hanc apertè tenet Soto dist. 1. q. 5. art. 6. concl. 6. & etiam 7. in fine. Et quamuis dist. 22. q. 1. artic. 4. colum. 3. videtur tertiam tenere opinionem; nihilominus cùm ibi referat se ad articulum sextum modò citatum, explicandus est iuxta ea quæ dixit in illo. Eandem tenet Pater Henriquez lib. 1. de sacramentis. cap. 29. n. 5. iuncto c. 30. num. 2. & 3. in fine. & quãplurimi Thomistæ; Nauar. c. 9. n. 7. vbi ait, tunc esse mortale, inducere excommunicatum toleratum ad administrandum sacramentum cõfessionis, quando fit absque necessitate vel debito, quo sacerdos teneatur. Hæc opinio probatur argumento secundo contra secundam opinionem; & cõfirmatur: nam aliàs non satis consultum esset conscientiis timoratis, quibus Concilium Constantiense consulere voluit.

Quinta opinio aliquantùm ampliat præcedentem, & dicit duo. Primò dicit, quòd si minister est Parochus, ad hoc vt subditus licitè petat, & Parochus licitè ministret, non requiritur necessitas præcepti ecclesiastici, vel alia grauis necessitas, sed sufficit communis vtilitas, quam Christiani percipiunt ex frequentatione sacramentorum, quia est remedium & medicina. Patet: nam subditus habet ius iustitiæ ad petendum sacramentum à Parocho, & non tenetur perdere hanc vtilitatem propter excommunicationem Parochi. Vbi nota, quòd hoc dictum intelligitur, licèt Parochus non sit paratus, nec expositus, & quamuis adsit alius minister

non

non excõmunicatus. Probatur: nam subditus habet ius ad petendum à Parocho, licèt Parochus non sit paratus, & licèt adsit alius minister, & subditus non sit in necessitate, & Parochus tenetur ex iustitia ministrare, nec iustè se excusabit dicendo subdito, *Ecce alium ministrum*, vel dicendo, *Tu non es in necessitate*; ergo subditus non peccat petendo. Et hoc videtur concessisse nobis Concilium Constantiense, quòd possim ego recurrere ad meũ Prælatum, sine scrupulo sicut antea; *y gran escrupulo fuera, siel subdito uuiera de andar mirando si ay otro ministro aquien acudir, ò si tengo tanta necessidad, ò no.*

Secundò dicit hæc opinio, quòd si minister non est Parochus, vt fidelis licitè petat, & ipse licitè administret, non requiritur extrema necessitas: nam aliàs nulla esset differentia, quantùm ad hoc, inter ministrum toleratum & non toleratum: etenim in casu extremæ necessitatis licitè possumus inuitare non toleratum; imò dicit hæc opinio, sufficere maguam aliquam vtilitatem, vt si minister excommunicatus sit vir prudens & doctus, & ego indigeo directione illius ad pacem & securitatem meæ conscientiæ, quoniam habeo casus requirentes scientiam & prudentiam eius. In istis ergo casibus, quamuis minister non Parochus non teneatur àdministrare, poterit tamen peritus.

Est tamen aduertendum, quòd vt minister sic inuitatur possit licitè administrare sacramentum, requiritur quòd non stet per ipsum, quin priùs absoluatur ab excommunicatione quàm administret: nam si potest absolui, & non vult, peccabit ministrãdo, siquidem agit cõtra præceptum Ecclesiæ, cùm tamen posset illud seruare; & hoc etiam concedunt Autores quartæ opinionis. Hæc quinta opinio sic explicata est aliquorum Magistrorum, & est à nobis amplectenda.

Ex dictis sequitur, quòd quando excõmunicatus toleratus licitè administrat sacramentum, non incurrit irregularitatem, quoniam hæc irregularitas non incurritur, nisi quando excõmunicatus peccat mortaliter ministrando; ita Sylu. verb. Eucharistia. 2. q. 7. & Nauar. cap. 25. n. 75. & communiter omnes. Imò dico, quòd licèt aliàs peccaret mortaliter, vtpote quia ministrat sine contritione, non incurrit irregularitatem, quia tunc non peccat ex eo quòd ministrat in excommunicatione; sed hoc corollarium intelligitur nisi in casu quòd minister quando ministrauit, potuit absolui, & noluit: tunc enim incurret irregularitatem, secus si pro tunc non potuit absolui, quamuis antea fuerit negligens in procuranda absolutione. Sic aliqui viri docti.

Ad primum argumentum secundæ opinionis concedo, quòd Concilium Constantiense non intendit concedere directè priuilegium aliquod ipsis excommunicatis; nihilominus priuilegium directè concessum ipsis fidelibus extenditur indirectè & consequutiuè ad ipsos excommunicatos toleratos, & hoc in fauorem fidelium, ne scilicet frustrentur suo priuilegio.

Ad secundum, Soto lib. 9. de iustit. q. 8. art. 1. ad 1. in fine, admittit quidem administrationem sacramentorum, sed excipit celebrationem. Nonnulli verò Thomistæ dicunt, quòd in aliqua graui necessitate recipiendi Eucharistiam, vt si infirmus sit proximus morti, poterit petere à tali excommunicato, præsertim Parocho, quòd celebret, vt sic ministret ei Eucharistiam; nec hoc contradicit quartæ conclusioni dubij tertij, disput. 3. quoniam ibi loquuti sumus de non tolerato. Si petas, quare nõ licet petere celebrationem in omnibus casibus, in quibus licet petere alia sacramenta? Respondetur, quia celebratio Missæ acquirit maximam reuerentiam.

Ad tertium respondetur primò negando sequelam, & sunt multæ instantiæ: nam ego licitè possum petere mutuũ sub vsuris ab vsurario parato, & tamen ipse non potest me inuitare vt petam ab eo; & quando aliquis post votum castitatis contraxit

traxit matrimonium, potest reddere debitum coniugi petenti, & tamen non potest inducere illum vt petat.

Secundò respondetur, cum aliquibus viris doctis, concedendo sequelam in aliquibus casibus, vt si pœnitens esset negligens in petendo sacramento; imò excommunicatus non toleratus in casu extremæ necessitatis ipsius pœnitentis posset illum inducere, quando ipse pœnitens non peteret ex ignorantia, negligentia, vel malitia; imò credo cum eisdem viris doctis quòd teneretur: nam ex lege charitatis tenetur sacerdos ministrare sacramentum extremè indigenti, & hoc præceptum debet præponderare præcepto ecclesiastico, quo tenetur excommunicatus abstinere à participatione actiua sacramentorum.

Ad fundamentum tertiæ opinionis respondetur, Decretum illud intelligẽdum esse cum moderationibus positis in nostra opinione: nam si absolutè intelligeretur, excommunicatio maior ferè nullum causaret impedimentum in administratione sacramentorum, vt dictum est.

DVBITATVR tertiò, vtrùm semper peccet mortaliter excommunicatus communicando cum fidelibus in rebus sibi prohibitis?

In primis supponendum est, omnes actiones prohibitas excommunicatis reduci ad tria genera. Primum consistit in rebus illis, quæ sunt per se primò communes omnibus Christianis, & sunt propriè illorum, vt communicatio in diuinis, nempe in sacramentis; in auditione Missę, & diuinorum Officiorum, & in suffragiis Ecclesiæ. Secundum est earum actionum, quæ sunt quidem propriæ Christianorũ, veruntamen non per se primò, sed secundariò, quales sunt plures actiones ecclesiasticæ, vt conferre beneficium ecclesiasticum, eligere ad illud, exercere officium Iudicis ecclesiastici, & aliæ huiusmodi. Tertium est actionum purè humanarum & ciuilium, quæ sunt communes Christianis, & etiam infidelibus, vt salutationes, mutua colloquia, contractus & matrimonia, & exercere officium Iudicis secularis. Hoc posito, sit

Prima conclusio. Si excommunicatus communicet in rebus primi generis, peccat mortaliter ex genere suo. In hac omnes Doctores conueniunt, quoniam istæ actiones sunt materia grauis, & quæ directè & per se primò prohibentur ab Ecclesia ipsis excommunicatis. Vnde secũdùm omnes peccat mortaliter recipiendo vel administrando sacramenta, nisi in aliquo speciali casu, de quo dictum est. Similiter peccat mortaliter audiendo Missam etiam priuatim, & communicando in diuinis Officiis, quæ publicè & solemniter celebrantur. Dixi, *ex genere suo*: nam in indiuiduo aliquando erit veniale, propter materiæ paruitatem, vt si excommunicatus assistat in Ecclesia tempore quo canitur vnus breuis Psalmus. Dixi, *in Officiis diuinis, quæ publicè & solemniter celebrantur*: nam communicare cum fidelibus in orationibus priuatis, certum est apud omnes quòd tantùm est veniale peccatum, vt si excommunicatus reciret alternatim cum alio Psalmos pœnitentiales ex deuotione. Tota ergo difficultas est de actionibus secundi & tertij generis. Vnde

Prima opinio aliquorum Thomistarum dicit, quòd si communicet in istis actionibus, peccat mortaliter, per se loquendo. Probatur primò: Quæcunq; lex, præcipuè ecclesiastica, si sit de materia graui, obligat sub mortali, sed actiones secundi & tertij generis sunt materia grauis; ergo. Secundò: Hæc lex ecclesiastica constituit actum prohibitum in specie inobedientiæ, sed inobedientia ex genere suo est mortale, vt docet D. Thom. 2.2.q. 105. art. 1. ergo. Hinc infert hæc opinio, quòd si in ista communicatione interueniat iniustitia, erunt duo peccata; vnum iniustitiæ, alterum inobedientiæ; verbi gratia, si Iudex ecclesiasticus, vel secularis nominatim denunciatus iudicat, peccat peccato iniustitiæ, quia vsurpat iurisdictionem, & etiam peccato inobedientiæ, contra præceptum Ecclesiæ.

Secunda opinio dicit, non esse peccatum mortale per se loquendo, sed tantùm veniale, communicare in iis actionibus, & quòd hoc est magis certum loquendo de actionibus tertij generis, quàm secundi; ita Caiet. verb. excommunicatio. circa finem. §. vbi scito. Soto d. 22. quæst. 1. art. 4. concl. 3. Nau. cap. 27. n. 29. vbi citat alios, & quamplurimi Thomistæ. Et quoniam hæc est probabilior, sit

Secunda conclusio. Excommunicatus communicans in rebus secundi & tertij generis, non peccat mortaliter, nisi sequatur iniustitia, vel scandalum graue, vel adsit formalis contemptus; verbi gratia, excommunicatus fert verum testimonium, comedit cum aliis, celebrat contractum venditionis, non peccat mortaliter. Probatur: nam Ecclesia suo præcepto non intendit primò & per se prohibere huiusmodi communicationem, sed tantùm directè & secundariò, loquendo de actionibus tertij generis; secundariò autem licet directè loquendo de actionibus secundi generis. Quando verò Ecclesia de facto intẽdit obligare sub mortali, dignoscitur ex eo quòd præcipit materiam grauem, & quia immediatè præcipit eam. Vt si Ecclesia priuaret aliquem Regem suo regno propter bonum spirituale, latè præceptum immediatè & directè tendit ad illum effectum temporalem priuationis regni, & cùm aliàs materia sit grauissima, obligat sub mortali. Dixi, *nisi sequatur iniustitia, vel scandalum graue, vel adsit formalis contemptus*, vnde si excommunicatus iudicet, peccat mortaliter, quia vsurpat iurisdictionem, cùm ligata sit eius potestas, & ideo facit iniuriam ei qui communicauit iurisdictionem, cuius actũ vsurpat. Vsurpare autem iurisdictionem est res grauissima. Nisi aliquando excusetur ex leuitate materiæ, vt si recipiat vnum tantùm testem: tunc enim venialiter tantùm peccabit. Facit etiam iniuriam ipsis litigantibus quos iudicat, & facit illos amittere expensas: nam cùm illi actus sint nulli, iterum debent fieri, vnde tenetur Iudex restituere illis huiusmodi damna. Similiter eligendo irrogat iniuriam electoribus quorum numerum iniustè auget, & Ecclesiæ, cuius se quasi prouisorem gerit; & multo magis cõferendo beneficia, & iis similibus. Hæc autem solùm habent locum in excommunicato non tolerato: nam gesta ab excommunicato tolerato pertinẽtia ad publicum officium, valida sunt, vt dixi disput. 6. dub. 3. Ex quo sequitur, excommunicatum toleratum solùm peccare venialiter, iudicando, eligendo, præsentando, conferendo beneficium. De scandalo graui de se patet, quòd tunc erit mortale; de contemptu formali etiam est res clara apud D. Th. in addit. q. 23. art. 3. & apud omnes Doctores.

Sed est aduerrendum, quòd iste contemptus non consistit in consuetudine & frequentia communicandi, vt nonnulli falsò putãr: potest enim contingere quòd aliquis excommunicatus cõmunicet frequenter cum fidelibus in rebus humanis ex sola delectatione, vel fragilitate, & tũc nullus est formalis contemptus, & econtra potest contingere, quòd semel tantùm, aut iterum communicet, ex eo quòd contemnit potestatem Ecclesiæ in ferendis censuris, vel prohibitionem Ecclesiæ prohibentis excommunicato talem communicationem, vt docet Soto concl. 3. citata, & habetur ex Syluest. ver. excommunicatio. 5. num. 6. p. 4. & Nauar. c. 22. n. 42. imò dico, quòd licèt communicare ex contemptu ipsius censurę & ecclesiasticę potestatis semper sit mortale, vt ait Nau. c. 27. n. 30. at verò communicare ex contemptu præcepti in re minima, paratus abstinere à communicatione in rebus maioribus, solùm erit veniale.

Ex dictis primò sequitur, quòd multiplicentur communicationes in rebus secũdi & tertij generis; non erit mortale per se loquendo: nam quando aliquid de se est tantùm veniale, non erit mortale, quantumuis multiplicentur actus, nisi extrahantur ad aliam speciem.

Secundò sequitur, quòd si aliquis Iudex excom

excommunicatus non toleratus ferat sententiam, non committit duo peccata mortalia, vnum iniustitiæ, alterum inobedientiæ, sed tantùm vnum iniustitiæ, & alterum veniale, contra prohibitionem Ecclesiæ.

Ad primum argumentum primæ opinionis respondetur, negando minorem, tum etiam quoniam non est materia, quæ directè & per se primò prohibeatur ab Ecclesia.

Ad secundum respondetur, minorem esse veram loquendo de inobedientia formali: secunda autem opinio non loquitur in hoc casu.

Ex dictis cōstat resolutio alterius quæstionis, quæ licèt pertinet ad sequentem disputationem, tamen hîc breuiùs poterit resolui, nempe vtrùm fideles semper peccent mortaliter, communicando cum excommunicato in rebus prohibitis.

Primò ergo dico, quòd si communicēt cum illo in rebus secundi generis, est peccatum mortale ex genere suo. Dico, *ex genere suo*. nam ex paruitate materiæ erit veniale, vt si audiret simul cum excommunicato non tolerato partem Missæ, verbi gratia vsque ad Euangelium, vel illud quod dicitur post consumptionem corporis & sanguinis Christi.

Secundò dico, quòd si communicent in rebus secundi & tertij generis tantùm est veniale, nisi communicent in crimine criminoso, vel in illis casibus, in quibus fideles communicādo cum excommunicato incurrunt maiorem excommunicationem, vel in contemptum Ecclesiæ; ita D. Th. in addit. quæst. 23. art. 3. Exemplum primi. Præcipitur concubinario sub excommunicatione latæ sententiæ, vt expellat è domo concubinam, qui dederit illi auxilium vel fauorem ad eam retinendam, peccabit mortaliter, vt decernitur in cnuper. de sententia excommunicationis in 6. & casus hic etiā habet locum, quamuis talis excommunicatus sit toleratus, vt ait Soto concl. 3. citata, casu 1. quia concurrit ad opus quod est mortale vel ex natura sua, vt in exemplo posito, vel ratione excommunicationis, vt in Doctore qui docet leges, vel Medicinas, Religiosos, qui reliquerunt habitum. Exemplum secundi est, quando aliquis excommunicatur de participantibus. De contemptu Ecclesiæ, iam patet ex dictis. Probatur ergo modò vtrumq; dictum: nam prima communicatio prohibetur ab Ecclesia primò & per se; secunda verò non, vbi nota primò, quòd loquendo de communicatione cum excommunicato, inquātum est prohibita per Ecclesiam, solùm habet locum respectu non tolerati: nam quamuis aliquando sit peccatum, communicare cum tolerato, non est ex vi præcepti ecclesiastici, vt patet ex dubio 1. concl. 4. Nota secundò, quòd quando ex nimia & frequēti communicatione fidelium cum excommunicato in humanis, sequeretur quòd excommunicatus contemneret excommunicationem, tunc fideles peccarent mortaliter: sic aliqui viri docti, & in hoc casu intelligendus est Nauarr. c. 27. n. 30. & nonnulli Autores dicentes communicationem cum excommunicato in humanis esse peccatum mortale, si sit nimis frequens. Nota tertiò, quòd intra idem genus peccati, magis peccat excommunicatus communicando cum fidelibus, quàm fideles communicando cum ipso, quoniam hæc prohibitio potiùs est imposita in grauamē ipsius excommunicati, quàm aliorum fidelium, quoniam dictum est, excommunicatum peccare mortaliter communicando in diuinis.

DVBITATVR quartò, vtrùm peccet mortaliter recitando diuinum Officium cum aliis?

Prima conclusio. Si recitat illud cum aliis publicè & solemniter, certū est apud omnes quòd peccat mortaliter. Difficultas solùm est quando recitat cum socio priuatim; & hæc tam procedit in tolerato, quàm in non tolerato.

Prima opinio dicit, quòd peccat mortaliter, & hoc quamuis recitet illud non

ex obligatione, sed ex sola deuotione. Probatur: Hæc communicatio est in diuinis, & materia non est leuis; ergo. Vnde dicit hæc opinio, quòd sicut omittere vnam horam, est peccatum mortale, ita etiam erit mortale recitare, vnam horam cum socio priuatim. Pro hac sententia citatur Soto d. 22. q. 1. ar. 4. col. 7. in fine, & Nauarr. cap. 27. n. 36. ad 5. sed hi Autores non explicant vtrùm loquantur quando recitatio fit priuatim vel publicè; tenent tamen eam mordicùs aliqui viri docti.

Secunda opinio dicit, probabilius esse quòd solùm est veniale, sic aliqui viri doctissimi, & apertè sentit eam Couarruuias c. alma mater. p. 1. §. 3 n. 8.

Secunda conclusio sit. Hæc opinio videtur mihi probabilior. Probatur: nam Ecclesia primò & directè solùm prohibet communicationem in diuinis solemnem, nempe in sacramentis, in Missa, in sepultura, in Officio diuino, cùm publicè & solemniter celebratur. Hinc sequitur, quòd etiam stando in prima opinione dicendum esset, quòd non incurrit irregularitatem. Vide dicta infr. p. 7. disp. 9. sect. 2. dub. 2. corol. 1. Secundò probatur ratione adducta à Couarruuia: nam excommunicato non est prohibitum orare, sicut est prohibitum audire Missam, sed solùm est illi prohibitum ne recitet cum alio; ergo hæc communicatio quando est priuatim, non est materia grauis, & ex altera parte non est primò & directè prohibita; ergo non inducit peccatum mortale. Nec valet argumentum: Est materia grauis quoad omissionem vnius horæ an efficiendum mortale in eo qui recitare tenetur; ergo etiam est grauis quantùm ad communicationem; non, inquam, valet: nam Ecclesia primò & directè precipit recitationem vnius horæ, non autem prohibet primò & directè communicationem recitando priuatim.

Ad argumentum primæ opinionis respondetur, quòd Ecclesia solùm prohibet directè & per se primò cõmunicationem in diuinis solemnem, vt dictum est.

DVBITATVR quintò, vtrùm excommunicatus teneatur abstinere à communicatione fidelium, etiam cum periculo mortis, vel infamiæ, vel suæ substãtiæ, ac rei familiaris?

Pro explicatione tituli quæstionis supponendum est primò non esse sensum, vtrùm pro vitanda morte vel alio damno liceat cõmittere aliquod peccatum mortale vel veniale; certum est enim non licere: nam implicat quòd si peccatum & sit licitum; sed sensus est, vtrùm imminẽte periculo mortis, vel infamiæ, vel amissionis suæ substantiæ, cesset obligatio, qua tenetur excommunicatus abstinere à cõmunicatione fidelium?

Secundò supponendum est, quòd si metus iste incurratur in odium fidei, aut in contemptum ecclesiasticæ potestatis & censurarum, non excusat; verbi gratia, hæreticus in odium ecclesiasticæ potestatis minatur excommunicato mortem, nisi celebret, vel communicet cum fidelibus etiam in humanis, potiùs tenetur pati mortem. His positis

Prima opinio est, quòd tenetur abstinere in diuinis, & etiam in humanis, non obstante huiusmodi periculo. Hanc tenet expressè Caieta. 1. 2. quæst. 96. art. 4. & 2. 2. quæst. 125. art. 4. & Adrianus quæst. 3. de clauibus. exceptione 8. Quæ opinio probatur ex c. sacris. de his quæ vi metúsve causa fiunt, vbi definitur peccasse mortaliter quendam, qui metu mortis participauit cum excommunicato; ergo supponit quòd à fortiori peccaret mortaliter ipse excommunicatus communicando cum fidelibus.

Secunda opinio dicit, quòd tenetur abstinere in diuinis, non in humanis; ita Syluest. verbo, excommunicatio. 5. numero 1. Petrus à Soto quæ. 3. de excommunicatione.

Tertia opinio dicit, quòd potest communicare in humanis, & etiam in diuinis exceptis actionibus sacramentalibus; ita Couarruuias c. alma mater. p. 1. §. 2. circa finem. & Soto d. 12. q. 1. ar. 4. circa finem.

Proba

Probatur primò. Ius diuinum & naturale est, quòd sacramenta non tractentur irreuerenter, sed accedere ad sacramenta in excommunicatione, est irreuerentia magna; ergo. Minor probatur: nam quamuis aliquis excommunicatus sit contritus, indignè accedit ad sacramenta propter grauem irreuerentiam, quæ tamen irreuerentia non committitur in aliis actionibus diuinis non sacramentalibus. Secundò probatur ratione adducta à Coua, quam latiùs ipse persequitur in §. 1. num. 1. nempe, Communicatio in diuinis est prohibita iure diuino, communicatio autem in humanis solùm est prohibita iure humano; ergo: prima communicatio est intrinsecè mala in excommunicato, & per consequens nullus metus excusat; quæ ratio etiam probat secundam opinionem.

Quarta opinio est, quòd excommunicatus ob vitandam mortem, vel grauem infamiam, vel amissionem omnium bonorum, vel magnæ partis, vel magnum scandalum, licitè potest communicare cum fidelibus non solùm in humanis, sed in diuinis, etiam in receptione sacramentorum; ita Castro lib. 2. de lege pœnali. c. vlt. concl. 2. Nauarr. cap. 27. numer. 239. Cordub. in Sum. quæst. 137. dicto 4. & quæst. 142. imò & D. Thom. 3. p. q. 83. art. 3. ad 2. &, satis fauet Soto d. 22. quæst 1. art. 4. concl. 2. & Ledesm. 2. p. 4. quæst. 25. art. 3. in fine. concl. 2. & in hanc magis inclinat Ioannes Gutierrez Canon. q. cap. 1. numer. 40. in fine. & latiùs cap. 13. numer. 21. & 22. & eam tenent communiter Magistri, & est à nobis amplectenda. Quæ probatur primò: nam lex de conseruanda vita & fama est naturalis; lex autem quòd excommunicatus abstineat à communicatione, est humana. Confirmatur: nam cùm leges humanæ debeant esse suaues & accommodatæ fragilitati hominum, non est credendum quòd Ecclesia velit suis legibus obligare fideles cum tanto dispendio. Secundò: nam lex de integrè confitendo est diuina, & tamè ad euitandam mortem, vel infamiam, vel graue scandalum, potest pœnitens tacere aliquod peccatum mortale. Et est aduertendum, quartam opinionem æqualiter procedere in excommunicatio tolerato, & in non tolerato; solùm est differentia in actionibus requirentibus iurisdictionem; in iis enim Iudex excommunicatus non toleratus non potest communicare, vnde peccat ferendo sententiam, & absoluendo etiam ad euitandam mortem, & talis sententia vel absolutio est nulla. Hoc tenent communiter Magistri nam iste vsurpat iurisdictionem, quod tamen est in trinsecè malum, & per consequens non est licitum etiam ad euitandam mortem. Sed hæc sententia vniuersaliter intellecta dura mihi videtur, vnde credo quòd in rebus magni momẽti non peccabit mortaliter; nam præsumitur quòd Princeps, ad quem spectat conferre iurisdictionem, & pars ipsa, non sunt inuiti in eo casu, & ideo Iudex non peccabit mortaliter; excipio semper absolutionem sacramentalem: nam cùm sacramentum frustretur suo effectu, semper erit mortale.

Ex dictis primò sequitur, quòd si Religiosus incidit occultè in excommunicationem reseruatam Papæ, vel suo Superiori absenti, interim dum non potest obtinere absolutionem, potest contritus celebrare vel recipere Eucharistiam, quando reliqui Religiosi recipiunt, & interesse choro, si ex eo quòd abstineat, periclitatur eius fama; ita Nauar. cap. 27. n. 239. Cordub. in Sum. quæst. 142. opinione 3. Similiter sacerdos, qui occultè occidit clericum, ob quod est excommunicatus & irregularis, poterit contritus celebrare, si ex eo quòd non celebret periclitatur eius vita vel fama; ita Nauarr. Corduba, & alij.

Secundò sequitur, quòd sacerdos excommunicatus, suspensus, vel interdictus, qui in prædictis casibus licitè celebrat, nullam incurrit irregularitatem; ita Sylu. est. ver. Eucharistia. 2. quæst. 7. num. 10. Cordub. & alij. Probatur: nam hæc irregularitas solùm incurritur propter cele-

bationem, quæ sit mortale.

Tertiò sequitur, quòd licèt aliquis cõmittat peccatum prohibitum iure naturæ, & habens annexam excommunicationem, si faciat metu mortis, licèt hõ excusetur à peccato, non tamen incurrit excommunicationem. Probatur, quoniam hæc pœna est inducta iure humano, vt si aliquis communicet in crimine criminoso habente annexam excommunicationem; item si aliquis metu mortis ducit consanguineam, non incurrit excommunicationem latam in Clement. 1. de consanguinitate & affinitate. item remigantes in triremibus Turcarum aggredientiũ Christianos, dato quòd peccent mortaliter, non tamen incurrunt excommunicationem impositam. cap. ad liberandum. de Iudæis. si id faciant ad vitandam mortem, vel durissima verbera. Ita Nauarr. c. 27. num. 63. in fine. & c. ita quorundam. de Iudæis. notab. 11. num. 18. Pedraza præcepto 7. interrogat. 29. & communiter Magistri. Dixi, *dato quòd peccent*: nam licèt Pedraza & Nauar. dicant quòd peccant mortaliter, nihilominus Nauar. lib. 3. de restitut. cap. 4. p. 1. dubitat. 4. in fine. num. 62. Cordub. in Sum. quæst. 137. post 4. dictum: & multi viri docti tenent non peccare, quia ipsi non iuuant directè nec indirectè ad bellum, nec id intendũt, sed solùm differunt triremẽ huc vel illuc, quod de se est indifferens, & quo possent Turcæ bene vti; vnde si malè vtantur, sibi est imputandum, quam sententiam quia clementior est, amplector, & propter eandem rationem infert Corduba, non peccare nauclerum, qui timore mortis transuehit ad alteram partem fluminis duos procedentes ad duellum; item si aliquis compulsus ab alio metu mortis percutiat vel occidat clericum, non incurrit (meo iudicio) excommunicationem canonis. Probo: nam hæc pœna solùm est inducta lege humana.

Vltimò sequitur, quòd fideles à fortiori poterunt metu mortis, vel infamiæ, vel amissionis bonorum, vel scandali, communicare cum excommunicato etiam nõ tolerato, etiam in diuinis, & in receptione sacramentorum, vt si aliquis minetur mihi mortem, nisi sumam Eucharistiam de manu sacerdotis excommunicati non tolerati.

Ad fundamentum primæ opinionis respondetur, illum textum loqui de illo, qui communicauit eum excommunicato in crimine criminoso & intrinsecè malo. Sic explicat Sylvest. ver. metus. §. 7. & alij communiter. Ad argumenta tertiæ opinionis.

Ad primum respõdetur cum Corduba q. 142. quòd cùm hæc irreuerentia accedendi in excommunicatione ad sacramẽta, sit de iure humano, cessat instante prædicto periculo, & hoc dictat ipsum ius naturæ, & diuinum.

Ad secundum respondetur primò, negando quòd communicatio in diuinis sit prohibita excommunicato iure diuino, sed tantùm iure humano, vt dicemus dubio sequenti. Secundò respondetur, dato quòd esset prohibita iure diuino, nego quòd non excusaret prædictus metus: nam præceptum diuinum quando non est absolutum non obligat cum tanto periculo, vt patet in præcepto confitendi, quod est diuinum, & tamen non obligat cum periculo mortis, vel infamiæ; sic Cordub. q. 137. dicto 4.

Disputatio IX.

De decimo & vndecimo effectu: scilicet de prohibitione, qua fideles tenentur non communicare cum excommunicato; & quòd si excommunicatus per annum pertinaciter perseuerauerit in excommunicatione, sit suspectus de hæresi.

Circa decimum effectũ supponendum est primò, quòd modò tantùm loquimur de communicatione cum non tolerato: nam de communicatione cum tolerato diximus disputatione præcedenti, dubio primo.

Se

Secundò, reducendum est in memoriam ex disputatione præcedente, dubio 3. circa finem, quando fideles peccent mortaliter, & quando venialiter, communicando cum excommunicato.

Tertiò, ex dictis dubio vltimo præcedentis disputationis constat, quòd metu mortis, vel infamiæ, vel amissionis bonorum, possunt fideles licitè cõmunicare cũ excõmunicato etiam non tolerato. Quartò nota, quòd ea, in quibus excõmunicati sunt vitandi, continentur his versibus:

Si pro delictis anathema quis efficiatur,
Os, Orare, Vale, Comunio, Mensa negatur.

His positis

DVBITATVR primò, quæ personæ teneantur vitare excommunicatũ non tõleratum?

Prima conclusio. Episcopi, & omnes alij inferiores Papæ non possunt licitè communicare cum excommunicato non tolerato, & si communicent, incurrẽt minorem excommunicationem; quamuis Episcopus, verbi gratia, communicet cum excommunicato à se. Hæc est communis, & est optimus textus cap. cùm desideres. de sententia excommunic. Probatur, quia lex prohibens communicationem cum excommunicato ad minus est lex Papalis, in qua Episcopi non possunt dispensare. Hinc sequitur à fortiori, quòd non poterit Episcopus dare licentiam aliis fidelibus communicandi cum excõmunicato, etiamsi sit excommunicatus à se. Quamuis contrarium teneat Palud. in 4. d. 18. q. 8. art. 2. principali. concl. 9. Vnde tota difficultas est de Papa, de quo sit

Secunda conclusio. Quãuis Papa peccet cummunicando cum excommunicato, siue à se, siue ab alio, nihilominus non incurret minorem excommunicationem, ita Sylvest. ver. excommunicatio. 5. n. 10. circa finem. Et est certa conclusio: nam hæc minor excommunicatio solùm est inducta lege humana, qua certum est Papam non teneri quantùm ad vim coactiuam.

Tertia conclusio. Si Papa communicet cum excommunicato, vel det aliis licentiam ad communicandum in humanis & diuinis, non peccat; ita Soto d. 22. q. 1. art. 4. colum. 11. concl. 5. casu 5. & communiter Magistri. Quæ conclusio totaliter est contra illos Doctores relatos c. 1. disputat. 1. dub. 6. dicentes aliquam excommunicationem esse de iure diuino, & consequenter non posse Papam in hoc dispensare, & partim est contra Couarru. locis citatis. dub. vlt. præced. disputat. in 3. opinione, vbi tenet, prohibitionem communicandi cum excommunicato in rebus diuinis esse de iure diuino, & cõsequenter non posse papam in hoc dispensare; atque adeò peccare si communicet in diuinis, secus si communicet in humanis; sed probatur conclusio contrario fundamento: nam sicut omnis excommunicatio est tantùm de iure humano, ita etiam prohibitio excommunicationis cum excommunicato, aliàs non potuisset Ecclesia dispensare, vt fideles non tenerentur abstinere in humanis, neque in diuinis ab excommunicatis toleratis, vt ostendi c. 1. dub. 6. citato. & tenet Soto citatus ibidẽ, & etiam sup. casu 5. citato; ergo potest Papa in ea lege dispensare. Hinc sequitur, quòd Papa potest dispensare cum fidelibus, vt communicent cum excommunicato, & dispensare cum excommunicato, vt communicet cum fidelibus. Intelligo autem tertiam conclusionem, quòd non peccat Papa saltem contra legem humanam prohibẽtem huiusmodi communicationem, quoniam si dispenset in hac lege sine causa, licèt sit valida dispensatio, & per consequens iam non peccabit contra huiusmodi legem, peccabit tamẽ contra legem naturalem dictantem quòd legislator, nec se, nec alium debet eximere a sua lege sine causa, vt tenet in terminis Mexica difficult. 11. de excõmunicat. concl. 2. & ego latiùs tradidi in materia de legibus. 12. quæst. 96. art. 5. dub. 1. & 97. art. 4. dubio 5. & 7. & ita tenet Couarru. cap. alma mater. p. 1. §. 1. num. 1. Et hoc peccatum

catum tantùm erit veniale cessante scandalo, vt patet ex dictis in materia de legibus.artic.4.citato dubio 7.concluſ.3.nam Papa & dispensatus per illum non agunt contra legem positiuam, sed contra prædictam legem naturalem; hæc autem lex cessante scandalo vel magno detrimento Reipub.solùm obligat ad veniale.

Quarta concluſio. Ex hoc quòd Papa communicet cum excommunicato, non ideo censetur illum absoluere, nisi id intendat, & declaret eum per hoc haberi pro absoluto, ita Sylueſt. verb.absolutio. 3.n.7.& Couarru.c.alma mater.par.1.§.2. num.12.Est textus expreſſus Clementina vnica, de sententia excommunicationis. §.si summus Pontifex.

Quinta cõcluſio.Licèt Papa possit hoc modo absoluere excommunicatum,quia non tenetur seruare formam à iure statutam; Prælati tamen inferiores non possunt,quia seruare tenentur formam iuris.

Iam sigillatim explicandi sunt illi versus relati in 4. notabili. de quibus tractat Soto d.22.q.1.art.4.Nauar.cap.27.n.20.& latè Sylu.verb.excommmunicat.5.n.2.De prima particula,scilicet *os*,

DVBITATVR secundò, quid prohibeatur per illam? Respondetur, quòd per hanc particulam denotatur quòd non possumus alioqui excommunicatum,nec per verba, nec per nutum, nec per literas missas,nec receptas, nec amplexando,vel osculando in signum amicitiæ,neque etiã mittendo, nec recipiendo munera; vnde si excommunicatus mittat munera, non possunt retineri, sed vel remittantur illi ad confusionem eius,& rubórem,vel mittantur ad eius vxorem,vel dentur pauperibus;ita Sylueſt.

Secunda particula est, *orare*. Pro cuius declaratione supponẽdum est primò, duplicem esse orationem, scilicet publicam & priuatam. Orationes publicæ sunt,quæ dicuntur à ministris Ecclesiæ,nomine Ecclesiæ, nempe Officia & orationes, quæ continentur in Missali Breuiario,& Pontificali, & alibi ad vsum ordinum, vel aliorum sacramentorum, vel ad Horas Canonicas,vel ad Litanias, & Responsoria Ecclesiæ, vel ad res sacramentales, vt quæ dicuntur in solemnibus consecrationibus Episcoporum, templorum, altariũ ornamentorum, sacrarum virginum, in benedictione aquæ, & cætera,de quo vide Nauarr.c.27.num.36. Secundò, nota quòd orationes approbatæ ab Ecclesia,vt dicantur à suis ministris,dicuntur orationes publicæ, licèt non sint specialiter institutæ & ordinatæ ab Ecclesia: nam illa approbatio est tacita institutio,vt illa collecta, *Et famulos tuos*, quæ communiter dici solet; & ita tenent communiter omnes, quidquid Soto d.22.quæst.1.art.1. colum.12. dicat esse probabile, quòd sacerdos in collectis orat vt persona particularis,& consequenter quòd potest orare pro excõmunicatis non toleratis. Oratio autẽ priuata est,quæ fit à persona priuata, vt est persona particularis, & non nomine Ecclesiæ, vt quando quis ex sua deuotione recitat Rosarium,vel Psalmos pœnitentiales, & etiam benedictio mensæ, & quando pulsatur *à lac aue maria*. Tertiò nota,quòd orationes Missę & Breuiarij,& Officia ibi contenta possunt aliquando dici à persona particulari, vt est persona particularis: potest enim laicus dicere Officium diuinum Missæ,& Horas Canonicas, non ex obligatione, ne iuuando alium qui recitet vt Minister Ecclesiæ,sed ex sola deuotione.

Vtrùm verò orationes & Officia publica dicta à merè laico nomine Ecclesiæ sint orationes publicæ, & suffragia communia Ecclesiæ? Soto d.13.q.2.art.1.vers. 2.ex iis consequitur,tenet quòd non. Sed oppositum est probabilius,ita Nauar.lib. 2.de restitutione,cap.2.num.255. & citat Couarru.& Nauarr.qui id tenet cap.27.n. 176.in fine. Dixi, *nomine Ecclesiæ*. nam si laici in suis confraternitatibus cantent Psalmos vel Litanias, nõ dicitur officium diuinum, vt ait Nauarr. ibidem. Litaniæ autem,quæ fiunt cum crucibus, & ecclesiastica solemnitate, scilicet cum cruce

elcuata

eleuata & superpelliceis,& ordine procedendi, sunt Officia diuina, vt tradit ibidem Nauarr.& Cordub. in Sum. quæst. 187.puncto 3. circa finem.His positis

DVBITATVR tertiò,in ordine vtrùm sit licitum fidelibus orare pro excommunicato non tolerato?

Prima conclusio.Licitum est orare pro illo oratione priuata.Hæc recipitur communiter, vt ait Couarru.c. alma mater.p. 1.§.6.num.4.concl.6. Soto d. 22. quæst.1. art.1.Et probatur:nam licèt Ecclesia possit priuare excõmunicatum orationibus priuatis fidelium, non tamen reperitur textus, in quo id prohibeat. Vnde tota difficultas est de oratione publica.

Prima opinio tenet,quòd licitè potest sacerdos nomine Ecclesiæ orare oratione publica,etiam in Missa, pro excommunicatis etiam non toleratis, dũmodo id faciat generaliter,& non in particulari,nominando aliquem sic excommunicatum. Et dicit, quòd eodem modo potest orare pro hæreticis,verbi gratia, pro hæreticis Germaniæ,aut Flãdriæ,addit tamen quòd huiusmodi oratio non fit pro excommunicatis tanquam pro membris Ecclesiæ, sed vt Dominus dignetur illos reducere ad Ecclesiam.Hanc tenet Sylvest.ver. excommũnicatio.1.num.2.& ver. Missa.1. quæst. 8.p. 4.Couarru. sup. num.3. post quartam conclusionem. Nauar. tract. de oratione. cap.19.concl. 6. num.70.& D. Tho.in 4.d.18.q.2.art. 1. ad 1.nam licèt à nonnullis Thomistis explicetur, quòd loquitur de oratione priuata, sed ex contextu constat apertè eum loqui de suffragiis generalibus Ecclesiæ.

Secunda sententia est opposita, quam tenet Soto sup.colum.12. & art.4.colum. 7.& lib.9. de iust.q.2.art. 2.ad 3.Palud.in 4.d.18.qu.1. concl.2. Angel. ver. excommunicatio. vlt.n. 15. Ledesm.2.p.4.q.23. art. 1.dubio penult. Medin. in Sum.lib. 1.cap.11.§. 1.& communiter Magistri.

Sit secunda conclusio.Hæc opinio est longè probabilior, imò aliqui viri docti dicunt primam non esse probabilem; nec securam. Hæc opinio quãtùm ad excommunicatos fideles probatur:nam Ecclesia per excommunicationem priuat illos cõmunibus suffragiis,& per consequẽs prohibet fidelibus,ne ea applicent illis; ergo quamuis orent in generali,faciunt contra intentionem Ecclesiæ, admittendo eos ad participanda illa suffragia,à quibus per Ecclesiam sunt excluſi. Quantùm ad hæreticos verò specialiter probatur secũdò: nam suffragia cõmunia solùm applicantur membris Ecclesiæ.Tertiò, quoniam si id liceret,Ecclesia frequentiùs id faceret, & tamen non facit, nisi solùm feria sexta hebdomadæ sanctæ;tunc autem id facit,vel dispensando in sua lege, vel absoluendo pro tunc excommunicatos quantùm ad hunc effectum, ad denotandum infinitam virtutem sanguinis Christi effusi pro omnibus. Ex quo sequitur, quòd nec hanc orationem compositam ad hũc effectum, qua vtitur Ecclesia in isto die, licet facere pro istis excommunicatis alio tempore anni,quidquid dicat Nauarr. in c.quando. de consecrat.d.1.c.19. concl.6. num.71.

Quartò probatur:nam quando in aliquibus Ecclesiis fit mentio de hæreticis, excepto die Veneris sancti, petitur vt cõfundantur à Deo. Vltimò probatur ex can. si quis Episcopus. el 3. 11.quæst. 3. vbi dicitur,non esse obediendum Episcopo vel Abbati præcipienti cantare Missas pro hæreticis;vnde si in aliqua Religione præcipiatur quòd dicantur Missæ pro reductione hæreticorum, non est sensus quòd directè offerantur pro ipsis hæreticis,vel infidelibus; sed duplex est sensus. Primus,quòd Missæ, quatenus sunt opera specialia & priuata, id est, ille actus celebrandi Missam, prout est actus personalis, applicetur illis tantùm quoad impetrationem, vt conuertantur, iuxta id quod tradit Nauar.cap.27. num.36.ad 1. Secundus sensus est,quòd Missæ dicantur pro iis,qui incumbunt eorum conuersioni,vt dignè & fructuosè exequãtur suum munus; & hic sensus magis placet. Præ-

terea licitũ est orare publica oratione, & offerre Missas pro salute Germaniæ & Angliæ, intelligendo pro multis Catholicis ibi existentibus.

Ex dictis sequitur, non esse illicitum instituere Capellanias, in quibus dicantur Missæ pro conuersione hæreticorum & aliorum infidelium, iuxta sensus prædictos; neque hoc est contra Sotum in 4. d. 11. quæst. 2. art. 7. ad 2. vbi reprobat consuetudinem offerendi Missas pro conuersione infidelium; & lib. 9. de iust. q. 2. art. 2. ad 3. vbi ait, quòd est error instituere capellaniam pro conuersione infidelium: loquitur enim Soto de Missis directè oblatis quantum ad satisfactionem pro infidelibus.

Tertia conclusio. Qui oraret publica oratione, vel offerret sacrificium Missæ pro non tolerato, peccaret mortaliter; ita Soto art. 4. citato. colum. 7. & alij. Probatur: nam violat præceptum Ecclesiæ in re graui.

Loquendo autem de infidelibus, qui non sunt baptizati, Soto 9. de iust. quæst. 2. art. 2. ad 3. & aliqui viri docti etiam ex iis qui impugnant primam opinionem, dicunt quòd est licitum orare pro illis oratione publica, quoniam Ecclesia non potest istos punire sicut hæreticos baptizatos.

Quarta conclusio. Licèt hæc sententia sit probabilissima, oppositum tamen iudico probabilius cum Nauar. tract. de oratione, c. 19. concl. 6. num. 67. & 72. Perro de Soto lect. 3. de Purgatorio. Osio de confessione fidei. cap. 41. & aliquibus viris doctissimis. Probatur primò: nam huiusmodi infideles non sunt membra Ecclesiæ, suffragia autem communia Ecclesiæ, quatenus communia sunt, solùm ordinantur per se & directè ad fideles, qui sunt membra ecclesiasticæ communitatis. Secundò: nam Ecclesia eo ipso quòd solùm orat pro infidelibus in die Veneris sancti, tacitè & virtualiter prohibet suis ministris ne sæpius orent pro illis oratione publica.

Ad fundamentum in contrarium respondetur, Ecclesiam in hoc non punire directè infideles, sed tanquam domina & dispensatrix communium suffragiorum prohibet suis ministris, ne orent pro illis.

Ex dictis sequitur, certum esse, quòd si Rex vel Episcopus essent excommunicati non tolerati, non essent nominandi in canone Missæ, vt ait Soto d. 22. q. 1. art. 1. colum. 12.

DVBITATVR quartò, vtrùm qui publica oratione orat pro excommunicatis non toleratis, incurrat minorem excommunicationem? Nauar. cap. 27. num. 6. tenet quòd sic, quia censet hoc esse participare & communicare cum excommunicato.

Sit conclusio. Quamuis peccet mortaliter, vt dixi, non tamen incurrit minorem excommunicationem. Sic tenent aliqui viri docti, & probatur: nam orare pro excommunicato, non est communicare cum illo, quia non est orare cum illo, nec coram illo, vt dicunt Caietan. & Syluest. statim citãdi. Hinc sequitur, quòd licèt tertium dubium, & duo sequentia communiter tractentur à Doctoribus in expositione huius particulæ, *orare*, tamen reuera propriùs pertinent ad secundum excommunicationis effectum, qui est priuari suffragiis Ecclesiæ. Vnde ille solùm communicat cum excõmunicato in oratione, qui simul cum eo orat, vel audit Officia diuina, vt aduertit Caiet. in Sum. verb. excommunicatio. circa finem. §. illicita autem. & clarè sentit Syluest. ver. excommunicatio. 5. n. 2. particula, *orare*.

DVBITATVR quintò, vtrùm sacerdos in Memento Missæ possit orare pro non toleratis?

Prima opinio est affirmatiua; ita Sylvest. ver. excommuncatio. 1. num. 2. & ver. Missa. 1. quæst. 8. Nauar. tract. de oratione. c. 19. concl. 6. n. 71. Tabien. verb. excommunicatio. 1. n. 5. Couarru. cap. alma mater. p. 1. §. 6. num. 4. concl. 7. idem videtur tenere Armilla ver. excommunicatio. num. 4. & Soto d. 22. quæst. 1. art. 1. colum.

colum. 12. Palac. in 4. d. 18. disput. 3. & eam amplectũtur expressè multi viri docti. Fundamentum est, quòd sacerdos in Memento orat vt persona particularis.

Secunda opinio est negatiua, ita Ledes. 2. p. 4. q. 23. art. 1. in fine. Magister Cano, & Medina in Sum. lib. 1. c. 11. §. 1. & aliqui Magistri. Fundamentum eorum est, quòd sacerdos etiam in Memẽto orat vt persona publica; quod probatur primò: nam Memento est pars Missæ, sed quælibet pars Missę celebratur à sercerdote tanquam à persona publica; ergo. Consequentia cum minori patet: maior autẽ probatur primò, quia non est positum in voluntate serdotis relinquere Memento, sed ex instituto Ecclesiæ tenetur vtrũque facere sacris vestibus indutus. Secundò ex primis verbis ipsius Memento; dicit enim, *Memento Domine famulorum, famularúmque tuarum*, scilicet eas quas mẽtaliter hîc commemorauero, sed in persona Ecclesiæ dicit illa verba vocalia, *Memento Domine*, &c. ergo etiam in persona Ecclesiæ orat mentaliter. Tertiò: nam finito Memento, dicit sacerdos vocaliter, *& omnium circunstantium, pro quibus tibi offerimus*, &c. vbi coniunctio, *&*, denotat copulationem circunstantium quantùm ad orationem & oblationem pro circunstantibus, cum illis quorum meminit in Memento, sed certum est, quòd pro circunstantibus orat vt persona publica; ergo etiam in Memento. & similiter non offert sacrificium vt persona priuata, sed vt publica; ergo. Si obiicias, ex hoc quòd Ecclesia relinquat in libertate sacerdotis, quòd in Memento oret pro iis vel illis, sequi quòd oret vt persona priuata. Respõdeo negando sequelam, sicut ex hoc quòd relinquat in voluntate simplicis sacerdotis non Parochi quòd offerat Missam pro iis vel illis, non sequitur quòd offerat vt persona particularis.

Tertia opinio est quorundam recentiorum, qui nituntur concordare prædictas duas opiniones: dicunt enim quòd sacerdos in Memento potest dupliciter orare. Primo modo, vt minister Ecclesiæ intendens applicare illis sacrificium & orationes, quæ dicuntur in Missa, & in hoc sensu habet verum secunda opinio. Secundo modo, potest assumere aliquam partem illius Memento, in qua oret tanquam persona particularis, non intendẽs applicare illis sacrificium, nec orationes Missæ, sed solùm commendare eos Deo, & hoc modo habet verum prima opinio. nam hoc modo etiam extra Memento in residuo Missæ posset sacerdos eleuare cor ad Deum, & orare pro excommunicatis etiam non toleratis, & quando orat in Memento hoc secundo modo pro excõmunicatis, cùm finito Memento, dicit, *pro quibus tibi offerimus*, &c. debet habere formaliter vel virtualiter intẽtionem offerendi sacrificium pro illis tantùm, pro quibus potest & debet secũdùm ordinem præscriptum ab Ecclesia.

Hæc opinio placet mihi: sed ego addo, quòd qui non habet aliam intentionem specialem, præter illam quam intendit Ecclesia, iste orat in Memento vt persona publica, & per consequens nõ potest orare pro excommunicatis non toleratis, vt dicit secunda opinio: nam quamuis Ecclesia permittat quòd sacerdos possit orare in aliqua parte ipsius Memento vt persona particularis, nihilominus præcipit quòd non prætermittat ibi orare vt persona publica, vt constat ex verbis vocalibus antecedẽtibus & cõsequentibus ipsũ Memento; vnde absolutè loquendo tenenda est secunda opinio.

DVBITATVR sextò, vtrùm sit licitum orare publica oratione pro excommunicatis toleratis?

Partem affirmatiuam tenet Nauar. cap. 27. num. 36. quem sequuntur pauci quidam recentiores. Probatur primò: nam post Concilium Constantiense possunt fideles communicare in humanis & diuinis cum excommunicatis toleratis. Secundò: nam huiusmodi excommunicatis post Concilium Constantiense nõ denegatur ecclesiastica sepultura.

Pars negatiua est longè probabilior, quam tenet Soto d.22.quæst. 1.art.4. colum. 7. Couarru.cap.alma mater.p.1.§.6. num.4.& alij ab eo citati, & communiter Magistri. Probatur efficaciter, Ecclesia priuat huiusmodi excommunicatos communibus suffragiis, taliter quòd reddit eos inhabiles ad illa participanda; ergo ministri Ecclesiæ non possunt licitè illa offerre intentione Ecclesiæ pro excommunicatis etiam toleratis. Secundò: nam aliàs similiter liceret offerre sacrificium Missæ pro huiusmodi excommunicatis.

Ex dictis sequitur, quòd non licet publica oratione pro excõmunicatis etiam non denunciatis, vt patet ex dubio tertio.

Ad primum respondetur primò, quòd orare pro excommunicato non est participare cum illo, vt patet ex dubio 4. & cùm ex alia parte obstet prohibitio Ecclesiæ vetantis orare pro excommunicatis, ideo decretum Constantiense non est extendendũ ad orationem pro excommunicatis toleratis. Secundò respondetur, quòd licèt daremus quòd orare pro excõmunicato esset participare cum illo, non liceret orare pro tolerato: nam decretum Constantiense non est factum in fauorem excommunicatorum, sed aliorum fidelium; & quoniam oratio directè ordinatur in vtilitatem eius pro quo oratur, ideo oratio non potest fieri pro tolerato. Per hæc patet ad secundum, quòd non licet sepelire in loco sacro excommunicatum toleratum, antequam absoluatur: nam hoc directè cederet in fauorẽ & maximam honorem ipsius excommunicati. Præterea probatur ex cap. à nobis. el 2. de sententia excommunicationis. vbi dicitur non esse communicandum mortuo, cui non est communicatum viuo.

Neque obstat primò, quod alij dicunt, nempe hoc potiùs cedere in fauorẽ ipsorum ministrorum propter eleemosynas quas recipiunt ex officio sepulturæ: nam ex hoc sequeretur, quòd etiam esset licitũ ministris offerre publica suffragia & sacrificia pro excommunicati. toleratis.

Neque obstat secũdò, quòd Nau.c.27. n.36.ad 2. significet consuetudinem esse in contrarium: nam alij viri docti & multùm practici dicunt se nullibi vidisse talẽ consuetudinem. Vide dicta disput.4.dub. vlt. Et quoniam, vt dictũ est dubio quarto, communicare in oratione cum excommunicato est simul cum eo orare vel audire Officia diuina, ideo

DVBITATVR septimò, vtrùm sit licitũ fidelibus cõmunicare cum excõmunicato non tolerato in orationibus, vel Officiis diuinis? Dico, *non tolerate*: nam cum tolerato licitum erit, si ipse sit paratus, vel se ingerat, iuxta dicta disput.8.dub.1.

Sit prima cõclusio, quòd non est licitũ, quamuis ipse excommunicatus non toleratus sit paratus, vel se ingerat, vnde fideles non possunt ab eo audire Missam, vel alia Officia diuina, nec possunt coram eo sacerdotes dicere Missam, nec alij ministri dicere alia Officia diuina, nec fideles interesse cum eo Missæ, aut diuinis Officiis. Hæc conclusio est de mẽte Caiet. in Sum. ver. excommunicatio. circa finẽ. §. illicita tamen. Soti d.22.q.1.art.4.col. 7. & aliorũ Doctorum, sed partim est contra Durandum dicentem quòd audire Missam semel cum excommunicato non est communicare cũ illo; verùm hæc sententia est singularis cõtra communem Doctorum: nam omnes qui assistunt Missæ, communicant in eodem sacrificio, & cũ eodem ministro sacrificante; similiter non possumus interesse cum illo in processionibus licèt vnus sit in principio, & alter in fine processionis extensæ per duo milliaria; ita Caiet. sup. Nec possumus recitare cum eo alternatim. Sed circa conclusionem hanc aliqua sunt notanda.

Primò, quòd si ego audio Missam in vna capella, & excommunicatus nõ toleratus audiat aliam Missam in alia capella eiusdẽ templi, non cõmunico cum illo, siquidem nõ audimus eãdẽ Missam, & propter hãc rationem idẽ dicendũ est quãdo audimus diuersas Missas in eodem rẽplo, licèt non sit in diuersis capellis; imò idẽ dicũt aliqui

viri

viri docti, si intra eandem capellam essent diuersa altaria, in quibus simul celebrarentur diuersæ Missæ; hoc autem intelligendum est quando non toleratus nullo modo attendit alteri Missæ: nam si attenderet, vt solent facere fideles, quando simul dicuntur coram illis diuersæ Missæ, tunc alij fideles dicerentur communicare cum illo, & credo quòd ad euitãdum hoc inconueniens Doctores loquuntur communiter quando excommunicatus audit vnam Missam in vna capella, & ego audio aliam in alia capella.

Secundò nota, quòd si dum celebrantur Missæ, vel alia Officia diuina, non toleratus ingreditur Ecclesiam, non vt interfit diuinis Officiis, sed vt illac transeat ad alium locum, licèt quando transit genu flectat, & breuiter oret priuata oratione, nec clerici celebrantes, nec fideles audientes communicant cum excommunicato; ita Caiet. supr. Nauarr. c. 27. num. 34. Soto ar. 4. citato. colum. 8. & alij, quamuis contrarium teneat Palac. in 4. q. 18. disp. 3. colum. 31. idem est, si tempore quo celebrãtur diuina Officia, existeret ibi excommunicatus non attendens ad Officia, sed tractans aliud negotium, vel si sit in angulo templi non attendens ad Officia diuina, sed sedens, vel fortè exercens suam artem; idem etiam est, si notorius percussor clerici confugiat ad Ecclesiam, & ibi commoretur ne capiatur à Iudice, & remaneat in loco separato Ecclesiæ, quantum commodè fieri possit, non attendens ad Officia diuina, ita Palud. in 4. d. 18. q. 6. ar. 1. in fine. & Tabiena ver. excommunicatio. 8. nu. 3. similiter si tempore quo non celebrantur Officia diuina, excommunicatus non toleratus, & alius non excõmunicatus, ingrediantur simul Ecclesiam, & ibi simul tempore orent, & recitent etiam Horas Canonicas, priuatim tamẽ & seorsum vnus ab altero, non censentur communicare, & ideo licitè possunt id facere; ita Caiet. & Soto. Patet: nam excommunicato non est prohibitus ingressus Ecclesię etiam ad orandum oratione priuata, vnde sacerdos excommunicatus non toleratus licitè potest recitare Horas Canonicas intra Ecclesiam tempore quo non celebrantur Officia diuina. Hinc etiam fit, quòd qui simul cum non tolerato ingrederetur Ecclesiam, vt acciperet aquam benedictam, & adoraret Eucharistiam reseruatam in altari, non censebitur communicare cum illo.

Secunda conclusio. Non est licitum fidelibus communicare cum excommunicato non tolerato etiam in orationibus priuatis, verbi gratia, recitare Psalmos pœnitentiales alternatim ex deuotione; verùm circa hoc notandum est ex Caietano, quòd non censetur quis communicare cum excommunicato in orationibus priuatis propter loci propinquitatẽ, verbi gratia, pulsatur *à las aue Marias*, & fideles recitant simul in eodem loco cum excõmunicato salutationem Angelicam, non communicant cum illo, atque adeò licitè recitant: nam hæc oratio non est communis, sed priuata; ita Caieta. sup. Vnde impropriè loquitur Nauar. c. 27. nu. 36. ad 5. dum ait, quòd non peccat mortaliter qui communicat cum excõmunicato oratione priuata, qualis est oratio Angelica matutina, vel meridiana, melius dixisset quòd non peccat nec venialiter, quia in hoc non communicat cum excommunicato: assistere autem simplici benedictioni mensæ, quamuis non sit communicare in oratione publica, est tamen communicare in priuata, si excommunicatus respondeat; idem dico quando non toleratus comitaretur Eucharistiam cùm defertur ad infirmos, & recitãtur aliqui Psalmi ad libitum sacerdotis, non Officium ordinatum, vnde tunc si assistat non toleratus, progrediendum est silentio sine vllis precibus, ne excommunicatus respondeat simul cum reliquis fidelibus; sic Palac. in 4. d. 18. disp. 3. colum. 31.

DVBITATVR octauò, quid faciendum est, si tempore quo in Ecclesia celebrantur Missæ & Officia diuina, ingrediatur non toleratus ad assistendum ibi?

Prima conclusio. Fideles assistentes debet illum precibus expellere, vel si preces non sufficiant, expellant vi, dummodo id fiat sine scãdalo & percussione, &, si opus fuerit, inuocato etiam auxilio brachij secularis, dummodo euitetur effusio sanguinis; si autem non possit commodè expelli, debent fideles exire ab Ecclesia. Sed quid facient ministri Ecclesiæ?

Secunda conclusio. Relinquant Officia diuina, in quacunque parte officiorum id cõtingat; vnde, vt refert Cordub. in Sum. q. cessauit quædam processio generalis, cui volebat interesse Prætor, qui clericum publicè coniecerat in carcerem. Si autem dicatur Missa, & nondum sit inceptus canon, qui incipit, *Te igitur*, omnes conueniunt Missam esse relinquendã; at verò si inceptus est canon, nonnulli dicunt, quòd potest sacerdos prosequi vsque ad consumptionem sacramenti cum vno tantùm ministro: facta autem consumptione moneat iterum excõmunicatum vt exeat, quòd si noluerit, pergat sacerdos in sacristiam, & ibi perficiat reliquum Missæ; ita Sylvest. ver. excommunicatio. 5. num. 3. vbi citat alios, tenet etiam Nauar. c. 27. num. 34. Sed probabilius est, quòd si nondum est incepta consecratio, debet sacerdos cessare, quia sacrificium non incipit ante consecrationem, vnde de illa parte canonis antequam incipiat consecratio, eadẽ ratio videtur sicut de præcedente parte Missæ; si verò incepta est consecratio, prosequatur modo tradito à Sylvestro, quia magis vrget diuinum præceptum de integritate sacrificij, quàm humanum de vitandis excommunicatis; ita Soto d. 22. q. 1. art. 4. colum. 8. & expressè etiam Nauar. tract. de oratione. notab. 16. num. 58. Idem tenet Innocentius, quem refert & videtur sequi Armil. ver. excommunicatio. numer. 39. & tenent alij multi viri grauissimi. Quòd si non sit sacristia, vel locus occultus, vbi sacerdos dicat ea, quæ sequuntur post consumptionem sacramẽti, relinquat ea, quia maior est obligatio vitãdi excommunicatum, quàm finiendi illud paruum. Sic multi viri docti.

Tertia conclusio. Si clericus celebret vel celebrare faciat Missam, vel alia Officia diuina coram nõ tolerato, præter minorem excommunicationẽ incurret etiã suspensionem ab ingressu Ecclesiæ, si scienter id faciat. c. Episcoporum. de priuilegiis. in 6. & si durante suspensione celebret intra Ecclesiam, manet irregularis. c. is cui. de senten. excommunicationis. in 6. Dixi, *intra Ecclesiam*: nam si celebret sub dio, vel in tentorio, vel in sacello non erecto autoritate Episcopi, non fit irregularis, bene tamen si intra Ecclesiam etiam non consecratam; ita Ledesma, Mexica diffic. 8. & de interdicto. & Nau. c. 27. num. 170. Verum est, quòd hæc suspensio & irregularitas solùm habent locum in clerico exempto à iurisdictione ordinaria, vt tradit Nauarr. capit. 25. num. 94. nam dictum capit. Episcoporum. conditum est in odium exemptorum.

Hîc tractanda erat illa quæstio, quando fideles peccent mortaliter, & quando venialiter communicando cum excommunicatis, nisi iam esset tractata disputatio. præcedent. dub. 3. in fine. & dub. 4.

Tertia particula est, Vale. DVBITATVR nonò, quid prohibeatur per illam?

Dico primò, quòd prohibetur ne excommunicatum non toleratum salutemus cum verbo aut scripto, nec resalutemus eum nos salutantem; possumus tamen dicere, *Deus te illuminet*. sic Antonin. 3. p. tit. 25. c. 2. in principio. Soto d. 22. q. 1. art. 4. concl. 3. & omnes. Aliqui etiam dicunt, quòd non licet caput eis detegere, nec assurgere, quia hæc sant salutationis indicia, vnde per hæc incurritur excommunicatio minor; ita Sylvest. ver. excommunicatio. 5. §. 1. vbi citat Palud. Alij verò dicunt oppositum, quoniam ius solùm vetat, *Nec aue ei dixeritis*, quod significat verbalem salutationem, nullum autem signum

gnum præter verba natura sua est institutum ad salutandum, sed ex accommodatione vsus. Præterea: nam pœnæ sunt restringendæ; hoc tenet Angel. ver. excommunicatio 8. n. 4. Tabiena eodem num. 5. Maior in 4. d. 18. q. 2. Palac. eadem d. disputat. 3. colum. 32. Soto supr. & Mexica difficult. 10 de excommunicat. casu 4.

Dico secundò. Hoc iudico probabilius dummodo non fiat animo salutandi, nec resalutandi, sed ne se ostendat inurbanum; ita Henr. lib. 13. c. 7. n. 3. lit. N. & c. 22. in fine. Nauar. c. 27. n. 20. & potest, si velit, dicere, *Deus te illuminet.*

Dico tertiò, quòd si verè intendat salutare, incurret minorem excommunicationem, & hoc modo possunt explicari Sylvest. & Palud.

Dico quartò, etiam tenendo quòd non licet caput detegere excommunicato, si ego subitò non aduertens de excommunicatione, quamuis habitu sciam aliquem esse excommunicatum, tego illi caput, non pecco, neque incurro minorem excommunicationem; ita Sylvest. supra, num. 26. §. 17. quia iste actus non est plenè deliberatus.

Quarta particula est, *communio.* DVBITATVR decimò, quid prohibeatur per illam?

Respondetur, quòd prohibetur omnis communicatio in sacramentis, in orationibus etiam priuatis, in contractibus humanis, & etiam in habitatione. De sacramentis & oratione iam dictum est.

Circa contractus nota primò, quòd sunt validi, vt diximus disp. 6. dub. 6.

Secundò nota, quòd non licèt contrahere cum famulis excommunicati non tolerati, vt vendendo, vel emendo, si contrahant eius nomine, nisi in casu quo liceret contrahere cum ipso excommunicato, nempe in necessariis ad vitam; ita Sylvest. verb. excommunicatio. 5. n. 12. & aliqui viri docti.

Circa habitationem nota, quòd intelligitur de habitatione in eadem domo, quando est pro eodem negotio; at verò pro diuersis negotiis licitum est habitare cum excommunicato in eadem domo, imò in eadem camera, dummodo non dormiant simul in eodem lecto, nec comedant in eadem mensa, nec loquantur inter se; sic Angel. verb. excommunicatio. 8. num. 4. Sylvest. sup. num. 3. Armil. verb. excommunicatio. num. 42. Tabien. verb. excommunicatio. 8. & Magistri.

Quinta particula est, *Mensa.* DVBITATVR vndecimò, quid prohibeatur per illam?

Dico quòd prohibetur comedere simul in eadem mensa, & dormire in eodem lecto, secus in eadem camera, si mensa & lectum sint diuersa, & non sumus ambo inuitati ad idem conuiuium; ita Sylvest. Tabien. & Armil. vbi sup. Et nota, quòd non tam est consideranda vnitas materialis mensæ, quàm vnitas moralis mensæ, seu prandij, ad arbitrium viri prudentis.

Hinc sequitur primò, quòd si in aliquo hospitio sit aliqua mensa mediocris longitudinis, & in vna parte mensæ comedat excommunicatus non toleratus, & in altera parte comedat alter non excommunicatus in eodem tempore nullam facientes societatem, sed vnusquisque per se, non censetur communicare in mensa, quamuis iidem cibi apponantur illis, quia illa sunt veluti diuersa prandia; sic aliqui viri docti. Dixi, *mediocris longitudinis*: nam quando mensa est paruula, censebitur communicatio in mensa.

Secundò sequitur, contingere posse quòd mensæ sint materialiter diuersæ, & nihilominus sit communicatio in mensa, vt si multi inuitati ad idem conuiuium comedant in diuersis mensis intra idem cubiculum, imò etiam in diuersis cubiculis, quia vnum non capit omnes conuiuas, vnde si ibi esset aliquis excommunicatus non toleratus, reliqui deberent surgere à prandio, si ipse non surgit; sic Anton. Sylvest. & alij citati dubio præcedenti, quia moraliter reputatur eadem mensa. Et hoc secundum corollarium intelligitur, quamis seruiant diuersi ministri, & ponantur diuersi

uersi cibi excommunicato,& reliquis, vt patet in refectorio Religiosorum: nam si in die Veneris quibusdam infirmis apponantur carnes, & reliquis pisces, omnes dicuntur communicare in eadem mensa; sic aliqui viri docti. Verum est,quòd si tot essent inuitati ad vnum conuiuium, vt vna domus non posset omnes capere,si in vna domo esset vnus conuiua excommunicatus, conuiuæ comedentes in alia domo non censerẽtur cõmunicare cum illo in mensa. Secundum corollarium intelligitur,quãdo propter multitudienm conuiuarum requiruntur plures mensæ; at verò si vna sufficeret omnibus, & ego vt euitem excõmunicatum, ingredior aliud cubiculum,vt ibi comedam, nõ communico in mensa: nam qui comedit solus & segregatus à reliquis conuiuis, non dicitur interesse conuiuio.

Tertiò sequitur,quòd si in aliquo refectorio Religiosorum sederet in mensa vnus excommunicatus non toleratus,reliqui ibi sedentes,licèt in aliis mensis, dicerentur communicare cum illo in mẽsa.

Quartò sequitur, quid dicendum sit quando ex testamento alicuius defuncti in eadem die & hora distribuitur cibus per vicinos illius oppidi: nam si conueniant in eundem locum, vt simul sumant cibum,dicuntur communicare in mensa, secus est si quãuis cibus detur vnicuique in loco quidem communi, tamen ita datur quòd possit illum obseruare,vt comedat in propria domo, tunc enim non est cõuiuium, sed est sicut eleemosyna quam quisque reportat.

Vltimò,dico cum Syluest.supr.num.3. quòd incurrit minorem excommunicationem, qui relinquit clauem & domum excommunicato non tolerato venienti ad domum comedere, vel permittit eum in alia mensa comedere, facie... hoc in fraudem propter eius fauorem acquirendum,vel ne illum offendat,secus si faciat, quia timet ne vim sibi inferat,vel si faciat causa humanitatis,quia putat eum hospitio vel alimentis indiger... Circa vltimum effectum excõmunicationis,scilicet quòd si per annum pertinaciter perseuerauerit in excommunicatione, sit suspectus de hæresi.

Dvbitatvr duodecimò, quomodo sit intelligendus hic effectus?

Prima conclusio. Conuentus super crimine,siue ciuiliter,siue criminaliter,& ob contumaciam excommunicatus,& in eadem excommunicatione per annum perseuerans, conuictus censetur de crimine, de quo fuit accusatus. Nauarr.c.27.n.23. Couar.c.alma mater p.1.§.7.num.10. vbi citat Abbatem, & alios,& est textus can. rursus.& can.quicunque.el 2.11.quæst.3. Hinc sequitur,quòd si aliquis eò quòd est suspectus de hæresi vocetur ab Inquisitoribus,& ipse fugiat, & in excommunicatione in eum ob contumaciam lata perseuerauerit per annum, puniendus est tanquam hæreticus,ita Couarru. notab.5.& est textus c.cùm contumacia.de hæreticis. in 6.Vtrùm autem perseuerãs per annum in excommunicatione lata ob contumaciam sit priuandus beneficio,vel requiratur quòd perseueret per triennium,videte Nauar.& Couar.locis citatis.

Secunda conclusio. Qui fuerit excommunicatus quacunque ex causa, si in excommunicatione pertinaciter perseuerauerit per annum,fit suspectus de hæresi;ita Concilium Tridentinum sess.25.cap.3.de reformatione.quia præsumitur malè sentire de potestate clauium Ecclesiæ. Circa istam conclusionem sunt aliqua notanda.

Primò, quòd iste non est puniendus tanquam hæreticus. Secundò,quòd licèt hæc suspicio sit leuis,vt tradit Directorium Inquisitorum. 2.part.q.47.quem sequitur Couarru.sup.notab.4. Nihilominus sufficit ad inducendam purgationem, quam si subire noluerit, & adhuc in excommunicatione permanserit, tunc velut impœnitens,pertinax,& hæreticus condemnari potest;ita Simancas de Catholicis institutionibus.tit.27.num.4. & est textus c.excommunicamus.el 1.§.qui autem. de hæreticis. Vltimò nota,quòd qui per aliquod

tempus

tempus etiam ante annum pertinaciter perseuerauerit in excommunicatione, debet puniri aliqua pœna temporali, de quo sunt leges nostri regni, quas refert Couar. sup. notab. 4.

Disputatio X.

De pœnis quæ incurruntur propter communicationem cum excommunicato in rebus prohibitis.

Dvbitatvr primò, vtrùm qui participat cum excommunicato in rebus prohibitis, incurrat excommunicationem? Quod dubium tractat Soto dist. 22. q. 1. artic. 4. sed latiùs Couar. cap. alma mater. p. 1. §. 3.

Prima conclusio. Qui participat cum excommunicato minori excommunicatione, neque incurrit excommunicationem, nec peccat, quia minor excommunicatio non transit in tertiam personam, ita Soto sup. parum post secundam conclusionem. Armil. verb. excommunicatio. num. 97. & est textus can. quoniam multos. 11. q. 3. & glossa can. excellentissimus. eod. tit.

Secunda conclusio. Qui post Concilium Constantiense communicat cum excommunicato maiori, tolerato tamen, etiam in casu quòd peccet, non incurret minorem excommunicationem, vt dixi disp. 8. dub. 1.

Tertia conclusio. Qui in rebus prohibitis communicat cum excommunicato non tolerato, regulariter loquendo, solùm incurrit minorem excommunicationem, vt patet ex can. excommunicatos. & can. cum excommunicato. 11. q. 3. & aliis textibus, inter quos est optimus textus c. à nobis. de exceptionib. Nec obstat quòd in dicto can. excommunicatos. dicatur, quòd qui communicat cum excommunicato, simili excommunicatione innodabitur: nam, vt bene ait Couar. num. 3. non est sensus quòd incurret maiorem excõmunicationem; illa enim dictio, *simili*, non significat æqualitatem excommunicationis, sed multitudinem, ideſt, quòd etiam incurret excommunicationem, minorem tamen, vt apertè constat ex c. vlt. de clerico excommunicato ministrante. Et hæc conclusio intelligitur non solùm quãdo talis communicatio est peccatum veniale, sed etiam quamuis sit mortale, vt si sit in diuinis; verbi gratia, si audio Missam simul cum excommunicato non tolerato, vnde infirma est valde ratio Soti, qua probat tertiam conclusionem, scilicet quia talis communicatio solùm est peccatum veniale. Dixi in conclusione, *regulariter*, quoniam in tribus casibus incurritur maior excommunicatio propter participationem cum excommunicato. Primus est, quando aliquis communicat cum excommunicato nominatim à Papa ita Soto concl. 4. Couar. sup. Sylvest. verb. excommunicatio. 5. n. 22. & verb. excommunicatio. 7. n. 12. & Nauar. cap. 27. num. 93. & est textus c. significauit. de sentent. excommunicat. Et quòd textus loquatur de maiori excõmunicatione, probat optimè Soto ex ipso textu, dicente quòd pro beneficio absolutionis recurrendum est ad summum Pontificem. Secundus casus est, quando aliquis communicat cum excommunicato in crimine criminoso, scilicet in illo pro quo lata est excommunicatio. cap. nuper. & cap. si concubinæ. de sententia excõmunicat. Tertius est, quando communicat cum excõmunicato excommunicatione lata contra participantes. capit. quod in dubiis. de sententia excommunicat. In his casibus omnes conueniunt. Alij addunt quartum, & quintum. Quartus est, quando aliquis scienter præsumit sepelire in loco sacro publicè excommunicatum. Quintus, quando aliquis scienter præsumit sepelire in loco sacro hæreticos, vel eorum fautores, & defensores: sed hæc excommunicatio non incurritur propter participationem cum excommunicato, quia excommunicatus est, sed quia violatur præceptum continens excommunicationem, in cap. qui-

cunque.de hæreticis.in 6. Vnde quamuis daremus,quòd hæreticus vel eius fautor, non esset excommunicatus, nihilominus qui eos sepeliret,incurreret maiorem excommunicationem; vnde hic casus non est ad propositum, reliqui sigillatim sunt explicandi. Vnde

DVBITATVR secundò circa primum casum,quomodo sit intelligendus?

Respondetur. Sex requiruntur conditiones,vt incurratur hæc maior excõmunicatio.Prima, quòd cõmunicans sit clericus.Secunda,quòd communicatio sit in diuinis,& hoc non quomodocunque,sed admittendo talem excommunicatum à Papa ad Officia diuina intra Ecclesiã vel extra;vnde clericus,qui simul cum tali excommunicato interesset diuinis Officiis tanquam vnus de populo nõ incurrit maiorem excõmunicationem,sed minorem; ita Caiet.verb.excõmunicatio.cap. 58.& Nauar.c. 27. n. 93. Tertia, quòd id faciat sciens eum esse excõmunicatum à Papa: nam textus dicit,*scienter*.Quarta,quòd faciat sponte:nam id dicit textus,ex quo sequitur,quòd non incurrit qui id facit aliquo metu, licèt non sit iustus nec cadens in virum constantẽ, dummodo talis metus fuerit causa sine qua non huius communicationis:iste enim licèt non excusaretur à peccato mortali,excusaretur tamẽ ab excommunicatione maiori: ita Caiet. cap.58.Couar.sup num.4.& multi Magistri:nam quilibet metus etiam leuis sufficit,vt actus non sit omnino spontaneus, & hoc admittit Nauarr. solùm quantùm ad forum interius, non quantùm ad exterius. Quinta,quòd sit iudicatus à Papa iudicialiter & nominatim; ita Caiet. & Nauar.probat bene Caiet. nam aliàs hæc excommunicatio comprehenderet participantes in diuinis cum excommunicatis quacunque excommunicatione contenta in iure cõmuni, vel in Bulla Cœnæ: nam omnes sunt Papales;imò vlteriùs requiritur.Sexta, post Concilium Constantiense,scilicet quòd sit nominatim denunciatus,vt rectè ait Nauarr. Circa secundum casum, scilicet de participatione in crimine criminoso,

DVBITATVR tertiò, quomodo sit intelligendus?

Prima conclusio.Vt ista maior excommunicatio incurratur,quatuor cõditiones requiruntur.Prima,quòd cõmunicet cum excommunicato in illo crimine propter quod lata est excommunicatio, & hoc est participare in crimine criminoso. Hæc cõditio apertè constat ex c. nuper.& cap. si concubinæ.de sentent. excommunicat. Secũda,quòd communicet in illo crimine,postquam principalis, cum quo communicat,incurrerit excommunicationem propter tale crimen;sic Caiet.verb. excõmunicatio.c.57.Sylvest.verb. excommunicatio.8. n. 10.Nauar.c.27 num. 111.& latiùs num.33.probat optimè Caiet.nam in dicto c.nuper.dicitur, *Si aliquis scienter participet in crimine criminoso cum excommunicato*;at verò qui communicat antequam principalis incurrat excommunicationem, non dicitur participare cum excõmunicato.Si obiicias, quòd multoties qui consulit, mandat vel cooperatur ad aliquid,cui est annexa excommunicatio, incurrit excommunicationem, quamuis mandatus vel consultus non priùs incurrerit eam.Respondetur cum Nauar.n.33. quòd iste non incurrit excommunicationem ratione participationis in crimine criminoso (de qua nunc loquimur) sed quia lex excommunicans facientes, multoties extenditur ad cooperantes, mandantes,vel cõsulentes;& ad incurrendam hanc non requiritur quòd mandatus vel cõsultus priùs incurrerit excommunicationem,sed ipse & mandans vel cõsulens simul incurrunt illam,imò aliquando incurrit mandans vel consulens, quamuis mandatus vel consultus non incurrat, vt quando aliquis mandauit interficere per assassinos,incurrit,quamuis non sequatur effectus,vt patet ex dictis cap.5. disputat. 3.dub. 6. Tertia conditio est,quòd communicet sciens illum iam incidisse in excommunicationem propter tale crimen:

nam

nam in cap.nuper. dicitur, quòd participet scienter. Quarta est post Concilium Constantiēse, quòd principalis sit nominatim denunciatus. Istæ conditiones exēplis erunt claræ. Mandatum est alicui clerico sub excommunicatione latæ sententiæ, vt intra sex dies expellat è domo concubinam, qui post incursam à clerico excommunicationem præstat ei consilium, auxilium, vel fauorem, ne eam expellat, incurrit maiorem excommunicationem; ita Sylvest. verb. excommunicatio. 8. numero. Covar. c. alma mater. p. 1. §. 3. num. 5. & habetur ex dicto c. nuper. & cap. si concubinæ. Similiter, scio Petrum esse excommunicatum siue à iure, siue ab homine, quia non soluit quod debet; & cōsulo illi ne soluat, cùm tamen commodè possit, communico cum illo in crimine criminoso, & incurro eandem excommunicationem maiorem; si autem ego adiuuarē illum vt non caperetur à Iudice, nō communico in crimine criminoso; quod intelligendum est, quādo adiuuo eo animo vt non suspendatur, vel vapulet à Iudice propter tale furtū; at verò si iuuo eo animo, vt nō restituat, incurro maiorem excommunicationem. Sic aliqui viri docti.

Ex iis conditionibus sequuntur nonnulla corollaria. Ex prima enim conditione sequitur primò, quòd si cōcubina clerici sit excommunicata, quia communicauit in crimine criminoso cum clerico, & laicus cognoscat concubinam, non incurrit hanc excommunicationem maiorem, quia non participat in crimine, propter quod lata fuit excōmunicatio, quòd scilicet erat concubitus sacrilegus, ita Panormit. dicto cap. si concubinæ. imò dico, quòd licèt alius clericus cognosceret eā, non incurreret maiorem excommunicationem: nam excommunicatio solùm est imposita propter sacrilegium cum illo primo clerico; secus est si illa excommunicaretur in generali, quia admittit clericos, tunc quicunque clericus accederet ad illam, postquam illa incurrit excommunicationem, manebit etiam ipse excommunicatus maiori excommunicatione. Præterea dico, quòd si alicui fœminæ prohibitum esset sub excommunicatione latæ sententiæ, vt abstineret à quocunque concubinatu, qui ter vel quater cognosceret eam, non incurreret hanc excommunicationem: nam ad concubinatum requiritur magna frequentia.

Secundò sequitur, quòd si duo consanguinei scienter contraxerunt matrimonium, propter quod incurrerunt excommunicationem positam Clement. 1. de cōsanguinit. & affinit. licèt perseuerent in tali matrimonio, & habeant copulā, non incurrunt excommunicationem contra participantes in crimine criminoso, quia illa excommunicatio dictæ Clementinæ, solùm est imposita aduersus eos qui contrahunt; verum est, quòd qui præberet consilium, auxilium, vel fauorem, vt non recederet à tali crimine, participaret in crimine criminoso; ita Sylvest. verb. excommunicatio. 9. in explicatione excommunicationis. 41. q. 8. n. 79.

Ex conditione secunda sequitur tertiò, quòd qui communicat etiā in illo primo actu, propter quē principalis incurrit excommunicationem, non manet excommunicatus maiori; ita Caiet. supr. & Nauar. n. 33. quoniam non communicat cum excommunicato, siquidē principalis pro tunc nondum est excommunicatus; vnde si aliquis persuadeat & cooperetur Religioso, vt temere dimittat habitum, non incurret hanc excommunicationem, incurret tamen illam, si postquam Religiosus manet excommunicatus propter dimissionem habitus, persuadeat illi, vt non reassumat habitum, ita Caiet. sup. & omnes. Dico, *hanc excommunicationem*, ne aliquis decipiatur: nam licèt in iure cōmuni non sit imposita excommunicatio contra apostatas à religione, sed tantùm contra temere dimittentes habitum religionis, quæ habetur in cap. periculosa. ne clerici vel monachi. in 6. & hæc non extenditur ad consentientes, vel cooperantes; nihilominus religiones ipsæ munitæ

sunt Pontificis priuilegiis, quibus excommunicantur apostatæ à religione, & hæc excommunicatio etiã extenditur ad dantes auxilium, vel fauorem, vt habetur ex Compendio Minorum, verbo, apostatæ. §.24. quæ concessio est Iulij II. & in Compendio Societatis eodem verbo. §.3.

Secunda conclusio. Hæc excommunicatio incurritur toties, quoties quis participat cum excommunicato, in crimine criminoso, ita vt dicantur diuersæ participationes; ita Nauar. c.27.n.112.

Petis, vtrùm hæc excommunicatio sit iuris vel hominis?

Tertia conclusio. Iuris est, non hominis, contra glossam cap. statuimus. de sententia excommunicatio. in 6. verb. constitutionibus. ita tenet Sylvest. verb. excommunicatio. 8. n. 11. Couarr. §.3. citato n. 5. vbi citat Abbatem & communem, & patet ex ipso textu cap. nuper. ibi, *Non Iudicis, sed iuris sententia, excommunicato communicans sit ligatus.*

Ex quo infertur primò, quòd participans ligatur siue sit in territorio excommunicantis principalẽ, siue extra; siue sit subditus, siue non, quia iuris autoritate ligatur; ergo hæc excommunicatio non restringitur ad hoc vel illud territorium, ad has vel illas personas; sic Anton. 3. p. titul. 25. c.35. Syl. ver. excommunicatio. 8. n. 11. Tabien. eodem ver. in fine.

Vnde secundò infertur, quòd laicus vel Religiosus, qui in hac prouincia Peruana ludit cum clerico summam excedentem quinquaginta aureos, incurrit excommunicationem, si iste clericus iam est excõmunicatus & denunciatus, eò quòd alia vice excessit in ludo eandẽ summam, iuxta c.17. actionis tertiæ Concilij Limensis.

Tertiò sequitur, quòd si ipsemet excõmunicans communicet in crimine cum excommunicato à se, incurrit excommunicationem maiorem, quia ligatur autoritate iuris; sic Anton. supr. & Sylvest. dicto n.11. & alij.

Quarta conclusio. Ab hac excommunicatione ille tantùm potest absoluere, qui ab excommunicatione principali potest absoluere, vnde cui hæc principalis fuerit reseruata, illa etiam reseruata erit, & si nulli fuerit reseruata, nec illa erit reseruata; sic dicto cap. nuper. Vnde si principalis fuerit reseruata excommunicatori, ad illum vel Superiorem debet recurrere pro absolutione participãs, quamuis non sit subditus eius, & hoc ratione delicti, vt habetur dicto c. nuper. Circa quartam conditionem, scilicet quòd principalis debet esse denunciatus.

DVBITATVR quartò, vtrùm sit vera?

Prima opinio tenet, non requiri quòd principalis sit nominatim excommunicatus, nec notorius percussor clerici; ita Caiet. ver. excommunicatio. cap.57. & Soto d.22.q.1.art.4. concl.3. & aliqui Thomistæ. Probatur ex c. si concubinæ. de sentent. excommunicat. vbi excommunicatur clericus, qui concubina iam excommunicata participat in crimine, neque exprimitur quòd illa debeat esse non tolerata.

Secunda opinio dicit, quòd modò post Concilium Constantiense requiritur, principalem esse non toleratum, nempe vel nominatim denunciatum, vel notorium percussorem clerici; ita Victoria in Sum. de excommunicat. n.10. Nauar. c.27. num. 112. & clariùs in summa Hispana.

Tertia opinio dicit duo. Primò, sufficere & requiri, quòd principalis sit nominatim excõmunicatus, quãuis non sit denũciatus. Secundò, dicit non sufficere quòd sit notorius percussor clerici, nisi sit nominatim denunciatus. Probatur hæc opinio ex dicto c. nuper. vbi expressè dicitur, quòd participet cũ nominatim excõmunicato, nulla mẽtione facta de denunciatione, nec de notoriè percussore clerici.

Si obiicias Concilium Constantiense. Respondet hæc opinio, quòd mens Concilij solùm fuit loqui de participatione cũ excommunicato quoad minorẽ excommunicationem. Hanc opinionem tenent aliqui viri docti, & citant Angel. verb. excommunicatio. 8. n.1. & Sylvest. eodem verb. num.10. sed vix potest colligi ex co-

rum mente hæc sententia.

Ego dico primò, requiri quòd principalis sit nominatim denũciatus, & in hoc conuenio cum secunda opinione.

Dico secundò, non sufficit quòd principalis sit notorius percussor clerici, nisi sit nominatim denunciatus, & in hoc cõuenio cum tertia opinione. Probo primũ dictum: nam Concilium Constantiense generaliter moderatur omnes censuras à iure vel ab homine, ne comprehendant participantem cum excommunicato tolerato, & cùm hæc dispositio sit fauorabilis, potiùs extendenda est quàm limitãda. Confirmatur: nam lex disponẽs indistinctè de genere, vendicat sibi locũ in omni eius specie. c. solitæ. de maioritate & obedientia. ergo Concilium Constantiense non solùm moderatur excommunicationem minorem, sed etiam maiorem. Confirmatur secundò: Concilium voluit vitare scãdala fidelium; ergo præcipuè voluit vitare illud in participatione in crimine criminoso, ex qua maius imminebat scandalum & periculum. Præterea: nam propter hanc rationem Innocentius III. in dicto cap. nuper. (quamuis tunc temporis incurreretur minor excõmunicatio propter participationẽ cum quocunque excommunicato) noluit tamen quòd hæc maior excommunicatio incurreretur, nisi propter participationem cum nominatim excommunicato. Probo secundum dictũ: nam iuxta cap. nuper. non comprehenderetur qui participaret in crimine cum notoriè percussore clericorum, si non esset nominatim denunciatus; ergo nec modò post Concilium Constantiense. Probatur antecedens: nam hæc maior excommunicatio solùm habetur ex dicto cap. nuper. & cap. si concubinæ. sed in c. nuper. nulla fit mentio de participante cum notoriè percussore clerici, sed solùm de participãte cum nominatim excommunicato; & in cap. si concubinæ. non est conditum nouum ius; ergo. Consequentia verò probatur: nam Decretum Constantiense inductum est ad ampliandum in fauorem animarum; ergo non debet operari restrictionem, iuxta l. legata inutiliter. ff. de adimendis legatis. & cap. finale, de verborum significat. Vnde hoc Decretum ampliauit quod inuenit restrictum in c. nuper. quod verò inuenit amplum, reliquit amplum.

Ad fundamẽtum primæ opinionis respondetur, quòd Gregorius IX. qui condidit c. si concubinæ. non intendit condere nouum ius, sed solùm respõdere ad casum sibi propositum, iuxta cap. nuper. imò ego dico quòd illud verbum, *notentur*, positum in cap. si concubinæ. clarè videtur denotare, quòd sint nominatim excommunicatæ, & sic explicat glossa, præsertim cùm secundùm ius non sit imposita excõmunicatio cõtra concubinas clericorum.

Ad fundamentum tertiæ opinionis in quantum probat: primum dictum illius opinionis patet ex dictis, quòd Cõcilium Constantiense, quod fuit posterius quàm cap. nuper. generaliter moderatur omnes mensuras, ne comprehendant participantem cum tolerato.

Ex dictis sequitur, quòd si postquam Petrus est excommunicatus ob manifestã clerici percussionẽ, Franciscus det illi auxilium, vt non satisfaciat, neque exeat ab excommunicatione, non incurret maiorẽ excommunicationem, si Petrus nõ est denunciatus, secus verò si est denunciatus.

Hîc disputant nonnulli, vtrùm qui ratam habet percussionem clerici suo nomine factam, censeatur communicare in crimine criminoso. Sed nos dicimus, quòd licèt iste incurrat excommunicationem, non est quia participat in crimine criminoso, siquidem hæc ratihabitio potest fieri mortuo percussore, & per consequens non est participatio cum illo, sed ideo incurrit, quia hæc ratihabitio comparatur mandato, iuxta dicta cap. 5. disput. 3. dub. 9. & excommunicatio contra percurientes clericum etiam extenditur ad mãdantes, vt diximus ibid. dub. 2. ad 2.

Circa tertium casum, scilicet quando aliquis cõmunicat cũ excõmunicato excõmunicatione lata contra participantes,

DVBITATVR quintò, quomodo intelligendus?

Prima conclusio. Stando in iure nouo, quicunque Iudex inferior Papa vt validè excommunicet participates cum excommunicato ab eodem Iudice in loquutione, & in aliis, in quibus secundùm ius tantùm incurrebatur minor excommunicatio, debet nominatim monere tales participantes, scilicet Petrum, vel Ioannem, ne cum tali excommunicato participent, & hoc præcedentibus tribus monitionibus, vel vna pro tribus cum competenti interuallo, & aliter sententia erit nulla. Hæc conclusio est determinata in cap. statuimus. iuncto cap. constitutionem. de sententia excõmunicationis. in 6. nam Gregorius X. in cap. constitutionem. ampliauit cap. statuimus. conditum ab Innocentio IV. Vnde hanc conclusionem tenet glossa dicto cap. constitutionem. Sylvest. verb. excommunicat. 2 §. 1. casu 9. & verb. excommunicatio. 5. num. 19. Nauar. c. 27. num. 4. Ioannes Gutierrez Canonic. q. c. 5. num. 31. & omnes Doctores. Põderanda sunt autem verba conclusionis: diximus enim, *stando in iure nouo*: nam secundùm ius antiquum non erat necessarium, quòd participantes nominatim admonerentur, vt constat ex cap. quod in dubiis. de sententia excommunicationis. quod conditum est ab Innocentio III. & ex can. excellentissimus. 11. quæst. 3. & secundùm hoc ius antiquum loquitur D. Th. in additio. quæstio. 23. art. 4. dum ait, quòd quando aliquis excõmunicatur cum participantibus, omnes participantes cum illo incurrunt maiorem excommunicationem. Dixi, *quicunque Iudex ad comprehendendum Iudicem ordinarium, & etiam delegatum*: nam capit. statuimus. ait, *nullius Iudicum*, & cap. statutum. de sententia excommunicatio. in 6. dicitur, *ab ordinariis vel delegatis*. Dixi, *inferior Papa*: nam Papa non astringitur iuri communi. Dixi, *cum excommunicato ab eodem Iudice*: nam si excommunicet participantes cum excommunicato ab alio Iudice, vel à iure communi, vel statuto particulari, non requiritur monere specialiter & nominatim ipsos participãtes, sed sufficit generalis monitio, scilicet, Excommunico omnes participantes cum tali excommunicato. Sic glossa dicto c. statuimus. Sylvest. & Nauar. sup. Tabien. verb. excommun. 2. num. 10. post nonum casum. Couar. c. alma mater. par. 1. §. 3. num. 6. Gutierrez sup. num. 32. & communiter Doctores. & probatur ex dicto cap. statuimus. ibi, *cum excommunicatis ab eo*. Verum est quòd si prætermittatur monitio canonica, scilicet tres monitiones, vel vna pro tribus, erit illicita excommunicatio, iuxta dicta sup. cap. 5. disputat. 1. dub. 9. Ratio autem quare hæc constitutio solùm procedit quãdo Iudex excommunicat participãtes cum excommunicatis ab eo est, quia Iudices seuerius curant obseruari excommunicationes à se latas, quàm ab aliis. Ex hoc sequitur quòd si per constitutionem Synodalem essent excommunicati ipso facto qui non confitentur vel communicant in Paschate, & Episcopus eos denunciaret pro excommunicatis, & simul ferret sententiam excommunicationis maioris contra omnes participantes cum eis, quamuis non admoneat nominatim ipsos participantes, valida erit excommunicatio; ita Nauar. supr. Gutierrez num. 32. & Magistri, quia iste non excommunicat participantes cum excommunicato à se, sed à constitutione Synodali; & suppono quòd Episcopus denuncier in particulari, & nominatim eos qui non communicarunt in Paschate, & non sufficit denunciare in generali. Addit Soto in cõclusione, quòd si Iudex excommunicet participãtes cum excommunicatis ab alio, si non nominet ipsos excommunicatos, cum quibus prohibetur communicatio, sed dicat, *Excommunico omnes participantes cum excommunicatis huius vrbis*, licèt dicat, *cum nominatim excommunicatis, vel notoriè percussoribus clericorum*, non valeret excommunicatio, nisi nominet illos propriis nominibus, vel officiorum, vt dicendo, *cum Prætore*, inõ

ait

ait quòd non sufficeret dicere, *cum ministris iustitiæ*, quia sunt plurimi & incerti; si autem diceret, *cum Senatoribus*, valida esset. Fundamentum Soti est, quòd ex oppositio magna sequeretur perturbatio & confusio in Republica. Nonnulli absolutè reiiciunt hanc sententiam, quia nullus est textus pro ea; alij sequuntur eam, quibus ego assentio: nam intentio Ecclesiæ est, quòd participantes cum excommunicatis regulariter non incurrant maiorem excommunicationem, nisi in certis quibusdam casibus, ad euitanda pericula animarum. Imponere autem maiorem excommunicationem contra participantes vrbis, esset illaqueare animas. Verum est, quòd si excõmunicatio ponatur sub hac forma, *Excommunico omnes scienter participantes cum excommunicatis non toleratis huius vrbis*, valida erit & licita quantùm ad participantes cum excommunicatis ab alio: nam ex quo requiritur dolus, cessat confusio. Dixi, *in quibus secundùm ius incurrebatur minor excommunicatio*, propter duo. Primò, vt excipiamus communicantes cum excommunicato in crimine criminoso: nam qui excommunicaret Mariam, si permitteret se cognosci ab aliquo clerico, & omnes clericos qui illam cognoscerent carnaliter, tunc talis excommunicatio esset valida, quamuis clerici non monerentur nominatim. Vnde in dicto cap. statuimus. dicitur, *salutis constitutionibus contra illos qui in crimine præsumunt participare damnato.* Aliter explicat hæc verba glossa magna, videte illam. Secundò, posita sunt illa verba, *Dixi in quibus, &c.* ad denotandum, requiri quòd excommunicati, cum quibus prohibetur participatio, debent esse non tolerati: nam si sint tolerati, sicut non incurritur minor excommunicatio iuris; ita neque hæc maior excommunicatio Iudicis.

Contra conclusionem est argumentum: nam consuetudo videtur obtinuisse quòd dentur huiusmodi excommunicationes contra participantes in generali sine hoc quòd in particulari nominentur. Ad hoc Nauarr. num. 4. citato respondet primò, quòd in Lusitania seruatur ad literam cap. constitutionem. Secundò respondet, quòd sicut Iudices dicunt se esse in consuetudine & possessione ferendi hoc modo excommunicationem, ita etiã subditi sunt in consuetudine & possessione non se reputandi pro excommunicatis talibus excommunicationibus, nisi quando specialiter nominantur; & ad hoc vt cap. constitutionem. esset derogatum, requiritur, quòd ipsi fideles se reputarent excommunicatos maiori excommunicatione. Hanc solutionem amplectitur Palac. in 4. dist. 18. disputat. 5. colum. 12. post 8. conclusionem. vbi ait se reprehendisse hac de causa quendam Iudicem ecclesiasticum. Eandem sequitur Gutierrez sup. num. 42. & communiter Magistri; & ait Gutierrez, quòd hæc erit legitima praxis, quòd pars nominet certas personas, quibus sit præcipiendum sub excommunicatione maiori, ne communicent cum excommunicato, & tunc Iudex eisdem præcipiat sub maiori excommunicatione latæ sententiæ, vt intra terminum sex dierum, quos eis assignat pro tribus canonicis monitionibus, abstineant à participatione cum tali excommunicato, & pertinaciter insistentibus contrario stylo dicitur, quòd est malus stylus.

Petis iam, quòd ista excommunicatio data contra formam dicti cap. constitutionem. sit nulla, vtrùm præceptum Iudicis obliget ad mortale?

Partem affirmatiuam tenet Nauarr. in Summa Hispana, c. 27. num. 31. & 47, & aliqui viri docti; idem videtur tenere Cordub. in Summa. quæst. 179. & potest probari. Primò: nam intentio Iudicis fuit præcipere in virtute sanctæ obedientiæ. Secundò: nam in aliis casibus quamuis Iudex excommunicet, non præmissa canonica monitione, præceptum eius obligat ad mortale.

Secunda

Secunda conclusio. Probabilius est, quòd non obligat ad mortale; ita Sylu. verb. excommunicat.5. n.6. circa finem. Armil. verb. excommunicatio.n.49. Mexica difficult. 10. de excõmunicat. dub. 1, post 5.casum.glossa noua Angeli verb.excommunicatio.4.num.4.&aliqui viri docti. Probatur: nam intentio Iudicis fuit, ne illaquearentur animæ,& magnus laqueus esset, si obligarentur ad mortale. Secundò, ius prohibuit Iudicibus ne ponant simile præceptũ;ergo sicut talis sententia non habet vim obligandi quoad excommunicationẽ maiorem, ita etiam nec quoad peccatum mortale, imò etiam dico cum aliquibus viris doctis, quòd si Iudex sub eadem generalitate præciperet fidelibus sub excommunicatione ferẽda, ne participent cum excommunicato à se, non obligarentur ad mortale.

Ad primum respondetur, non esse præsumendum, quòd Iudex velit dare maiorem vim suo præcepto, quàm sententiæ excommunicationis,& quãuis velit, non sufficit, propter rationes dictas:nam esset contra intentionem iuris.

Ad secundum negatur consequentia, quoniam illa excommunicatio est valida, hæc autem nulla.

Tertia conclusio. Quod dictum est de sententia excommunicationis, idem dicendum est de sententia suspensionis & interdicti lata à Iudicibus contra participantes cum excommunicatis à se, atque adeò erit nulla;ita Nauar.c.27.num. 165. Sylvest.verb.excommunicatio.2.§.1.casu 9.& est textus expr[illegible]s cap. statutum.de sententia excommunicat.in 6.

Circa quartum casum contentum in Clement.1.de sepulturis. scilicet quando aliquis scienter præsumit sepelire in loco sacro publicè excommunicatum,

DVBITATVR sextò, quomodo sit intelligendus? Hunc casum explicat Caiet. verb. excommunicatio. cap.46. Sylvest. verb.excommunicatio.9.num.66.Nauar. cap.27.num.173. Respondetur pro intelligentia illius.

Dico primò, quòd ad incurrendã hanc excõmunicationẽ requiritur dolus, quia textus dicit, *qui scienter præsumpserit*, vnde excusat ignorantia etiam crassa iuxta dicta cap.5.disputat.5.dub.9.

Dico secundò, quòd hæc excommunicatio solùm comprehendit eos qui sepeliunt actione physica & reali, id est, qui propriis manibus accipiunt defunctum, & deponunt in sepultura, quia Papa noluit extendere hãc excommunicationem ad mandantes vel cõsulentes,nec ad prosequentes funus,& pœnæ sunt restringẽdæ;sic Caiet.& Nauar. & apertè sentit P. Henr.lib. 13.de excommunicat. cap.43. num.3.quamuis alij citati à Sylvest. verb. excommunicatio.9.num.70. teneant oppositum:sed nostra sentẽtia confirmatur ex dictis sup.cap.5.disput.3.dub.2.

Dico tertiò,ad incurrendam hanc excommunicationem requiritur, quòd excommunicatus qui sepelitur sit non toleratus,ita Nauar. & aliqui viri docti cõtra alios,qui sequentes Caiet.dicunt,sufficere quòd sit publicè excommunicatus: sed nostra sententia probatur.nam Concilij Constantiense generaliter moderatũ est omnes censuras à iure vel ab homine, ne comprehendant cõmunicantes cum excommunicato tolerato,vt diximus dub.4. Aduertendum est tamen, quòd non licet sepelire in loco sacro excommunicatum toleratum,vt dixi disput.9.dub.6.ad 2.

Vltimò dicendum est in hac disputatione, quòd orans pro excommunicato non tolerato oratione publica, licèt peccet,non tamen incurrit minorem excommunicationem, quia hoc non est communicare cum excommunicato, vt dixi disputat.9.dub.4.

DISPVTATIO XI.

De casibus in quibus licitum est communicare cum excommunicato.

DVBITATVR primò, vtrùm sint aliqui casus, in quibus liceat communi

municare cum excommunicato non tolerato?

Conclusio affirmatiua. Qui casus his versibus continentur:

Hæc anathema soluunt, ne possit obesse, Vtile, Lex, Humile, Res ignorata, Necesse.

Explicantur à Nauarr. capit. 27. num. 27. Sylvest. ver. excommunicatio. 5. num. 4. Dixi, *non tolerato*: nam cum tolerato in aliis etiam casibus licet communicare, vt diximus sup. disput. 8. dub. 1. Hæ autem particulæ sigillatim sunt explicandæ. De prima, scilicet *Vtile*,

DVBITATVR secundò, quomodo sit intelligenda?

Conclusio, quòd intelligitur vtilitas spiritualis propria, vel ipsius excommunicati, vt in exemplis sequentibus patebit. Primò enim Concionator potest concionari coram excommunicato non tolerato, vt dicemus latiùs. Secundò, potest aliquis illi consulere quod conuenit eius saluti spirituali, & potest ad hoc interponere aliqua verba vrbana ad captandam beneuolentiam, vt sic efficaciùs persuadeat; ita Soto d. 22. q. 1. art. 4. Nauarr. cap. 27. numer. 27. Couarru. capit. alma mater. p. 1. §. 1. numer. 10. & est textus cap. cùm voluntate. de sentent. excommunicat. & similiter erit licitum exhibere illi aliqua signa exteriora beneuolentiæ & amicitiæ, vt eum salutare, & detegere caput, & si mittat ei consilium in scriptis, potest in principio epistolæ ponere solitam salutationem; hoc est contra Sylvest. verb. excommunicatio. 5. num. 3. & contra Armil. ver. excommunicatio. n. 40. dicentes quòd quando scribitur communicato in casibus concessis, non licet ponere solitam salutationem, sed loco salutationis ponere spiritum consilij, vel aliquid simile; sed nostra sententia probatur efficaciter ex dicto cap. cùm voluntate. vbi dicitur quòd licet interponere alia verba, vt magis proficiat. Præterea: nam concesso aliquo fine, conceduntur media conducentia ad finem; & propter eandem rationem credo cum aliis viris doctis idem licere, quando propter alias causas licitum est scribere excommunicato, vt ad petendum consilium, & aliis statim dicendis.

Sed est aduertendum cum Couar. sup. & Maior. in 4. d. 18. quæstio. 1. argumento 4. quòd hoc debet intelligi dummodo fiat syncerè & absque fraude: nam si quis simulatione quadam alloquatur excommunicatum prætextu consiliandi, sciens tale consilium nihil profuturum ad salutem, non excusatur ab excommunicatione minori; vnde ait Sylvester ver. excommunicatio. 5. num. 4. quem sequuntur aliqui viri docti, quòd tandiu possunt fideles communicare cum excommunicato pro eius salute, quandiu probabiliter sperant correctionem, & non ampliùs. Tertiò, licitum est Confessori audire confessionem excommunicati non tolerati, nec requiritur quòd priùs eum absoluat ab excommunicatione, quàm audiat confessionem, vt dixi disputat. 3. dub. 4. in principio. Imò licèt compertum esset Confessori, talem pœnitentem non esse absoluendum propter eius indispositionem, posset eum admittere ad confessionem, vt præbeat ei salubre consilium, iuxta cap. quod quidam. de pœnitentiis & remissionibus. Quartò, licet fidelibus petere ab excommunicato non tolerato cõsilium pro ipso petente & pro aliis, dummodo non sit alius, à quo æquè bene possit petere; ita Sylvest. ver. excommunicatio. 5. num. 4. Sed pro maiori explicatione eius quod dictum est de Concionatore,

DVBITATVR tertiò, vtrùm sit licitum excommunicato prædicare vel legere lectionem Theologiæ, vel eam audire ab excommunicato, vel simul cum illo?

Prima conclusio. Concio & lectio etiã Theologiæ non computantur inter Officia diuina, vt docet Caietan. ver. excommunicatio. in fine §. illicita autem. Palac. in 4. d. 18. disputat. 3. colum. 32. & Magistri. Vnde communicatio in his rebus cum excommunicato non tolerato, non

erit ex se mortalis.

Secunda conclusio. Excommunicatus toleratur si ei incumbat ex officio prædicare, & cesset omne scandalum, non peccabit mortaliter prædicando, ita Soto d. 22. quæst. 1. art. 4. colum. 8. imò dico quòd si inuitetur à subditis, non peccabit nec venialiter, dum non possit ante concionem obtinere absolutionem, iuxta dicta in simili, de administratione sacramentorum, disput. 8. dub. 2.

Tertia conclusio. Excõmunicatus non toleratus non peccabit mortaliter prædicando secluso scandalo, sed venialiter ex genere suo; hæc ad minus est de mente Soti, qui absolutè dicit quòd non potest prædicare.

Quarta conclusio. Fideles licitè possunt audire concionem excommunicati tolerati, ita Soto. Probatur, quia ipse se ingerit, iuxta dicta disput. 8. dub. 1.

Quinta conclusio. Non tamen possunt audire concionem non tolerati; ita habetur ex Soto, & tenent aliqui viri docti; quam conclusionem intelligo nisi in casu quòd non possent cõmodè audire aliam concionem ita fructuosam, iuxta dicta dub. præcedenti, de petendo consilium ab excommunicato.

Sexta conclusio. Nullum est peccatum prædicare coram excommunicato etiam non tolerato, vel audire concionem simul cum illo. capit. responso. de sentent. excommunicat. Probatur: nam concio de se ordinatur ad salutem animæ, & vt excõmunicatus resipiscat. Nec obstat quòd in initio concionis salutatur B. Virgo, & in fine faciunt omnes preces paruas à Cõcionatore iniunctas: nam hæc oratio non est publica, sed priuata, vt ait Nauar. cap. 27. num. 36. ad 5. & patet ex disput. 9. dub. 7. in fine: similiter etiam licitum est simul cum excommunicato non tolerato legere aliquam partem Euangelij, aut alicuius Psalmi, & dicere simul cum illo, *Dom ne miserere nostri*, & alia similia, quia hæc omnia diriguntur ad salutem eius spiritualem; ita Nauar. cap 27. num. 36. & alij Magistri, quod intelligendum est cum limitatione posita ex Couarr. dubio præcedentti, scilicet, quòd cesset fraus.

Septima conclusio. Audire lectionem Theologiæ, imò cuiuscunque facultatis, ab excommunicato tolerato, vel simul cum illo, vel legere coram illo nullum est peccatum, quia ipse se ingerit. Loquendo autem de non tolerato, Soto idẽ facit iudicium de lectione Theologiæ, ac de concione, vnde ait quòd potest legi corá non tolerato, & doctor potest respondere discipulo proponẽti dubia circa lectionem.

Octaua conclusio. Quamuis hoc sit probabile, oppositum est probabilius; vnde non licet legere lectionẽ etiam Theologiæ coram non tolerato, vel eam audire simul cum illo, ita tenent quamplusimi Thomistæ, quia lectio Theologiæ non ordinatur per se, vt excommunicatus resipiscat, sicut concio, quod intelligo, nisi materia quæ legitur esset specialiter accommodata ad hoc. Præterea de concione habemus expressum ius. Vltimò, quia non sufficit quæuis vtilitas ad participandum cum non tolerato. Loquendo autem de lectione humanarum facultatum, vt Philosophiæ, Medicinæ, Iuris Cæsarei, &c. omnes conueniunt, quòd non licet eam legere coram non tolerato, nec eam audire simul cum eo. Dixi, *Cæsarei*: nam si sit iuris Canonici, nonnulli dicunt comprehendi quantum ad hoc sub lectione Theologiæ, & sic de hoc erunt opiniones sicut de lectione Theologiæ; facit optimè dictum Abbatis cap. super specula. ne clerici vel mon. num. 7. quòd scientia canonica est pars diuinæ. Et hæc dicta sint de vtilitate spirituali.

DVBITATVR quartò, vtrùm propter vtilitatem temporalem liceat communicare cum excommunicato non tolerato?

Prima conclusio affirmatiua. Vnde fideles licitè possunt petere consilium temporale à tali excommunicato, dummodo non sit alius, à quo non possit æquè bene petere; sic Naruarr. cap. 27. n. 2. & Sylues. ver.

verb excommunicatio.5.numer.4. qui dicunt hanc necessitatem arbitrio boni viri pensandã esse, possunt etiam petere eleemosynam, si non sit alius à quo possint æquè commodè petere; ita Sylu.ibidem p.1.possunt etiam petere ab eo debitum in iudicio, & extra, cap.intelleximus.de iudiciis. iuxta dicta disput.7.ante 1.dubium.

Secunda conclusio. In iisdem casibus potest ipse excommunicatus non toleratus communicare cum fidelibus petendo ab eis consilium etiam in vtilitatem temporalem, & potest petere debitum à creditore, & creditor tenetur in conscientia soluere, nec potest differre solutionem, vt latè tradit Couarru. regula peccatum. 1.par.relectionis. num.8. Sylvest.verb.excommunicatio.3.num.1.part.13.& latiùs ver. excommunicatio.5. num.21. dub.12. d.22.q.1.artic.4.colum.6. & communiter moderni. Probatur: nam obligatio soluendi debitum cùm sit iuris naturalis, est maior; ergo non debet tolli per obligationem iuris positiui, quæ est minor. Et hanc conclusionem intelligo cum aliquibus recentioribus contra Medinam Cod. de restitut.quæstio.3. causa 9. fol. 20. non solùm quando debitum est contractum iure diuino & naturali, vt per contractum emptionis, mutui, &c. sed etiam quando contractum est libera & voluntaria obligatione, scilicet ex libera promissione etiam non iurata.

Sed arguitur ex can. sacerdotes. 2. q. 8. & can. nos sanctorum. in quibus decernitur, quòd sacerdotes & vassalli non tenentur præstare obedientiam Episcopo, vel principi excommunicato. Respondetur, quòd subditi ideo absoluuntur à debito obedientiæ, quia Episcopus & princeps per excommunicationem priuantur iurisdictione, vel vsu iurisdictionis: creditor autem per excommunicationẽ non priuatur iure petendi debitum.

Dixi supra, *quòd tenetur in conscientia soluere*: nam in foro exteriori poterit obijcere creditori exceptionem excommunicationis, & tunc creditor repelletur à iudicio, quia non potest esse actor, vt vidimus disput.7.dub.1. verum est, quòd hoc iam non seruatur à Iudicibus secularibus, vt testatur Couarru.lib.1.Variarum resolutionum.c.19.n.5.

Ex dictis sequitur resolutio alterius quæstionis, scilicet vtrùm possit licitè suscipi legatum relictum ab excommunicato non tolerato? Innocent. cap. cùm voluntate. de sententia excommunicat. dicit, non posse suscipi, si relictum est vt oretur pro anima eius: sed oppositum est tenendum cum Armil.verb.excommunicatio. numer.55.& Mexica difficult.11.de excommunicat.post quintum casum, quia debet intelligi de oratione quæ sit licita, scilicet oratione priuata, & postquã fueris absolutus, potest orari pro eo oratione publica.

Quid si legatum fuit relictum hac conditione, quòd oretur pro eo publica oratione, etiã antequam absoluatur? Respondetur, quòd poterit suscipi legatũ, & non adimpleatur conditio: nam turpis conditio non vitiat legatum, habetur enim pro non adiecta; ita Sylvest. ver. conditio.circa finem.

Secunda particula est *lex*, de qua DVBITATVR quintò, quomodo sit intelligenda?

Prima conclusio. Per illam secundùm omnes Doctores intelligitur lex matrimonij, vnde vxor licitè potest communicare cum marito excommunicato non tolerato in redditione & petitione debiti, dummodo excommunicatio non sit lata in causa matrimonij, quia lis erat, vtrùm esset legitimè contractum, ita Sylvest.ver. excommunicatio. 5. numer.4. Soto d.22. quæst.1.art.4 concluf. 5. Et etiam coniux excommunicatus potest non solùm reddere, sed etiam petere, & si vterque sit excommunicatus, vterque potest etiam reddere, & petere, ita Caietan.ver.excommunicatio. circa finem 5. illicitè autem. Soto sup. & communiter Magistri, contrarius oppositum [illegible]

efficaciter Caiet. nam si licet petere debitum pecuniarium; ergo & coniugale.

Secunda conclusio. Hæc communicatio vxoris cum marito excommunicato non solùm habet verum in debito coniugali, sed etiam in omnibus aliis, quæ spectant ad matrimonium, vt in gubernatione domus, in mensa, in familiari colloquio, & in omnibus aliis; ita Caieran. & Sylvest. vbi sup. Probatur: nam in can. quoniam multos. 11. quæst. 3. absolutè & sine vlla limitatione conceditur vxori quòd possit communicare cum viro excommunicato; ergo cùm sit fauor, non est restringendus.

Sed est difficultas, vtrùm sit eadem ratio in viro respectu vxoris excommunicatæ non toleratæ?

Prima opinio dicit, maritum solùm posse communicare cum vxore excommunicata in redditione & petitione debiti, nó in aliis; sic glossa dicta can. quoniam multos. Armil. verb. excommunicatio. n. 40. Sylvest. sup. vbi citat alios. Probatur primò: nam in dicto can. quoniam multos. excipiuntur vxores, sed non mariti. Secundò: nam ad maritum spectat corrigere vxorem, & non econtra.

Secunda opinio, quæ est in contrariũ, est tenenda. Sic Adrian. in 4. tract. de clauibus quæst. 3. exceptio. 6. Angel. ver. excommunicatio. 8. §. 8. Nauar. cap. 27. num. 26. Ledesm. 2. p. 4. quæst. 25. art. 1. & communiter Magistri. Probat Couar. ratione deducta ex societate: nam socius potest communicare in cõtractu cum altero socio excommunicato, vt patet ex cap. si verò. de sentent. excommunicat. sed per matrimonium contrahitur strictior societas; ergo. Secundò probatur: Ius excepit vxorem ad euitanda pericula animarum, sed idem est periculum in viro respectu vxoris; ergo. Per hoc patet ad primum. Ad secũdum respondetur, quòd licèt maritus teneatur ex charitate corripere vxorem, & curare vt resipiscat, & negare illi communicationem, cùm viderit expedire, & si negligat hoc facere, peccabit mortaliter, vt dicunt Angel. Couar. sup. & alij, quia est caput; at verò quantùm ad incurrendã minorem excommunicationem propter mutuã participationem, lex matrimonij excusat æqualiter ambos. Tertia particula est, *Humile*, de qua

DVBITATVR sextò, quomodo sit intelligenda?

Conclusio. Intelligitur de iis qui sunt in humilitate subiectionis, vt constat ex can. quoniam multos, 11. quæst. 3. & cap. si verò. de sententia excommunicat. Vnde primò, excusantur filij, & non solùm non emancipati, sed etiam emancipati, si sint commensales illius, & recipiant ab eo necessaria; ita Sylvest. ver. excommunicatio. 6. num. 4 Armill. ver. excommunicatio. num. 46. Secundò, excusantur ancillæ, mancipia, & famuli, tam vrbani, quàm rusticani nisi eorum consilio, auxilio, vel fauore perseueret dominus in sua contumacia; ita Nauar. cap. 27. num. 26. & habetur ex dicto can. quoniam multos. Et hoc intelligendum est de illis, qui anteex. communicationem intrauerunt ad seruiendum; de illis verò, qui intrauerunt post excommunicationem, distinguendum est: nam si ignorauerunt excommunicationem, & postea sciunt, non tenentur discedere; cæterùm si scientes excommunicationem domini intrauerũt, tenentur discedere, nisi necessitas eos impulisset fieri de eius familia; ita Sylvest. sup. Et nota, quòd prædicti subiecti filij & famuli possunt licitè communicare cum patre & domino excommunicato nõ tolerato, nõ solùm in his in quibus tenẽtur, & in pertinẽtibus ad suum officium, sed generaliter & absolutè in omnibus, ac si ille non esset excommunicatus, sicut diximus de viro & vxore in dubio præcedẽti; ita multi Magistri, imò idem tenẽt nonnulli Magistri de seruitoribus rusticis contra Sylvest. dicentẽ, quòd rustici tantùm possunt cõmunicare in his quæ pertinent ad agriculturam, sed canó, quoniam multos, absolutè excipit hos omnes; ergo non debemus nos restringere.

Vtrùm

Vtrùm verò prædicti possint communicare in diuinis? Nonnulli dicunt, quòd non, nec vxor cum viro & contrà. (sic P. Henr. cap. 22. n. 3. dicit hoc esse turius) quia iura citata solùm loquuntur de communicatione in humanis: sed contrarium tenet expressè Nauarr. in addit. cap. 27. n. 27. quia iura generaliter cõcedunt; ergo generaliter sunt intelligenda, iuxta cap. solitæ. de maioritate & obedientia. & hoc sequuntur nonnulli viri docti. Et placet mihi: nam sæpissime currit eadem ratio in diuinis, sicut in humanis, vt si dominus Sacerdos dicat famulo quòd recitet cum eo Horas Canonicas, aut si ipse recitaret eas coram familia, vel si dicat filio aut famulo quòd eat cum eo ad audiendã Missam. Tertiò, excusantur subditi Religiosi, qui possunt in omnibus cum suis Prælatis excommunicatis non toleratis communicare, sicut dictum est de filiis & famulis; ita Sylvest. supr. p. 3. Soto d. 22. q. 1. ar. 4. concluf. 5. Armil. supr. & communiter alij contrà. Palud. in 4. d. 18. quæst. 6. art. 4. Fundamentum eius est, quòd talis Prælatus habet suspensam iurisdictionem spiritualem. Sed nos dicimus quòd Prælatus non solùm habet iurisdictionem spiritualem, sed etiam potestatem temporalem & politicam ad gubernationem domus & Religiosorum, & hoc non solùm habet locum in Religiosis professis, sed etiam in nouitiis.

Dvbitatvr septimò, vtrùm pater vel dominus possit communicare cum filiis vel famulis excommunicatis non toleratis? Quædam glossa relata à Nauar. c. 27. n. 27. & Ang. ver. excõmunicatio. 8. n. 10. tenent quòd non, & probant ex can. de filia. 27. q. 1. ex quo habetur, quòd si filia professa sit Religionem, postea contraxerit matrimonium, si parentes cum ea communicauerint, incurrunt excommunicationem.

Sit concluſio. Oppositum est verum, ita Soto & Caiet. supr. Sylvest. verb. excommunicatio. 5. num. 17. dub. 8. Nauar. cap. 27. num. 16. & alij communiter; sed Sylvest. & nonnulli alij ponunt quandam moderationẽ, nempe quòd possunt communicare in his quæ sibi debentur ab inferioribus; & in his quæ ipsi tenẽtur præstare inferioribus: nam sicut inferiores obligantur ad obsequium, ita etiam Superiores obligantur ad prouidendum inferioribus; verùm aliqui Magistri dicunt, quòd sicut filij & famuli possunt liberè communicare in omnibus cum patre & domino excõmunicatis, ita etiam econtra, pater & dominus possunt communicare in omnibus cum filiis & famulis excommunicatis: nam ius concedens hoc inferioribus respectu Superiorum, idem concessisse videtur Superioribus respectu inferiorum: nam eadem est ratio, nempe idem animarum periculum, quod ius prętendit euitare in dicto can. quoniam multos. licèt enim ad patrẽ & dominum spectet curare quòd filij & famuli resipiscãt, hoc tamen semper non poterit obtinere, quãuis id procuret, & dato quòd non procuret, peccabit quidem cõtra præceptum naturale, sed non contra ecclesiasticum de vitandis excommunicatis, sicut in dubio 5. diximus de marito respectu vxoris. Et hæc sentẽtia videtur mihi probabilior, nec aduersatur D. Th. in addit. q. 23. art. 2. nec Magist. Soto d. 22. q. 1. art. 4. concl. 5. casu 3. dicẽtibus, quòd licet Superioribus communicare cum inferioribus excommunicatis, saltem in his quæ sibi debentur ab inferioribus, & ipsi debent inferioribus: per hoc enim non prohibent communicationem in aliis, quin potiùs insinuant licitam esse, sed solùm intendũt certius esse quòd est licita in rebus debitis, quod nos etiam libenter concedimus; & addo quòd quamuis aliquis scrupulosè vellet negare hoc in domino respectu famulorum saltem, non est cur illud neget in patre respectu filiorum propter maximam coniunctionem.

Ad canonẽ de filia. respõdet Adrianus q. 3. de clauibus. exceptio. 6. quòd textus loquitur in casu quòd parentes foueant eam in illo crimine criminoso: nam filia

fuit excommunicata eò quòd post professionem intendit contrahere matrimonium, & ideo parentes incurrebant excommunicationem, iuxta dicta disputat. præced.dub.3. Et quod dictum est de patre respectu filiorum, idem dicendum est de Prælato respectu Religiosorum sibi subditorũ; vnde dico quòd licitè possunt cum illis in rebus omnibus communicare: nam sunt filij spirituales. Sic aliqui viri docti etiam ex illis qui tenuerunt dominum non posse in omnibus communicare cum famulis excommunicatis. Et si Religiosi sint nouitij, non solùm Prælatus domus, sed etiam Magister nouitiorum poterit liberè in omnibus communicare cum illis, quia est pædagogus spiritualis, magister & pater spiritualis, & oppositum esset radix multorum scrupulorum.

DVBITATVR octauò, vtrùm clerici seculares possint communicare cum Episcopo excommunicato non tolerato, vel econtra?

Prima conclusio. Si clerici sint de familia Episcopi deputati ad eius seruitium poterunt communicare cum illo, & ipse cum illis excommunicatis, sicut de dominis & famulis dictum est, & secundùm hoc intelligendus est Medina Cod. de restitut. q 3. causa 9.

Secunda conclusio. Si non sunt de familia Episcopi, sed tantùm sunt ei subiecti subiectione communi, non possunt communicare cum Episcopo excommunicato, nec ipse cum illis excommunicatis, nisi tantùm in necessariis, & quæ aliàs sunt permissa iure communi. Vtramque conclusionem tenet Sylvest. verb. excommunicatio. 5. num. 4. Armil. verb. excommunicatio. num. 46. Henr. cap. 22. n. 3. & alij. Et secũda conclusio probatur ex can. miratus. 93. dist. vbi respectu Episcopi excommunicati idem iudicium videtur fieri de laicis & de clericis, qui non sunt de familia Episcopi.

DVBITATVR nonò, vtrùm vassalli possint communicare cum domino temporali excommunicato non tolerato?

Conclusio. In solutione tributorum possunt, in aliis autẽ rebus humanis non possunt. Secunda pars conclusionis probatur: nam quantùm ad communicationem in humanis, eadẽ est ratio de vassallis & in omnibus aliis. Prima verò pars probatur: nam debitor potest, imò tenetur soluere debitum, vt vidimus dubio 4. sed tributa sunt quædã debita; ergo poterunt vassalli, imò & tenebuntur illa soluere. Hoc autem intelligendum est, supposito quòd dominus non perdiderit dignitatem & dominium temporale: tunc enim non poterunt soluere tributa. Pro cuius explicatione supponendũ est, quòd excommunicatio vel incurritur propter crimen, quod secundùm ius habet annexam confiscationem bonorum, vel incurritur propter crimen quod non habet annexam talem confiscationem, & quidem in hoc secundo casu dominus non est absolutè & in perpetuum priuatus iurisdictione in subditos, sed solùm pro eo tempore quo perseuerat in excommunicatione: at verò in primo casu amittit dominium bonorum & iurisdictionem in subditos absolutè & in perpetuum, & in hoc casu quando dominus est declaratus hæreticus per sententiam Iudicis, vassalli tenentur negare illi obediẽtiam & tributa; sic habetur can. nos Sanctorum. 15. q. 6. vbi absoluuntur à iuramento fidelitatis hi, qui excommunicatis propter hæresim erant adstricti, & prohibentur omnibus modis, ne illis fidelitatem obseruent, donec Ecclesiæ satisfaciant, hoc autem intelligitur, si fieri possit absque graui damno subditorum.

Sed contrà: nam ex hoc can. videtur inferri, quòd ante sententiam teneãtur subditi negare obedientiam. Respondetur, hunc canonẽ moderatũ esse per Concilium Constantiense; verum est quòd si crimen hæresis sit notorium, ita vt nulla possit tergiuersatione celari, possunt subditi etiam ante sententiam Iudicis negare obedientiam & fidelitatem, sed non tenentur; ita Panormit. cap. cùm non ab homine

mine.de iudiciis.Sylueſt.ver.hæreſis.n.14. Simanc.tit.45.n.27. Caietan.2.2.q.12.art. 2.& alij.Probatur ex c.finali de hæreticis. vbi non dicitur, *ſubditos abſoluendos*, ſed *nouerint ſe abſolutos*; ergo non requiritur alia ſententia. Præterea: nam illa euidentia & notorietas habet vim ſententiæ ſaltem quantum ad hunc effectum, vt licitè poſſint negare obedientiam. Hoc autem intelligendum eſt per ſe loquendo: nam per accidens ratione ſcandali & tumultuũ poſſet eſſe illicita huiuſmodi negatio obedientiæ, & quamuis de hoc nonnulli hîc multa dicant, tamen non ſunt huius loci: nam hæc negatio ſubiectionis non eſt effectus cuiuſcunque excommunicationis, ſed pertinet ad materiam de fide, vbi latè diſputatum eſt à nobis 2.2. quæſtion. 12. art 2.

Quarta particula eſt, *Res ignorata*, de qua DVBITATVR decimò, quomodo ſit intelligenda?

Reſpondetur.Sic eſt intelligenda,quòd ignorantia inuincibilis excuſat à peccato communicandi cum excommunicato, & conſequẽter à pœna iure ſtatuta, & intelligitur non ſolùm de ignorantia facti, ſed etiam de ignorantia iuris; ita Caiet.verb. excommunicatio. in fine.§.circa tertium. & Nauarr.cap.27.num.27. Dixi,*inuincibilis*, quia vincibilis non excuſat à peccato,nec à pœnis,ſiquidem ſunt impoſitæ à iure communi,iuxta dicta cap. 5.diſputat. 5.dub.8. Vbi aduertendum eſt, quòd hæc ignorantia excuſat non ſolùm quando communicatur cum excommunicato in humanis, ſed etiam in diuinis, ita Caiet. ibidem. Pro huius tamen maiori explicatione

DVBITATVR vndecimò,quæ ſententia requiratur, vt teneamur vitare excommunicatum? PRO quo ſupponendum eſt, quòd poſt Concilium Conſtantienſe non ſufficit notitia excommunicationis, vt teneamur aliquem vitare, ſed vlteriùs requiritur ſcientia huius, quod eſt eſſe non toleratum. Vnde quamuis certò ſciam aliquem eſſe excommunicatum, ſi tamen ignoro eum eſſe non toleratum, non teneor eum vitare.Dico, *non teneor*:nam ſi excommunicatio ſit publica, quamuis nõ ſit denunciatus,ſi velim poſſum illũm vitare,nec vllam ei irrogo iniuriam.Patet: Ante Concilium Conſtantienſe iſte nullum habebat ius ad hoc, vt fideles cõmunicarent cum ipſo,ſed Concilium in nullo voluit fauere ipſis excommunicatis toleratis; ergo nec modò habet ius, & per conſequens nullam illi irrogo iniuriam.

Prima concluſio. Si ſolùm ex confeſſione ſacramentali ſcio pœnitentem vel alium eſſe excommunicatum non toleratum,non teneor illum vitare.Hæc eſt certa, de qua diximus in materia de confeſſione,& idem eſt de omnibus illis, qui tenẽtur ad ſigillum:vt de Interprete, de Doctore,à quo Confeſſarius petit conſilium; de Prælato, à quo petitur licentia ad abſoluendum à reſeruatis.

Secunda concluſio. Si ex proprio teſtimonio alicuius extra confeſſionem ſcio ipſum eſſe excommunicatum non toleratum,teneor illum vitare; ita Sylueſt.verb. excommunicatio. 5.numer.28. Probatur: nam teſtimonium proprium contra ſe ipſum facit mortalem certitudinem, ita vt excludat dubium.

Tertia concluſio.Ad hoc vt ego teneat vitare excommunicatum, non requiritur, quòd perſonaliter viderim eum denũciari nominatim, aut notoriè percutere clericum, ſed ſufficit quòd ſit fama publica eum eſſe non toleratum;ita Sylueſt. num. 28.citato dub.19. Paludan. in 4.d.18.q.6. artic.2. Couarru. capit. alma mater.p.1.§. 2.num.4. Et probatur efficaciter ex capit. cùm deſideres, ad 2.quæſtio. de ſententia excommunicat. Dixi, *fama publica*: nam ſi tantùm audiui à paucis hominibus,præſertim ſi ſint eius contrarij, non teneor vitare, quoniam notitia paucorum non ſufficit ad famam publicam,ita Palud.ſup. Dico, *non teneor*, quia non teneor credere illum eſſe non toleratum; at verò ſi credo,teneor quandiu non depono conſcientiam.

Ex

Ex hac conclusione sequitur, quòd iste, qui per famam publicã scit aliquem esse excommunicatum nõ toleratum, si communicet cum illo, incurret pœnas iuris impositas cõtra participãtes cum excommunicato. Hoc est contra Couarru. supr. num. 5. in fine. qui licèt admittat conclusionem, negat tamen hoc corollarium: existimat enim requiri omnimodam certitudinem & scientiam ad incurrendas certas pœnas: sed certè Couarru. est sibi contrarius; nisi forsan loquatur quoad forum exterius. Et probatur nostra conclusio: nam cum illa certitudine morali non stabit ignorantia. Sed circa hoc duo sunt notanda. Primò, quòd vt ego teneat vitare excommunicatum propter clerici percussionem, non sufficit quòd sit fama publica quòd percussit clericum, sed requiritur, quòd sit fama publica quòd notoriè percussit; verbi gratia, percussit aliquis clericum coram vno vel altero, & diuulgatur per ciuitatem, taliter quòd est fama publica, de hoc non teneor illum vitare, quia hæc fama non sufficit vt iste sit notorius percussor clerici notorietate facti, ita vt nulla possit tergiuersatione celari: sed si aliquis fuit notoriè percussor clerici, iuxta dicta disput. 2. dub. 4. vt alij qui non viderunt eum percutientem, teneantur illum vitare, sufficit & requiritur fama publica, quòd ille est notorius percussor clerici. Sic aliqui viri docti. Probatur: Ad hoc vt teneamur vitare percussorem clerici, requiritur quòd ille sit notorius percussor; ergo quãuis sit fama quòd percussit, si non sit quòd notoriè percussit, non tenor vitare. Confirmatur à simili, quia non sufficit fama de excommunicatione, sed requiritur fama de denuncitione. Si opponas capit. cùm desideres. iam citatum, vbi dicitur, quòd si est fama publica aliquem verberasse clericum, tenemur eum vitare. Respondetur, cap. hoc conditum esse à Clemente III. & postea conditum est Decretum Constantiense, quod requirit esse notoriè percussorem. Secundò nota, quòd licèt aliquis notoriè percusserit clericum, tamen si est dubium vtrùm incurrerit excommunicationem, vt quia erant pueri, vel amici, vel ob alias causas, non teneor illum vitare, iuxta dicta disputat. 2. dub. 4. & hoc licèt aliquando ratione dubij percussor sit absoluendus.

Quarta conclusio. Si Episcopus vel Parochus Petri testificatur mihi Petrum esse nominatim denunciatum, ostendendo literas denunciatorias, teneor illum vitare, ita Sylvest. ver. excommunicatio. 5. num. 28. quoniam illæ literæ cum testimonio Pastoris faciunt maiorem fidem denunciationis, quàm fama publica.

Quinta cõclusio. Cæterùm si solo verbo id dicant mihi, non ostendendo literas denunciationis, non teneor credere, & per consequens nec vitare: at verò supposito quòd credam, teneor vitare; ita multi viri docti. Et secunda pars de se patet; prima verò probatur, quia non teneor credere vni testi etiam fide digno, vt ostẽdit Nauar. c. 22. num. 82. quamuis contrarium insinuet P. Henriquez (qui nunc primò ad meas peruenit manus) libr. 13. de excommunicat. cap. 65. num. 2. Sed quod diximus tenendum est: nam hæc vitatio cedit in damnum tertij. Quid si non credo, nec discredo, sed maneo dubius? Respondetur, quòd non teneor vitare, ita Nauar. cap. 27. n. 27. nam in dubio melior est conditio possidentis.

Sexta conclusio. Quem semel sciui esse excommunicatum non toleratum semper teneor vitare, donec mihi constet de absolutione; ita Palud. in 4. d. 18. q. 6. art. 2. Sylvest. verb. excommunicatio. 6. n. 26. Couarr. cap. alma mater. p. 1. §. 2. n. 6. Nauar. c. 27. num. 36. Hæc autem conclusio tres habet limitationes. Prima est, quando excommunicatus ipse, qui aliàs est bonæ famæ & fide dignus, affirmat se iam esse absolutum; ita Nauar. n. 36. citato. Secunda, quando illum quem sciebam esse excommunicatum, & qui antea obseruabat excommunicationem, video post annum non seruare illam, si aliàs est pius & timoratæ

timoratæ conſcientiæ:nam iſte opere ipſo teſtatur ſe iam eſſe abſolutum;ita Sylueſt. ſup.n.16.& P.Hériquez ſup.Tertia,quando eſt fama publica quòd eſt abſolutus:nã ſi fama publica denunciationis ſufficit vt tenear vitare ; ergo fama de abſolutione ſufficiet vt non tenear vitare.

DVBITATVR duodecimò , quando ſcio aliquem eſſe denunciatum in vna prouincia,vel notoriè percuſſorem clerici,vtrùm tenear illum vitare in alia , vbi eſt occultus?

Quædam opinio dicit , quòd teſtibus vel inſtrumẽtis poteſt in hac ciuitate probari eſſe excommunicatum non toleratũ, eſt vitandus etiam publicè:at verò ſi non poteſt probari , erit vitandus in occulto, ſed non publicè;ita Sylueſt.ver.excommunicatio.5.num.17. Couarru. cap.alma mater.p.1.§.2.n. 6. Aliæ ſunt opiniones: ſed illis omiſſis ſit

Concluſio.Nec teneor,nec poſſum illũ vitare in publico, quamuis poſſit probari teſtibus vel inſtrumentis, bene tamen teneor vitare in occulto, quamuis nõ poſſit probari;ita Palud.in 4.d.18.q.6.ar.2.Mexica difficult.11.de excommunicat.in fine.Armill.ver. excommunicatio. n.61.& communiter Magiſtri,& P. Hériquez ſup. num.1.Prima pars probatur:nam ex hoc quòd poſſit probari teſtibus aut inſtrumentis,non ſequitur quòd in hac ciuitate ſit publicus excommunicatus non toleratus;ergo non licet eum vitare in publico: quia eſſet illum diffamare. Confirmatur: nam ſi aliquis eſſet publicè diffamatus in vna ciuitate,etiam per autoritatẽ Iudicis, ſi ego diffamem eum in alia prouincia diſtanti,vbi id eſt occultũ,neque eſt veroſimile quòd de proximo diuulgabitur,peccoſaltem contra charitatem;ergo etiam pecco in præſenti. Secunda verò pars probatur:Ille eſt verè excommunicatus & non toleratus,& ego id ſcio; ergo teneor vitare in occulto,iuxta c.cùm non ab homine.de ſent.excõmunicat.vbi definitur, quòd publicè excommunicatus eſt publicè vitandus,occultus autem occultè.

Si obiicias , capiti hoc eſſe derogatum per Conſtantienſe?Reſpondetur , falſum eſſe: nam Decretum nihil innouauit circa modum vitandi excommunicatum publicè,vel occultè,ſed ſolùm quãtùm ad qualitatem excommunicatorum qui erant vitandi:nam ſtatuit quòd ſolùm teneremur vitare non toleratos ; ergo ſicut ante Cõſtantienſe quicunque excõmunicatus erat vitandus , publicus publicè, occultus occultè:nam à lege antiqua non eſt recedendum,niſi quatenus continetur in noua.l. præcipimus.C.de appellationibus.

Ex dictis ſequitur primò,quòd ſi ſacerdote celebrante Miſſam , ingrediatur iſte excommunicatus,qui cognoſcitur ab aliquibus paucis ibi exiſtẽtibus,ſed nõ communiter ab omnibus,hi qui illum cognoſcunt tenentur ſecretè & cautè exire,ſi id poſſit fieri abſque manifeſtatione illius, aliàs non debent exire ; ſic Anton.3.p.tit. 26.c.2.paulo poſt principiũ,in explicatione particulæ,*Orare*.Tabien , verb.excommunicatio .8.num.3.imò & Sylueſt.verb. excommunicatio 5.num.2.

Secundò ſequitur , quòd ſi excommunicatus eſſe publicè petat à me Euchariſtiam,poſſum & teneor illam præbere, ſicut teneor præbere occulto peccatori publicè petenti.

Vir quidam doctus licèt admittat concluſionem reſpectu illius, qui eſt publicè denunciatus in vna ciuitate , non tamen admittit reſpectu illius qui in vna ciuitate eſt notorius percuſſor clerici,& in alia eſt occultus:nã de hoc dicit quòd non teneor illũ vitare,non ſolùm publicè,verùm nec occultè,& ait eſſe de mente Durand.in 4. d.18.q.5.circa finẽ.& Palud.q.6.dicẽtium, quòd quando aliquis eſt publicè excommunicatus in vno loco,non debet cenſeri publicus excõmunicatus in alio.Et probat hanc ſententiam,quia iſte in hoc loco nõ eſt notorius percuſſor clerici.Et poteſt cõfirmari primò:nam poſt Concilium Conſtãtienſe,vt ego tenear vitare etiã in occulto percuſſorẽ clerici, requiritur quòd ſit notorius percuſſor,ſed in hoc loco nõ eſt

notorius clerici percussor; ergo. Secundò: nã hæc notorietas percussionis clerici nõ est per sentẽtiam Iudicis, vt suppono, sed tãtùm per notorietatem facti; ergo vbi factum est occultum, non est notorius percussor clerici. Propter quæ videtur mihi hæc sententia valde probabilis, præcipuè cùm fauores sint ampliandi.

Quinta particula est, *Necesse*, de qua DVBITATVR decimotertiò, quomodo sit intelligẽda? Hæc particula coincidit multùm cũ particula, *Vtile*: sed hîc latiùs erit agendũ de necessitate temporali. Vnde sit

Prima conclusio. Hæc particula sic est intelligenda, quòd propter necessitatem temporalem tam ipsius nõ tolerati, quàm aliorum non excommunicatorum, licitum est communicare cum non tolerato; quæ conclusio si intelligatur abstrahendo de necessitate extrema, vel graui, est determinata in can. quoniã multos. 11. quæ. 3. Difficultas autem in hoc consistit, quãta debeat esse hæc necessitas. Sylvest. ver. excommunicatio. 3. num. 1. p. 5. clarè videtur sentire, quòd requiritur necessitas obligans ex charitate ad dandam eleemosynam, atque adeò requiritur extrema, vel grauis.

Sit tamen secunda conclusio. Non requiritur tanta necessitas, sed sufficit quòd verè indigeat, ita vt non possit commodè sustẽtari sine eleemosyna; ita tenet expressè Palud. in 4. d. 18. q. 6. n. 6. Angel. ver. excommunicatio. 8. n. 8. Tabien. eodem verbo, & n. eandẽ clarè amplexus est, postea Sylu. ver. excommunicatio. 5. n. 5. & tenẽt communiter Magistri. Quæ conclusio intelligitur, siue necessitas sit circa victum, vestitum, salutem corporalem, aut iter faciendum, vt patebit exemplis, verbi gratia, si accedat ad me pauper ex iis communibus, qui habent communem necessitatem, quamuis sit excommunicatus non toleratus, possum ei dare eleemosynam; ita P. Hẽriquez lib. 13. de excommunicat. c. 13. num. 4. Præterea in aliquo hospitio est aliquis excommunicatus nõ toleratus non infimæ classis, qui non solet iter facere pedester, possum illi dare equum gratis vel pretio, vt prosequatur iter. Similiter medicus potest visitare infirmum non toleratum.

Ex dictis sequitur, quòd possumus dare eleemosynã nõ tolerato, etiã quãdo eleemosyna solùm est sub consilio; ita Palud. sup. & satis colligitur ex dicto can. quoniam multos.

Inquiris, vtrùm non excommunicatus possit petere eleemosynam ab excommunicato non tolerato?

Tertia conclusio. Non potest, nisi in casu quòd non esset alius, à quo possit commodè petere; ita Sylvest. ver. excommunicatio. 5. num. 4. p. 1. & habetur ex dicto can. quoniam multos. Hinc infero, quòd si pauper non potest commodè habere sustentationẽ, nisi sedeat ad mensam simul cũ nõ tolerato, licitè potest sedere; ita aliqui viri docti. Verum est, quòd limitatio huius cõclusionis nõ currit in Prædicatoribus & Confessoribus: isti enim licitè possunt petere eleemosynam à nõ tolerato, quamuis aliunde possent sibi commodè prouidere. Hoc habetur ex c. cùm voluntate. de sent. excommunicationis. vbi dicitur, *Præsertim si aliàs non valeant in illo loco sustentationem habere.* Et probatur: nã si requireretur quòd non possent aliũde prouidere sibi, nihil speciale concederetur ipsis, quandoquidem cum prædicta limitatione iam erat generaliter concessum omnibus pauperibus, in dicto can. quoniam multos. Hanc sententiam tenet Palud. sup. Anton. 3. p. tit. 26. cap. 1. §. 1. glossa dicto cap. cùm voluntate. P. Henriquez sup. & multi Magistri. eãdem sequitur Sylvest. ver. excommunicatio. 5. num. 14. dub. 5. sed cum quadam limitatione, quando scilicet ex hoc quòd non acciperent eleemosynam ab excommunicato, impediretur fructus prædicationis in ipso excommunicato. Verùm cùm c. cùm voluntate. generaliter loquatur, non est à nobis limitandum.

Quarta cõclusio. Etiam licet communicare cum non tolerato ratione damni

euitan

euitandi; vnde licitum est continuare cum eo executionem contractus iam initi, quæ excommunicatus non vult rescindere; sic Caiet. verb. excommunicatio. circa finem. §. circa 3. Sylvest. verb. excommunicatio. 3. num. 3. Couarru. capit. alma mater. p. 1. §. 1. numer. 8. P. Henriquez sup. & habetur ex c. si verò. de sent. excommunicat.

Quinta conclusio. Necessitas violentiæ etiam excusat participantem etiam in diuinis cum non tolerato; verbi gratia, quando aliquis per coactionem detinetur violenter, vt audiat Missam simul cum non tolerato, sic Caietan. loco modò citato. Et addit quòd talis violenter detentus deberet animo curare, vt quantùm est de se non attenderet Missæ, vt sic nullo modo agat ad communionẽ, sed tantùm patiatur quoad præsentiam corporalem, cui, & non voluntati, potest inferri violentia. Sed hæc sententia est nimis scrupulosa: durum enim esset obligare illum ad claudendos oculos, ne videat Eucharistiam, & obturandas aures, ne audiat Officia diuina; vnde dico cum P. Henriquez supr. & aliis viris doctis, quòd potest adorare Eucharistiam, & attendere diuinis Officiis: nam per talem violentiam excusatur ab huiusmodi communicatione.

Disputatio XII.

De effectibus minoris excommunicationis.

Dvbitatvr primò, quot effectus habeat minor excõmunicatio? Respondetur, duos. Primus est, quòd priuat directè à participatione passiua sacramentorum, Gemin. cap. is cui. de sententia excom. in 6. num. 3. dicit, quòd non debet illi dari osculum pacis post Agnus Dei, quia succedit loco communionis Eucharistiæ. idem tenet Philip. Francus ibid. & citat Archidiaconum: ab actiua verò indirectè, & consequutiuè. Secundus, quòd priuat directè ab electione passiua; ab actiua verò nullo modo. Hi effectus habentur ex cap. si celebrat. de cletico excommunicato ministrante.

Ex dictis sequitur, quòd excommunicatus minori fruitur suffragiis Ecclesiæ, potest interesse diuinis, imò & officiare Officia diuina in choro, potest communicare cum fidelibus, & fideles cum ipso: nam excommunicatio minor non transit in tertiam personam; potest eligere & exercere ea quę ratione iurisdictionis sibi competunt. In his communiter conueniunt Doctores, quorum aliquos refert P. Henriquez lib. 13. de excommunicat. c. 3. Sed pro maiori explicatione duorum prædictorum effectuum

Dvbitatvr secundò circa primum effectum, vtrùm excommunicatus minori peccet mortaliter recipiendo aliquod sacramentum?

Prima conclusio affirmatiua. Ita Soto d. 22. q. 2. art. 3. *in* principio. Couarru. cap. alma *mater*. p. 1. §. 8. num. 2. Nauar. cap. 27. numer. 24. & communiter Doctores. Et probatur efficaciter ex dicto cap. si celebrat. vbi dicitur, quòd clericus celebrans in minori excommunicatione, grauiter peccat. Hinc sequitur, quòd si laicus excommunicatus minori recipiat Eucharistiam, vel aliud sacramentum, peccat mortaliter. Hæc autem conclusio intelligitur per se loquendo: per accidens enim potest contingere quòd non peccet nec venialiter, vt si fortè daretur casus, in quo ille grauiter infamaretur, ex hoc quòd nõ reciperet Eucharistiam publicè cum aliis, vt constat ex dictis diputat. 8. dub. 5. Verum est quòd rarò poterit hic casus contingere, præsertim cùm minor excommunicatio possit absolui à quolibet Confessario; posset tamen contingere ratione obliuionis, vt si sacerdos post inceptam Missam recordetur se incurrisse minorem excommunicationem, & tunc securè potest prosequi Missam.

Ex prædicta cõclusione sequitur, quòd administrans sacramentum ei quem scit excommunicatum minori, peccat mortaliter per se loquendo.

Secunda conclusio. Quamuis sacerdos excommunicatus minori, peccet mortaliter celebrando, non tamen fit irregularis,

dicto cap. si celebrat.

DVBITATVR tertiò, vtrùm excommunicatus minori peccet mortaliter administrando sacramenta?

Supponendum est, quòd absolutio ab eo data, & à fortiori reliqua sacramenta erunt valida, vt docent Soto & Couarru. vbi sup. & habetur ex dicto cap. si celebrat. in illis verbis, *Sed sacramenta ab eo collata virtutis non carent effectu.* Quo supposito,

Prima opinio est, quòd non peccat nec venialiter, ita Nauar. cap. 27. num. 24. & 249. perpendit P. Henriquez lib. 13. de excommunicat. c. 3. num. 2. probat Nauar. quia iste solùm priuatur participatione passiua sacramentorum.

Secunda opinio est, quòd peccat mortaliter, ita Sylvest. ver. excommunicatio. 4. num. 1. Armil. ver. excommunicatio. n. 21. & probatur ex lib. 6. tit. 9. n. 1. vbi hoc habetur expressè.

Tertia sententia multo probabilior & communior est, quòd peccat venialiter, ita Soto & Couarru. vbi suprà. Medina in Sum. lib. 1. cap. 11. §. 6. in fine. Mexica difficult. 19. de excommunicat. & alij quamplurimi. Et probatur efficaciter ex dicto c. si celebrat. nam postquam dictum fuerat, quòd si celebrat, peccat grauiter, dicitur, *Peccat autem conferendo ecclesiastica sacramenta*, vbi clarè ponitur discrimen, quantùm ad grauitatem peccati, inter recipientem sacramenta & administrantem. Sed nota cum Soto art. 3. citato. colum. 2. quòd post Concilium Constantiense, si non se ingerit, sed inuitatur ab alio, non peccabit, quia non est denunciatus, iuxta dicta sup. disput. 8. dub. 1.

Hinc sequitur primò, quòd si Episcopus excommunicatus minori celebrat & cōfert ordines peccat mortaliter & venialiter: mortaliter, inquantum recipit sacramentum Eucharistiæ; venialiter, inquantum administrat sacramentum Ordinis.

Secundò sequitur, quòd si sacerdos excommunicatus minori faciat Missam solemnem in die Cœnæ, in qua non consumitur Eucharistia, sed asseruatur in die Veneris sancti, peccat tantùm venialiter, quia non recipit sacramentum; vnde quādo ait textus, quòd si celebrat, peccat grauiter, intelligitur quando celebrat recipiendo Eucharistiam. Et hoc intelligitur, dato quòd ita seruaretur in vsu: nam de facto non seruatur.

Tertiò sequitur, quòd si excommunicatus minori absoluat alium ab excommunicatione, non peccat, quia talis absolutio non est sacramentalis; ita Sylvest. ver. excommunicatio. 4. §. 1. & ver. absolutio. 1. n. 3. casu 2. & alij. & habetur ex cap. duobus. de sentent. excommunicationis.

Hinc sequitur modus obseruandus in absolutione à duobus sacerdotibus, verbi gratia, PETRO & PAVLO excommunicatis minori: debet enim PETRVS priùs absoluere PAVLVM ab excommunicatione minori, & deinde PAVLVS absoluat PETRVM ab excommunicatione minori, & à peccatis, ac tandem PETRVS absoluat PAVLVM à peccatis.

Ad fundamentū primę opinionis respōdetur, quòd licèt minor excommunicatio directè solùm priuet participatione passiua sacramentorū, indirectè tamen & consequutiuè priuat etiam ab administratione actiua, ad euitandam quandam indecentiam.

Ad fundamentum secundæ opinionis dicimus legem illam non esse sequēdam.

DVBITATVR quartò circa secundū effectum, quomodo priuet minor excommunicatio electione passiua? Dico, *passiua*, quoniam ab actiua non priuat, vt constat ex dicto cap. si celebrat. vnde Couarru. sup. num. 3. meritò admoner cauendum esse à lege PARTITARVM sup. citata, quæ ait excommunicatum minori eligere non posse.

Prima conclusio. **Qui scienter elegerint excommunicatum minori ad beneficium ecclesiasticum, peccant mortaliter, & eodem modo peccat ipse recipiendo beneficium.** probatur: nam hæc prohibitio est

in

in materia graui; & præterea textus dicit talem electionem esse irritandam.

Secunda conclusio. Quod dictum est de electione, idem dicendum est de præsentatione ad beneficium; hæc est cõtra nonnullos Thomistas, sed eam tenet Nauar. in Sum. Hispana. c. 27. n. 44. Pedraza in Sum. lib. 2. c. 1. P. Henriquez lib. 13. de excommunicat. cap. 3. n. 3. Couarru. c. alma mater. p. 1. §. 7. num. 1. versiculo, secundò est ad idem. vbi allegat alios Iuristas. Et probat: nam ab electione ad præsentationem est optimum argumentũ, secundùm glossam communiter receptam in c. vlt. de electione. in 6.

Grauior difficultas est, vtrùm huius electio sit ipso iure nulla, vel annullanda per Iudicem?

Prima opinio dicit, quòd est ipso iure nulla; sic glossa dicto cap. si celebrat. Couarru. c. alma mater. p. 1. §. 8. n. 3. vbi allegat multos. idem tenet Angel. ver. excommunicatio. 1. n. 1. Sylvest. ver. excommunicatio. 4. n. 4. Armil. ver. excommunicatio. n. 5. Ledesm. 2. p. 4. q. 25. art. 2. circa finem. P. Henriquez sup. imò Couarru. & Armil. dicunt, hoc habere locum, licèt electio facta sit cum ignorantia excommunicationis, sed in hoc oppositum tenent Sylvest. & P. Henriquez suprà.

Secunda opinio est in contrariũ, quòd talis electio etiam scienter facta non est ipso iure nulla, sed irritanda per Iudicem; ita Felinus c. dilectæ. de exceptionibus. & quamplurimi Magistri. pro eadem citatur Cardinalis Toletus in sua Summa, lib. 5. c. 66. & probatur ex dicto c. si celebrat. vbi dicitur, *Si tamen scienter talis electus fuerit, eius electio est irritanda.* vbi duo verba ponderanda sunt, primum, *scienter*; secundum *irritanda*. Sed respõdet Couarru. quòd est irritanda, id est, irrita declaranda. Hæc autem expositio nõ videtur germana, præcipuè cùm sit pœna, in qua benignior est facienda interpretatio. l. si Præses. & l. interpretatione. ff. de pœnis. Præterea arguitur: Electio facta cum ignorantia excommunicationis minoris non est nulla ipso iure, vt patet ex illo verbo, *scienter*; ergo nec facta cum scientia. Probatur consequentia: nam ignorãtia non habilitat eum qui est ipso iure inhabilis, iuxta dicta disput. 2. dub. 5.

Tertia conclusio. Hæc opinio secunda est probabilior.

Quarta conclusio. Si electio facta est cum ignorantia excommunicationis, non est irritanda. Hæc cõclusio est minùs certa quàm præcedens, quia videtur contra communem Canonistarum, eam tamen docent aliqui Magistri, quam probo ex verbo, *scienter*, ex quo sic arguitur: Hæc particula nõ est superflua; ergo debet aliquid operari. sed nihil potest operari circa annullationem ipso iure: nam ignorantia non habilitat eum, qui est ipso iure inhabilis, vt diximus; ergo debet operari erga irritationem faciẽdam per Iudicem. Nonnulli referunt Angel. & Armil. dicentes, quòd qui eligunt excommunicatum minori, sunt suspensi per triennium, & manent inhabiles ad electionem, quod probant ex cap. cùm in cunctis. de electione. sed hoc falsum est, ita Toletus sup. & alij. nam pœna huius cap. solùm comprehendit eligentes eum, qui nec scientia, nec morum honestate pollet, nec habet ætatem iure requisitam.

De absolutione ab excommunicatione. *Caput VIII.*

De hoc Soto d. 22. quæst. 2. art. 3. Couarru. cap. alma mater. p. 1. §. 11. & 12. P. Henriquez lib. 13. de excommunicat. à c. 27. per tria sequentia; Summistæ verb. absolutio.

Disputatio I.

Quis possit absoluere ab excommunicatione.

DVBITATVR primò, quis possit absoluere ab excommunicatione minori?

Prima opinio tenet, quemlibet simplicem sacerdotem, scilicet qui nec sit Parochus, nec expositus ab ordinario ad audiendas confessiones, posse absoluere ab ea, quando est incursa propter peccatum veniale; sic Nauar. cap. placuit. de. pœnit. d. 6. num. 26. & in Sum. cap. 27. num. 25. & 39. Tolerus in Sum. Præcipuum fundamentum est: Potest absoluere à peccato veniali, propter quod incursa est minor excommunicatio; ergo etiam potest ab excommunicatione.

Secunda opinio dicit, quòd solus ille sacerdos, qui potest absoluere à peccatis mortalibus, siue sit parochus, siue non, potest absoluere ab excommunicatione minori, licèt sit incursa propter peccatum veniale; quę opinio est multo probabilior & communior. tenet Sylvest. verb. absolutio. 1. num. 3. & 5. & verb. excommunicatio. 4. num. 2. casu 9. Ledes. 2. p. 4. q. 22. art. 1. in fine. Soto d. 22. q. 2. art. 3. concl. 1. Caiet. verb. excommunicatio minor. Covarr. cap. alma. mater. p. 1. §. 12. num. 6. vbi ait esse communem sententiam Doctorum, tenet Ant. 3. p. tit. 26. capit. 2. in fine. Angel. ver. absolutio. num. 1. p. Henriquez lib. 13. de excommunicat. capit. 28. n. 5. & communiter Magistri. probatur ex c. nuper. de sententia excommunicat. vbi interrogatus Pontifex, à quo possit absolui qui scienter communicauit cum nominatim excommunicato; respondet, quòd ab Episcopo, vel parocho, vel proprio sacerdote. Secundò: Excommunicatio minor est verè censura, quæ imponitur à iure, sed censura est vinculum in foro exteriori; ergo ad absoluendum ab ea requiritur iurisdictio in foro exteriori, sed hanc non habet simplex sacerdos; ergo.

Si obiicias, ex hac ratione sequi, quòd nec Parochus possit absoluere ab ea, siquidem non habet iurisdictionem in foro exteriori, ob quam rationem diximus sup. cap. 3. disput. 1. dub. 2. quòd non potest excommunicare. Respondetur negando sequelam: nam Ecclesia concessit parocho & aliis Cõfessoribus expositis ab ordinario ad audiendas confessiones mortalium peccatorum iurisdictionem in foro exteriori, vt possint absoluere ab excommunicatione, etiam maiori non reseruata, quia est impedimentum absolutionis sacramentalis, ad quam habent facultatem vel ex officio, vel ex delegatione. Et quòd hæc iurisdictio sit illis concessa, patet ex dicto cap. nuper. & ex illa regula iuris, *Cui committitur aliquid faciendum, consequenter conceditur illud sine quo id fieri nequit*, cap. præterea., de offic. delegati. l. 2. ff. de iurisdictione omnium Iudicum. non tamen tradit ei facultatem ad excommunicandum.

Ex iis facilè patet ad fundamentum in contrarium: concesso enim antecedenti, negatur consequentia: nam ad absoluendum à venialibus, non requiritur iurisdictio in foro exteriori, quæ tamen requiritur ad absoluendum ab excommunicatione minori.

DVBITATVR secundò, vtrùm non sacerdos possit absoluere ab excommunicatione?

Conclusio. Omnis qui habet iurisdictionem ecclesiasticam in foro exteriori, siue ex officio, siue ex commissione, potest absoluere ab excommunicatione siue minori, siue maiori: qui autem sint, qui possunt habere hanc iurisdictionem ex commissione Episcopi, vel saltem ex cõmissione Papæ, & qui sint incapaces ad recipiendum eam, etiam à summo Pontifice, diximus p. 1. de censura in communi. dubio 6. vbi dictum est, quòd fœmina nec ex commissione Papæ potest habere potestatem ad ferendas censuras, & idem est de potestate ad absoluendum ab illis; viri autem merè laici, qui nec primam tonsuram habent, non possunt habere hãc potestatem in iure communi, bene tamen ex commissione solius Papæ; & idem dicendum est de clericis coniugatis, quamuis habeant quatuor minores ordines. At verò qui non sunt sacerdotes, dummodo habeant primam tonsuram, possunt iure communi habere hanc potestatem, quæ

omnia

omnia latiùs ibi comprobauimus.

Ex dictis sequitur, quòd quando Iudex qui excommunicauit potest absoluere ab excommunicatione (quod semper potest, exceptis nouem casibus, de quibus infrà) bene potest committere facultatem ad absoluendum ab ea sacerdoti etiã non exposito ad audiendas confessiones, imò etiam clerico habenti tantùm primam tonsuram, & hic potest absoluere non solùm in foro exteriori, sed etiam in interiori. Sensus est, quòd non solùm potest habilitare excommunicatum, vt possit comparere in iudicio, & communicare cum fidelibus in cõmunicatione politica, sed etiam vt fruatur communibus Ecclesiæ suffragiis, ita Nauar. capit. 27. n. 41. & Couarr. cap. alma mater. p. 1. §. 11. num. 10. contra Hostiensem cap. à nobis. el 2. de sentent. excommunicat. & alios dicentes clericum primæ tonsuræ posse quidem absoluere ab excommunicatione in foro exteriori, non tamen in interiori. Sed nostra sententia probatur: Qui potest ligare, potest absoluere, sed clericus primæ tonsuræ potest ligare per excommunicationem, etiam in foro interiori; ergo similiter potest absoluere. Præterea: nam absolutio ab excommunicatione non est sacramentalis, nec pertinet ad potestatem ordinis, sed iurisdictionis.

Dvbitatvr tertiò, vtrùm laicus, qui solùm habet primam tonsuram, possit absque speciali commissione absoluere ab excommunicatione in articulo mortis?

Prima opinio est affirmatiua, ita glossa cap. Pastoralis, §. præterea. de offic. ordinarij. Panormit. ibidem. Felin. cap. à nobis. el 2. de sententia excommunicat. Angel. ver. absolutio. 3. n. 39. Probatur primò: nam can. sanctum. de consecrat. d. 4. quidam in naufragio reconciliatus est Ecclesiæ per quendam laicum recẽter baptizatum. Secũdò: In articulo mortis cõcedit Ecclesia facultatem absoluendi à peccatis cuicũque sacerdoti, quia est capax huius potestatis; ergo etiam concedit facultatem absoluendi ab excommunicatione cuicunque clerico, etiam primæ tonsuræ, siquidem est capax huius potestatis.

Secunda opinio est negatiua, quam tenet Palud. in 4. d. 20. q. 1. Soto d. 18. q. 4. art. 4. circa finem. Nauar. de pœnit. d. 6. c. 1. n. 38. & in Sum. capit. 26. num. 26. Couarru. capit. alma mater. p. 1. §. 11. num. 9. vbi refert alios. Cordub. in Sum. q. 18. art. 2. dicto 1. & communiter Magistri, & in eam multo magis propendit P. Hẽriquez lib. 13. de excommunicat. cap. 27. numer. 4. Probatur primò: nam secundùm glossam can. vlt. 24. quæ. 1. laicus in spiritualibus etiam in mortis articulo nihil agere potest, nisi quod expressè concessum est illi in iure; sed hoc non habetur in iure; ergo. Secundò: Hæc facultas ideo cõceditur in articulo mortis simplici sacerdoti vt absoluat à peccatis, eò quòd absolutio ab excommunicatione debet præcedere absolutionem à peccatis, sed laicus non potest absoluere à peccatis; ergo nec ab excõmunicatione. Tertiò: nam quòd laicus absoluat ab excommunicatione nec est necessarium ad hoc vt anima defuncti gaudeat suffragiis Ecclesiæ, nec ad hoc vt corpus sepeliatur in loco sacro: nam poterit absolui post mortẽ, vt diximus supr. cap. 4. disput. 1. dub. 8. ergo.

Prima conclusio. Quamuis prima opinio sit probabilis, secunda tamen est probabilior.

Secunda conclusio. Quilibet sacerdos etiam simplex, etiam excommunicatus, & denunciatus, & præcisus, sicut potest absoluere ab omnibus peccatis in articulo mortis, ita etã potest ab omni excommunicatione etiam reseruata Papæ, etiam in Bulla Cœnæ. habetur ex Tridentino sess. 14. cap. 7. videte dicta sup. c. 6. disput. 3. dub. 1 concl. 4.

Ad primum respõdetur, quòd ille non erat excommunicatus, sed agebat publicam pœnitentiam.

Ad secundum patet ex argumento pro secunda opinione. Videndum est iam quis habeat de facto potestatem ad absoluendum

dum ab excommunicatione maiori. Et quædam excommunicatio est à iure, quædam verò ab homine, vt diximus c. 1. disput. 2. dub. 4. quædam est non reseruata, quædam reseruata; ideo

DVBITATVR quartò, quis possit absoluere ab excommunicatione iuris nemini reseruata?

Prima conclusio. A quacunque excommunicatione lata à iure siue per Concilium generale, siue per Papam, aut ius commune non reseruata potest absoluere ex officio ordinario Episcopus Capitulum Sede vacante, & omnis Prælatus habens potestatem in foro exteriori, quales sunt Abbates, Prouinciales, Guardiani, priores, & denique omnes qui habent iurisdictionem quasi Episcopalem. Sic Nauar. c. 27. num. 39. Sylvest. ver. absolutio 1. num. 4. habetur ex cap. nuper. de sententia excommunicat. & hoc idem dico de Archiepiscopo respectu suorum Suffraganeorum in causa appellationis; vel dum visitat, ita P. Henriquez lib. 13. de excommunicat. cap. 24. num. 2. & cap. 27 num. 3. & quòd in his duobus casibus absoluat ex officio probo: nam iurisdictio quæ cõceditur alicui sub nomine dignitatis & officij, est ordinaria, vt probat Couarru. lib. 3. Variarum, cap. vlt. num. 6. facit cap. finale, de offic. ordinarij. Et hæc prima conclusio habet locum etiam in excommunicatione lata per constitutionem inferioris, confirmata tamen per Papam, vt ait Couarru. c. alma mater. p. 1. §. 14. num. 4. & Sylvest. verb. absolutio. 1. num. 7. & verb. absolutio. 2. num. 4. nam statutum confirmatum per Papam non debet esse maioris autoritatis, quàm statutum Papæ.

De Parocho est maior difficultas: multi enim Doctores relati à Couarr. dudum citato num. 5. tenent, quòd non potest absoluere ab huiusmodi excommunicatione iuris, idem tenet Palud. in 4. d. 18 quæst. 5. Tabien. ver. absolutio. 3. num. 1. & 4. quam sententiam ait Couarru. esse receptam communiter in praxi. Fundamẽtum huius opinionis est, quòd ad absoluendum ab excommunicatione requiritur iurisdictio in foro exteriori, quam tamen non habet Parochus; alij verò dicunt quòd potest, sic Nauarr. cap. 27 num. 39. Soto d. 22. q. 2. art. 3. concl. 3. Ledesma 2. p. 4. q. 26. artic. 1. Sylvest. ver. absolutio. 1. num. 4. vbi dicit esse communem Theologorum. Angel. ver. absolutio. 2. num. 2. Armil. verb. absolutio. num. 35. P. Henriquez lib. 13. de excommunicat. cap. 27. numer. 3. Medina in Sum. lib. 1. cap. 11. §. 7. & alij multi Doctores relati à Couarruuia, qui satis inclinat in hanc sententiã, & eam sequuntur communiter Magistri. Probatur ex dicto cap. nuper. nam licèt ibi tantùm loquatur de minori excommunicatione, tamen ratio ibi assignata etiam currit in maiori; ratio est hæc, *Quia tamen conditor canonis eius absolutionem sibi non reseruauit specialiter, eo ipso concessisse videtur facultatem aliis relaxandi.* Vnde Angel. Sylvest. & Nauarr. sup. meritò dicunt, textum hunc esse quasi expressum pro hac opinione. Secundò probatur ratione Sori: nam si non eo ipso quòd excommunicatio est lata à iure cõmuni, Concilio, vel Papa, esset reseruata, non opus esset quòd Pontifex specialiter reseruaret sibi aliquas excommunicationes.

Secunda conclusio. Hæc opinio est tenenda tanquam probabilior; vtrùm verò Parochus possit præstare hanc absolutionem ex officio ordinario, Soto & Medina suprà concedunt.

Tertia conclusio. Probabilius est quòd solùm potest ex commissione, ita Sylvest. & Nauarr. vbi sup. & communiter Magistri. Probatur ex verbis cap. nuper citati. Notandum est, quòd prima conclusio intelligitur de proprio Episcopo, vel Parocho, & secunda de proprio Parocho, nisi fortè per aliquod priuilegium eligatur Parochus alienus ad audiendam confessionem.

Quarta conclusio. Quod diximus de Parocho, idem dicendum est de quolibet sacerdote, qui potest absoluere talem excommunicatum à superioribus. ita Sylvest. & Na-

& Nauar. vbi sup. qui citant alios. & tenent communiter Magistri. Probatur ex dicto cap. nuper. ibi, *à proprio sacerdote*: nam quilibet sacerdos potens absoluere aliquem à mortalibus, dicitur proprius sacerdos illius.

Ad fundamentum autem in contrariũ patet ex dictis dub. 1. circa finem. Quod verò ait Couarru. oppositam sententiam esse receptam in praxi, intelligendum est quoad forum exterius, id est, quòd talis absolutio non valeat pro foro exteriori, de quo postea latiùs dicemus.

DVBITATVR quintò, quis possit absoluere ab excommunicatione iuris reseruata?

Conclusio. Ille cui est reseruata, vel eius Superior, vel ille cui ipsi commiserint, & non alij inferiores, regulariter loquendo. Probatur: nam eius est absoluere, cuius est ligare.

Hinc primò sequitur, quòd si absolutio est reseruata Papæ, ipse solus, vel cui ipse commiserit, poterit absoluere; potest etiam cõgregatio Cardinalium, Sede vacante; ita P. Henriquez lib. 13. de excommunicat. c. 27. num. 3.

Secundò sequitur, si absolutio est reseruata Episcopo, ipse, vel eius Superior, poterit absoluere; potest etiam Vicarius Episcopi, & Capitulum Sede vacante; ita P. Henriquez lib. 13. de excommunicat. c. 3. n. 5. & 4. non tamen poterit absoluere Parochus, nec simplex Confessor, nisi fortè virtute alicuius priuilegij.

Sed est notandum, quòd loquendo de Archiepiscopo, non potest absoluere subditum Episcopi sui Suffraganei ab huiusmodi excommunicatione, nisi gradu appellationis, vel dum visitat, vt diximus dub. 4. Et quoniam dixi, *& non alij inferiores regulariter loquendo.*

DVBITATVR sextò, vtrùm in aliquo casu possit Episcopus absoluere ab excommunicatione reseruata Papæ?

Supponendum est, quasdam excommunicationes esse reseruatas Papæ in iure communi, præter quas sunt aliæ reseruatæ in Bulla Cœnæ.

Prima conclusio. Quando excommunicatio prouenit ex delicto occulto, potest Episcopus ab ea absoluere quemcunque sibi subditũ, etiamsi reseruata sit Papæ in Bulla Cœnæ. habetur ex Trident. sess. 24. cap. 6. Dico, *sibi subditum*, quia non subditum non potest absoluere, vt ait Nauar. lib. 1. Consiliorum, de officio ordinarij. consil. 8. & patet ex consilio, ibi, *sibi subditos.*

Petis vtrũ virtute huius Decreti Concilij possit Episcopus absoluere Religiosum vel Religiosam exemptos degentes in sua diœcesi? Nauar. consil. citato in neutram partem se determinat. Quidam viri doctissimi ex Dominicana familia, & ex Societate Iesu consulti responderunt, quòd non: & idem colligitur ex doctrina Geminiani cap. cùm nullus, de temp. ord. in 6. §. religiosi. idem tenet Palud. in 4. d. 20. q. 4. art. 3. concl. 4. Sit tamen

Secunda conclusio. Prælatus monasterij exempti potest ex æquitate iuris sponte se subiicere quoad hoc Episcopo, atque adeò absolui ab illo, & idem potest facere Religiosus particularis cum licentia Prælati. ita Federic. Senens. consil. 14. P. Henriquez lib. 7. de indulgentiis. cap. 25. n. 2. & lib. 14. cap. vlt. in fine. quia hoc est quid fauorabile, & per consequens non est deperditum per exemptionem, quæ etiam est fauorabilis, & secundùm regulam iuris in 6. *Quod in gratiam alicuius conceditur, non est in eius dispendium retorquendum.* Dico, *ex æquitate iuris*, quia P. Henriquez ibidem in gloss. litera M, dicit secus esse stando in rigore iuris pro foro exteriori. Dixi, *cum licentia*, quia sine illa non potest, ita Paul. III. citatus à Patre Henriquez ibidem, litera N.

Vtrùm autem Episcopus possit absoluere ab hæresi occulta, vide P. Henriquez lib. 6. de sacramento pœnitentiæ. ca. 14. num. 7.

Tertia conclusio. Episcopus iure communi potest absoluere ab excommunicatione etiam publica reseruata Papæ etiam

in Bulla Cœnæ, quando excommunicatus est impeditus recurrere ad Papam; ita Sylvest. verb. absolutio. 4. num. 7. Nauarr. c. 27. num. 90. Pater Henriquez lib. 6. de pœnit. cap. 16. num. 1. & habetur ex cap. de cætero. de sententia excommunicat. Iusta autem impedimenta sunt hæc; primò, periculum mortis, can. si quis suadente. 17. quæst. 4. secundò, infirmitas longa, etiamsi periculosa non sit; tertiò, inimicitia capitalis; quartò, paupertas; quintò, ætas senis vel impuberis, licèt post pubertatem petat absolutionem ab excommunicatione, quam ante pubertatem incurrerit. cap. vlt. de sententia excommunicat. sextò, esse sub cura parentum; septimò obligatio alendi vxorem, filios, & familiam; octauò cura animarum, si timeat quòd per eius absentiam oues patientur detrimentum; nonò, seruitus, quando talis seruus non potest adire Romam sine præiudicio domini, & dominus non fuit causa quòd inciderit in excommunicationem. cap. relatum. de sententia excommunicat. decimò, fragilitas sexus, nempe in fœmina cuiuscunque conditionis sit. cap. mulieres. de sententia excommunic. & cap. quamuis. eod. tit. & denique quodlibet impedimentum quod arbitrio viri prudentis iudicabitur legitimum. Hæc impedimenta referuntur à Nauarr. capit. 27. num. 88. & à Cordub. in Sum. quæst. 18. & ferè omnia desumuntur ex dicto capit. quamuis. & cap. de cætero. Sed tria sunt notanda.

Primò, quòd licèt hæc impedimenta videantur solùm esse admittenda in absolutione ab excommunicatione propter percussionem clerici, tamen generaliter admittenda sunt, vt tradit Nauar. cap. 27. num. 90. §. ad primam verò: eadem enim ratio militat in omnibus.

Secundò nota, quòd qui propter aliquod ex his impedimentis est impeditus ire personaliter Romam, nō tenetur mittere procuratorem pro absolutione, nec epistolam, ita P. Henriquez libro sexto de pœnitent. cap. 9. num. 7. & lib. 12. de matrimonio. capit. 3. num. 1.

Tertiò nota, quòd qui propter aliquod impedimentum absoluitur ab Episcopo ab excommmunicatione reseruata Papæ, debet cessante impedimento se præsentare Pontifici, vt postea dicemus.

Quartò nota, quòd duæ limitationes apponi solent tertiæ conclusioni. Prima est Nauarr. num. 90. citato ad 4. & Cordub. supr. quando talis impeditus potest adire legatum, vel alium habentem priuilegium Papæ ad absoluendum: verùm hæc limitatio nō placet Patri Henriquez libr. 12. de matrimonio, capit. 3. num. 1. in gloss. litera H, vbi ait, quòd sufficit non esse recursum ad solum Papam, & dicit ita sentire quosdam recentiores, & ego idem iudico: nam in his casibus absoluit Episcopus tanquam proprius pastor, & potestate ordinaria: illa enim potestas ordinaria, quæ sublata erat ei per reseruationem, restituta est existente impedimento recurrendi ad Papam. Confirmatur hæc reseruatio: Respectu Episcopi est odium; ergo strictè est interpretanda. Secunda limitatio est Sylvestri supr. scilicet nòdius non dicat, quòd nemo possit absoluere à tali excommunicatione, præterquam in articulo mortis; sed hæc limitatio est durissima: nam ex ea sequeretur, quòd qui pateretur diuturnam infirmitatem, non posset toto illo tempore absolui. Præterea arguitur: nam in can. si quis suadente. 17. quæst. 4. dicitur, quòd nullus præter Papam possit absoluere ab excommunicatione incursa propter percussionem clerici, nisi in articulo mortis, & nihilominus in multis casibus potest absolui ab Episcopo, vt tradit Nauarr. cap. 27. num. 88. & Doctores communiter. & eadem clausula habetur capit. fundamenta. de elect. in 6. cap. clericis. §. nos igitur. de immunit. Ecclesiarum. in 6. & in cap. fœlicis. de pœnis. in 6. & in multis aliis textibus. Et tamen Doctores generaliter dicunt, quòd ab excōmunicatione reseruata Papæ potest Episcopus absoluere, quādo est aliquod ex prędictis impedimentis.

Non

Nonnulli disputant hîc de casibus reseruatis Papæ in particulari,& de cõtentis in Bulla Cœnæ, sed hoc petit specialem tractatum. Solùm aduertam de excommunicatione incursa ob percussionem clerici, quia est frequens in praxi, quòd potest absolui ab Episcopo in octo casibus relatis à D. Thom. quæst. 24. addit.artic. 1.qui omnes dudum relati sunt, duobus exceptis. Primus,quando percutiens est ostiarius alicuius potentis, qui prætextu officij arcendo turbam percussit clericum,& non percussit ex odio; intelligitur autem de percussione quæ sit peccatum mortale, vt ait Nauar. cap.27. num.92. aliàs non incurreret excommunicationem.idem tenet glossa cap.si verò. el 1. de sententia excommunicatio. quæ probat ex ipso textu, ibi, *malignatus*. Requiritur tamen quòd talis percussio non sit læsio enormis, nempe quòd non sequatur ex ea mors, nec mutilatio membri, aut magna sanguinis effusio in alia parte quàm in naribus, vel alia, ex qua sanguis facilè solet erumpere, vt ait Nauar. ibidem habetur iste casus ex dicto cap.si verò.vide Angel. verb. excommunicatio.5. casu 1.numer.57. qui quamuis idem dicat de Officiali,scilicet Iudice,vel Apparitore, sed textus tantùm dicit hoc de ostiario; de Officiali verò dicit, quòd à solo Papa est absoluendus,nisi in aduertenter & fortuitò percutiat, quia tunc non est excommunicatus, vt ait glossa ibidem.verbo, fortuitò. & Panormitan. ibi. ex quo infero quòd non indiget absolutione. Reddit autem rationem Panormitan. quare Officialis, si incurrat hanc excommunicationem, est absoluendus à solo Papa,quia scilicet Officialis non tantùm percutit,sed vsurpat iurisdictionem.

Secundus casus est,quando percutiens est Monachus, vel canonicus Regularis. cap.Monachi.cap. Canonica.vel est Religiosa, cap.de monialibus,de sententia excommunicat. nisi excessus fuerit enormis,dicto cap.Canonica. iuncto cap.cùm illorum. vbi aduertendum est,quòd si aliquis clausstralis percusserit Religiosum alterius clausstri, per Abbatem vtriusq; debet absolui,dicto cap.cùm illorum.

DVBITATVR septimò, vtrùm per Bullam Cruciatæ possit quis absolui ab excommunicatione reseruata Papæ vel Episcopo?

Prima conclusio. A reseruata Papæ, etiam in Bulla Cœnæ,potest quis absolui bis,scilicet semel in vita, & iterum in articulo mortis; sic habetur in Bulla. Quid si postea reincidat?

Secunda conclusio. Potest sumere secundam Bullam,& absolui per illam, sic P. Henrique lib.6. de pœnit.cap. 16. n.2. Dico, *secundam*, quia non potest sumere plures: nam vt testatur Manuel Rodriguez in explicatione Bullæ Cruciatæ. §. 12.num.2.Papa per specialem concessionem indulsit,quòd duabus duntaxat Bullis possint frui durante anno publicationis;excipienda tamen semper est excommunicatio incursa propter hæresim:nam ab hac non potest absolui per Bullam,nec aliquod Iubilæum, aut priuilegium, nisi fiat de illa expressa mentio;sic P. Henrique sup. & alij Doctores: nam generalis concessio non extenditur ad illa, quæ non solent in speciali concedi, cap.in generali. de regulis iuris.in 6. Et quamuis de hoc fuerit antiquitus controuersia,tamen iam cessauit,quia Gregorius XIII. decreuit nostram sententiam in quodam motu proprio edito anno 1576. die 22. Septembris, sub annulo piscatoris, & etiam in Bulla Hispana excipitur crimen hæresis.

Tertia conclusio. Ab excommunicationibus generalibus reseruatis Episcopo potest absolui per Bullam Cruciatæ toties quoties indiguerit. Probatur: nam Bulla dicit, *A reliquis peccatis & censuris non reseruatis sedi Apostolicæ possit Confessarius absoluere, toties quoties audierit eorum confessiones.*

Restat agere de absolutione ab excommunicatione lata ab homine; quæ dupli-

citer ferri potest. Primò in generali, scilicet contra omnes qui hoc fecerint, vel qui non reuelauerint tale furtum. Secundò in speciali & nominatim, scilicet cõtra Prætorem, vel contra Petrum. Quo posito

DVBITATVR octauò, quis possit absoluere ab excommunicatione impositа ab homine in generali non reseruata?

Prima opinio tenet, quòd non potest absoluere inferior, sed tantùm ille qui eam tulit, vel eius Superior, vel successor, aut delegatus, ita gloss. Panormit. & alij citati à Couarru. cap. alma mater. p. 1. §. 12. num. 4.

Secunda opinio dicit, quòd licèt talis excommunicatio sit lata per summum Pontificem, potest absoluere ille qui potest absoluere ab excommunicatione iuris non reseruata; vnde potest ab ea absoluere non solùm qui eam tulit, vel eius Superior, sed etiam inferior, scilicet Parochus, & simplex Confessor; ita Soto d. 22. q. 2. art. 3. concl. 3. Nauar. cap. 27. n. 44. vbi citat Immolam & alios, & in cap. ita quorundam. de Iudæis. in glossa vlt. notab. 11. num. 35. & 36. Couarr. sup. P. Henriquez lib. 13. de excommunicat. cap. 28. nu. 5. & communiter Magistri. Probatur primò: Hæc excommunicatio ferè in omnibus assimilatur excommunicationi iuris, & solùm addit excommunicatio iuris, quòd duret mortuo statuente; ergo qui potest ab vna, potest ab altera. Probatur consequentia: nam ex hoc quòd excommunicatio generaliter lata ab homine pereat cum ipso, non est vinculum strictius. Secundò probatur ex cap. frequentibus. de institutionibus. vbi videtur præsupponi hæc sententia: nam ibi relatum est ad Papam, Archiepiscopum tulisse excommunicationem contra clericos, qui sine alia licentia se ingerebant in beneficia ecclesiastica, quam excommunicatio confirmat Papa, & addit, quòd *deinceps prædictus Archiepiscopus, & alij Episcopi Suffraganei non præsumant absoluere à tali excommunicatione, nisi congrùe satisfecerint.* Ex qua decisione duo inferuntur; primò, quòd ante hoc cap. Archiepiscopus, & Episcopi Suffraganei, & consequenter inferiores poterant absoluere etiam ante præmissam satisfactionem. Secundò, quòd post istud cap. iidemmet possunt absoluere præmissa cõgrua satisfactione. Quæ opinio ampliatur, etiamsi talis excommunicatio sit confirmata per Papam; ita Couarr. supr. Et probatur ex dicto cap. frequentibus. Nonnulli referunt pro eadem ampliatione Angel. verb. absolutio. 2. in princ. casu 4. Syluest. verb. absolutio. 1. num. 3. casu 4. Armill. verb. absolutio. num. 42. casu 7. dummodo talis confirmatio non sit facta ex certa scientia. Verumtamen ex contextu horum Doctorum, & ex Couar. colligo, quòd loquuntur, etiamsi confirmatio facta sit ex certa scientia, & solùm apponunt hanc limitationem, quando excommunicatio est ab homine in speciali: tunc enim si sit confirmata per Papam ex certa scientia, & cognitione causæ, ipse qui eam tulit non potest absoluere, sed solus Papa. Ex dictis sequitur, quòd Parochus & simplex Confessor potest absoluere ab excommunicatione generali lata à visitatore Episcopi in sua visitatione; sic P. Hẽriquez sup. & alij.

DVBITATVR nonò, quis possit absoluere ab excommunicatione lata ab homine in speciali & nominatim, verbi gratia, contra Petrum, vel contra Prætorem?

Conclusio. Stando in iure communi tantùm potest absoluere qui eam tulit, vel eius Superior, vel successor, vel delegatus, regulariter loquendo; ita Syluest. verb. absolutio. 2. num. 1. Palud. in 4. dist. 18. q. 5. art 2. Nauar. cap. 27. num. 40. Couarr. cap. alma mater. p. 1. §. 12. num. 2. Soto dist. 22. quæst. 2. artic. 3. concluf. 2. & communiter Doctores. Probatur primò: nam eius est absoluere, cuius est ligare. Secundò probatur ex cap. per tuas. & cap. sacro. de sententia excommunicat. & ex cap. Pastoralis. §. præterea. de offic. ordinarij. in quo cap. habetur expressè, quòd inferior non potest absoluere ab excommunicatione

superio

superioris, & ex cõtextu manifestè patet, sermonem esse de excommunicatione lata à Iudice in speciali.

Dixi, *regulariter*, quia excipiũtur quinque casus relati ab Angelo, ver. absolutio. 2. in princ. & ab Armil. verb. absolutio. n. 42. in quibus Iudex, qui excõmunicauit, non potest absoluere. Primus est in excõmunicatione posita contra incendiarios, à qua solus Papa absoluit, vt ait Caiet. in Sum. verb. excommunicatio. c. 22. P. Henriquez lib. 13. de excommunicat. cap. 28. num. 6. vbi nota cum iisdem & aliis Autoribus, non esse in toto iure communi excommunicationem impositam ipso iure contra incendiarios; vnde Caiet. ait, quòd ipse non habet eos pro excommunicatis: nam in cap. tua nos. de sententia excommunicatio. non imponitur excommunicatio, sed solùm dicitur, quòd si fuerint ab Ecclesia excommunicati & denũciati, talis excommunicatio lata ab Episcopo vel Archiepiscopo reseruatur Papę. Præterea in can. Canonica. 11. qu. 3. non fertur excommunicatio specialiter contra incendiarios, sed generaliter contra violatores Ecclesiæ; & addit Caiet. quòd quamuis daremus in dicto can. Canonica. contineri excommunicationem contra incendiarios, tamen iste canon nec ex se, nec ex suo compilatore habet autoritatem obligandi omnes fideles, quia est canon Cõcilij Arausicani, quod fuit Prouinciale, præsertim cùm sit canon pœnalis; hoc idem aduertit Soto concl. 4. casu 3. & P. Henriquez sup. in glossa, litera C, quam doctrinam amplectitur Nauar. etiã loquendo de incendiariis Ecclesiarum, cum Caietan. contra Panormitan. Anton. & alios.

Secundus casus est, quãdo qui excommunicauit, incidit postea in maiorem excommunicationem, ita vt sit non toleratus; sic Nauar. cap. 27. num. 40 nam gesta ab isto ratione publici officij, & pertinẽtia ad iurisdictionem, sunt nulla, vt vidimus cap. 6. disput. 6. dub. 2.

Tertius casus est in delegato Papæ, qui inobedientem potest excõmunicare, sed transacto anno à sententia diffinitiua non potest absoluere. cap. quærenti. de offic. delegati. vbi nota primò ex Angel. sup. & Innocent. dicto cap. quærenti. quòd si excommunicat ante sententiam diffinitiuam, potest absoluere vsque ad sententiam diffinitiuam, & etiam pòst vsque ad hanc.

Secundò nota cum Nauar. num. 40. Panormit. & communi, idem esse dicendum de quolibet alio delegato habente facultatem exequendi suam sententiam.

Quartus casus est, in eo cui Papa mandat, vt certum hominem excommunicet sine aliqua commissione causæ: nam cùm talis sit merus executor, non poterit absoluere, ita Nauar. c. 27. n. 44. Angel. sup. secus si mandat ei cognitionem causæ, sic Angel. & citat Archidiaconum, Hostiensem, & alios. Quid si Papa mandat simpliciter, vt excommunicet aliquem? Respondetur cum Angelo, qui citat Innocent. & glossam, quòd non debet excommunicare nisi cum cognitione causæ, nisi constet Papam iam cognouisse de causa.

Quintus casus est, quando sententia lata est ab inferiori, sed est confirmata per Papam ex certa scientia: tunc enim solus Papa absoluit, quod secundùm Angelum, Ioannem Andream, & alios, intelligendum est de excommunicatione quæ est ab homine, & ego intelligo de excommunicatione nominatim; secus est si sit confirmata sine certa scientia, aut cognitione causæ, vel si sententia est per statutum, vt etiam diximus dub. 8. Dixi, quòd intelligo de excommunicatione ab homine nominatim: nam ideo confirmatio ex certa scientia reseruat excommunicationem, quia talis confirmatio est idem ac si ipse Papa ferret excommunicationem: tunc enim ipse solus vel delegatus posset absoluere; hæc autem ratio solùm habet locum in excommunicatione lata nominatim: nam ab excommunicatione generaliter lata à Papa non reseruata, qui potest absoluere à mortalibus, potest ab ea

absoluere, vt diximus dubio 8.

Si autem quæras, quando confirmatio fit ex certa scientia? Respondeo cum Sylvest. verb. absolutio. 2. n. 4. quando in ea inseritur totus tenor rei confirmatæ, vel quando Papa vtitur istis verbis, vel similibus, scilicet, *ex certa scientia, &c.* vel quando confirmat aliquid quod vidit.

Sextum casum ponunt Angel. & Armil. sup. quando qui excommunicauit nō est sacerdos: iste enim licèt possit absoluere quoad forum contentiosum, non tamen quoad forum interius; sed hoc est falsum, vt vidimus dub. 2. nisi fortè intelligatur de absolutione culpæ, ob quam est incursa excommunicatio, & hoc modo explicat Nauar. hanc sententiam cap. 27. num. 41. sed hic modus loquendi est valde improprius.

Alios tres casus referunt Angel. & Armil. sed illos consultò prætermitto, quia non loquuntur specialiter de absolutione ab excommunicatione. Dixi in conclusione, *stando in iure communi*: nam loquendo de Bulla Cruciatæ, vel aliis priuilegiis, est specialis difficultas, quæ licèt hîc esset tractanda secundùm ordinem quem sequimur, tamen quia hæc excommunicatio ferè semper habet admixtam satisfactionem, commodiùs tractabitur disputatione tertia.

Dvbitatvr decimò, vtrùm ab excommunicatione lata à Suffraganeis in suos subditos possit Archiepiscopus absoluere? Verbi gratia, Archiepiscopus Limensis ab excommunicatione lata ab Episcopo Cuzquensi in suos subditos.

Prima conclusio. Non potest, nisi ad eum fuerit appellatū, & hoc vocatis partibus, & cognito de appellatione, vel dum visitat, vel si Episcopus Suffraganeus negligētet vel malitiosè differat absolutionem, vel in aliis casibus, in quibus potest iudicare de subditis Suffraganeorū, quos refert Sylvest. verb. Archiepiscopus, n. 1. Et si absoluit in casu sibi non concesso, absolutio est nulla, quia est à Iudice non suo; ita Sylvest. verb. absolutio. 2. num. 1. & verb. Archiepiscopus. num. 5. Couarru. cap. alma mater. par. 1. §. 12. num. 2. & hoc habet verum etiam in absolutione ab excommunicatione minori; ita Sylvest. ver. Archiepiscopus. & est conforme resolutioni traditæ à nobis dubio 1. Qualiter autem debeat procedere Metropolitanus in absolutione ab excommunicatione, quando à Suffraganeis est appellatum ad illum, tractat Sylvest. ver. absolutio. 2. q 7. Hinc infertur

Secunda conclusio, quòd Archiepiscopus non potest absoluere ab excommunicatione Episcopos Suffraganeos, nisi in casibus in quibus potest exercere iurisdictionem propriam circa illos, & idem est de Patriarcha circa Archiepiscopos Suffraganeos. Infertur etiam

Tertia conclusio. Archiepiscopus vel Patriarcha per facultatem concessam in Concil. Triden. sess. 24. c. 6. non potest absoluere ab excōmunicatione occulta reseruata Papæ subditos Episcoporum Suffraganeorum, nec ipsos Episcopos Suffraganeos, nisi dum visitat illos, sic tenent aliqui viri doctissimi. Et probatur, quia isti non sunt simpliciter subditi Archiepiscopi, & Concilium dicit, *sibi subditos.*

Dvbitatvr vndecimò, vtrùm Episcopus possit absoluere eum quem Prælatus inferior excōmunicauit? Verbi gratia, Abbas Metinēsis in Hispania excommunicat aliquem, vtrùm Episcopus Salmanticensis, in cuius diœcesi est prædictus Abbas, possit eum absoluere? Idem est si Curatus vel Archidiaconus excommunicet ex consuetudine.

Prima opinio est negatiua. ita Decius in cap. cæterùm. de iudiciis. num. 5. & alij relati à Couarr. cap. alma mater. par. 1. §. 12. num. 3. in quam magis inclinat ipse Couarru.

Secunda opinio est affirmatiua, quæ dicit duo. Primò, quòd si absoluat, valet absolutio; secundò, quòd malè faciet absoluendo non requisito excommunicatore, quia subditis suis iurisdictionem suam non seruat. Hanc tenet glossa vlt. in cap. cùm

cùm ab Ecclesiarum. de offic.ordinarij.& ibi Abbas & Immola. eandem tenet Angel. verb. absolutio.2.n.3. Sylvest.eodem verb.num.1.Tabien.n.14. qui dicunt esse communem, quamuis aliqui contradicant. eâdem tenet P. Henrique lib. 13.de excommunicat.capit. 28. num.3. Fundamentum est, quòd iurisdictio competens in aliqua diœcesi Prælato inferiori, non datur ei priuatiuè, sed accumulatiuè; sensus est, quòd talis iurisdictio non priuat Episcopum ordinaria iurisdictione, sed ei accedit accumulatiuè ad hunc effectum, quòd Prælatus inferior potest hac iurisdictione vti, sicut & Episcopus, sitque inter eos præueniendi locus. quam opinionem confirma P.Henrique, quia Episcopus est ordinarius illorum, quòd probat in glos. litera T, quia Episcopus Salmanticensis in Abbatia Metinensi cognoscit immediatè de tribus casibus, nempe exponit ibi Confessarios & Prædicatores, confirmat illos, & concedit dimissorias pro tonsura & reliquis ordinibus tanquam pastor directè, & immediatè illorum; & de approbatione Confessorum & prædicatorum idem antea dixerat lib.6.de pœnit. cap.6.num.1.

Sit prima conclusio. Hæc opinio videtur mihi probabilior, habet tamen duas limitationes. Prima, quòd nõ vigeat consuetudo in contrarium, sic Angel. Sylvest. & Tabien. locis vbi sup. Secunda, quòd inferior nõ præscripserit iurisdictionem, ita vt Episcopus volens exercere iurisdictionem ordinariam, sit prohibitus à Prælato inferiori, sic Abbas, Felinus, & alij citati à Couarr. sup. sed duo sunt notanda. primò, quòd licèt Episcopus possit absoluere excommunicatos à suo inferiori, at verò si cõmittat alicui suas vices, quamuis dicat, *Committimus vobis vices nostras, etiam in iis quæ requirunt speciale mandatum*, iste talis non poterit absoluere, nisi id expressè sibi concedatur, sic Angel. Sylvest. Tabien. vbi sup. quia in tali mandato non comprehenduntur maiora & grauiora, quàm in commissione sunt expressa; istud autem maius est quàm absoluere simpliciter, eò quòd fit cum iniuria inferioris, intromittendo se in eius iurisdictionem, & proportionaliter dico, quòd Confessor approbatus ab Episcopo Salmanticensi ad audiendas confessiones in illa diœcesi, iuxta Concilium Tridentinum non ex eo censetur approbatus, & habere licentiam ad audiendas confessiones in Abbatia Metinensi, sed requiritur quòd id expressè illi concedatur, vel quòd approbetur ab ipso Abbate Metinensi. Secundò nota, quòd licèt daremus primam opinionem esse veram in prælatis regularibus, secus tamen dicendum esset in prælatis regularibus, vt si prouincialis Mendicantium absoluat quem prior conuentualis excommunicauit, vnde in omni opinione valida erit absolutio; ita Sylvest. sup. & glossa, verb. Abbas, & Doctores citati à Couarr. sup.

Ex dictis sequitur, quòd Episcopus Salmanticensis per facultatem concessam à Concil. Trident. sess. 24. cap. 6. potest absoluere subditos Abbatis Metinensis, & ipsum Abbatem ab excommunicatione occulta, licèt sit reseruata Papæ in Bulla Cœnæ. Sic aliqui viri docti.

Petis, quid intelligatur in Concilio Tridentino per delictum occultum?

Secunda conclusio. Illud quod non est publicum, aut notorium, vnde licèt delictum possit probari testibus, tamen si non est publicum, notoriũ, nec famosum, dicitur occultum, & potest absolui per Episcopum, ita P. Henriquez lib.4. de irregularit. cap.22.num.4.

Petis, vtrùm ille qui in vna prouincia commisit crimen ibi publicum, si veniat ad aliam prouinciã, vbi id est occultum, & fiat ibi subditus, possit absolui ab Episcopo, quamuis delictum sit reseruatum Papæ in Bulla Cœnæ? Verbi gratia, si commisit crimen in Hispania, & venit Limam, vtrùm possit absolui ab Archiepiscopo Limensi?

Sit tertia conclusio affirmatiua, ita tenent aliqui viri doctissimi, qui referunt Magistrum

Magistrum Sanchum, & alios Doctores Iuristas Salmanticenses consultos de hac re, qui ita responderunt, quorum consilio Episcopus Salmanticensis de facto absoluit ab huiusmodi delicto. Probant, quia tale delictum hîc est occultum, & in iure dicitur occultum; sed nota quòd Tridentinum etiam excipit delictum deductum ad forum contentiosum, vnde si delictum deductum est ad forum contentiosum, etiam cum vnico teste non potest absolui per Episcopum. Verum est, quòd si reus etiam mediis iniquis vicit causam, & per Iudicem absolutus est ab instantia, potest absolui per Episcopum, quoad forũ conscientiæ, quia iam cessat ratio deducti ad forum contentiosum, & est occultum, sic P. Henriquez sup.

Petis, vtrùm Episcopus Salmanticensis virtute huius Decreti Concilij possit absoluere à crimine reseruato Papæ in Bulla Cœnæ, occulto tamen; nec deducto ad forum contentiosum, scholasticum alterius diœcesis residentem Salmanticæ ratione studij.

Sit quarta conclusio affirmatiua: nam quantùm ad hoc est proprius Pastor illorum, sic aliqui viri docti. Et patet ex dictis in materia de confessio. qu. 8. art. 4. dub. 5. concl. 3. vbi dixi, quòd scholastici tenentur confiteri Parocho illius Parochiæ, in qua commorantur, quia quantùm ad hoc censentur incolæ.

DVBITATVR duodecimò, vtrùm Episcopus existens extra proprium territorium possit absoluere suum subditum, quem ipse existens in proprio territorio excommunicauit?

Conclusio. In foro animæ sine cognitione causæ, & strepitu iudiciali bene potest illum absoluere, secus si fiat in foro contentioso cum strepitu iudiciali; ita Syluest. verb. absolutio. 2. num 1. P. Henriquez lib. 13. de excommunicat. cap. 27. num. 3. & communiter Magistri. Probatur: nam iurisdictio volũtaria potest exerceri extra proprium territorium, secus est de contentiosa, vt diximus suprà cap. 5. disputat. 2. dub. 1.

DVBITATVR decimotertiò, quando aliquis est excommunicatus in proprio territorio à suo Iudice, verbi gratia, ab Episcopo Cuzquensi, & postea inuenit se in Episcopatu Quitensi, vtrùm possit absolui à tali excommunicatione per Episcopum Quitensem?

Prima conclusio. Si talis excommunicatio fuit ab homine in speciali & nominatim, non potest. ita Magistri. Et patet ex dub. 9. & intelligo quòd non potest absolui etiam in foro interiori & pœnitentiali: nam quamuis ab excommunicatione ab homine generaliter lata non reseruata possit absoluere quicunque potest absoluere à peccatis mortalibus, vt vidimus dub. 8. secus est in excommunicatione lata ab homine in speciali, vt vidimus dubio 9.

Loquendo autem de excommunicatione ab homine generaliter lata, & non reseruata, Soto dist. 22. quæst. 2. art. 3. ante concluſ. 3. ait, quòd potest absoluere satisfacta parte, quia in hoc nulla irrogatur iniuria proprio Episcopo.

Sit secunda conclusio. Licèt hæc sententia sit vera, loquendò de absolutione in foro interiori, & in ordine ad sacramẽtum pœnitentiæ; opposita tamen est tenenda, loquendo de absolutione in foro exteriori & contentioso, sic multi viri docti. Prima pars probatur: nam aduenæ possunt confiteri cum Episcopo, vel Parocho illius diœcesis, in qua se inueniunt, vt dixi in materia de confessione. q. 8. art. 4. dub. 5. & per consequens possunt absolui ab excommunicatione generaliter lata ab homine, non reseruata. Secunda verò probatur, quia talis Episcopus alienus nullam habet ad hoc iurisdictionem; nec ordinariam, neque ex commissione proprij Prælati, vt suppono. Et communis illa sententia Doctorum, quòd ab excommunicatione ab homine generaliter lata non reseruata potest absoluere Episcopus, imò & Parochus, vel Confessarius, intelligitur de proprio Episcopo, vel Parocho

rocho ipsius excommunicati, vel delegato. Hæc autem secunda pars conclusionis intelligitur, nisi talis excommunicatus factus sit subditus, & Parochianus Episcopi Quitensis, nempe per hoc, quòd iam habet ibi domicilium, vel quia habet animum habitandi per maiorem partem anni, vt mercatores, qui veniunt ad negotiandum; vel si est propriè vagabundus, qui nullibi certam sedem habet: tunc enim potest absolui ab excommmunicatione generaliter lata ab homine, sicut ab excommunicatione iuris, quam contraxisset in alia diœcesi. sic aliqui viri docti. Vtrùm autem isti viatores, & vagabundi possint absolui ab excommunicatione reseruata Episcopo, constat ex dictis in materia de confess. quæst. 8. art. 4. dub. 6.

DVBITATVR decimoquartò, quando aliquis est excommunicatus in alieno territorio, siue à iure, siue ab homine, vtrùm rediens ad proprium territorium possit absolui à tali excommunicatione per suum proprium Episcopum, satisfacta parte?

Prima conclusio. Ab excommunicatione iuris non reseruata bene potest; ita Nauarr. cap. 27. num. 39. vbi citat Fredericum, & Panormitan. communiter receptos, & patet ex dictis dub. 4.

Secunda conclusio. Si excommunicatio est ab homine in generali, verbi gratia, quia iste in alieno territorio commisit delictum habens ibi annexam excommunicationem impositam ab Episcopo illius diœcesis, poterit rediens ad propriam diœcesim absolui per proprium Episcopum; sic multi Magistri, & patet: nam, vt diximus dub. 8. hæc excommunicatio æquiparatur excommunicationi iuris.

Tertia conclusio. Si talis excommunicatio fit ab homine nominatim, verbi gratia, ratione alicuius delicti, iste rediens ad propriam diœcesim non potest absolui à proprio Episcopo, sed remittendus est ad excommunicatorem, vel petenda est ab eo licentia ad absoluendum; ita Sylueſt. verb. confessor. 1. q. 6. p. 5. & q. 13. & citat D. Thom. idem tenent aliqui Magistri, & patet ex conclusione dub. 9. & hoc intelligitur, stando in iure communi: nam loquendo de facultate concessa in Bulla Cruciatæ, vel Iubilæis, vtrùm sufficiat ad absoluendum ab excommunicatione ab homine nominatim, dicemus disputatione tertia.

DISPVTATIO II.

De iis, qui possunt absolui ab excommunicatione, & de modo obtinendi absolutionem.

DVBITATVR primò, vtrùm absens possit absolui ab excommunicatione?

Conclusio, quòd potest absolui per procuratorem, vel per literas, vel etiam sine illis, solis verbis exprimentibus intentionem absoluendi; ita Soto d. 22. q. 2. art. 3. circa finem. P. Henrique lib. 13. de excomm. cap. 29. num. 1. Nauarr. cap. 26. num. 14. & est communis Doctorum; dicunt tamen Soto suprà, & Nauarr. cap. 27. num. 40. quod iam vsus habet, vt absolutio committatur Sacerdoti, qui absoluat in præsentia.

Ex dictis primò sequitur, rectè facere Prælatos, qui dum in Capitulis generalibus dant generalem absolutionem à censuris, solent eam extendere ad absentes.

Secundò sequitur, quòd si aliquis absolutus est à peccatis, & non ab excommunicatione, vel quia Confessarius oblitus est, vel quia absoluit ab aliqua excommunicatione, à qua non poterat, quia erat reseruata, poterit prædictus Confessor eum absoluere absentem, obtenta facultate pro excommunicatione reseruata; ita Nauarr. cap. 26. num. 14. secùs est à peccato reseruato, quidquid dicat Nauarr. ibidem.

DVBITATVR secundò, vtrùm possit aliquis absolui ab excommunicatione inuitus?

Conclusio affirmatiua. Sic Soto loco citato; & est communis omnium: nam excommunicatio non est culpa, sed pœna:

vnde sicut potest aliquis illam incurrere inuitus, ita etiam potest ab ea absolui. Verum est, quòd, vt ait D. Thom. in add. q. 24. art. 2. Sylvest. verb. absolutio. 3. num. 10. P. Henrique lib. 13. de excomm. cap. 29. num. 1. qui perseuerat in sua contumacia, non debet absolui, nisi immineat periculum, quòd fiet deterior. Sed nota, quòd conclusio intelligitur de absoluente per potestatem ordinariam, & absolutam, independentem à voluntate excommunicati, vnde per Bullam Cruciatæ, vel Iubilæum, vel aliud priuilegium concessum in fauorem pœnitentis, non potest absolui inuitus; ita P. Henrique loco citato, & aliqui Magistri: nam vsus priuilegij pendet ex voluntate vtentis illo, vnde si non vult vti illo, non habebit Confessarius facultatem absoluendi virtute illius. Dico, *concessum in fauorem pœnitentis*: nam si sit concessum in fauorem Confessarij, vt si sit Religiosus, qui absoluit virtute priuilegij concessi ipsi Religioni, credo quòd absolutio erit valida.

DVBITATVR tertiò, vtrùm qui est ligatus pluribus excommunicationibus, absolutus ab vna, censeatur ab omnibus absolutus? Quam quæstionem tractat optimè Couarr. cap. alma mater. p. 1. §. 11. num 13. & Panormitan. cap. cùm pro causa. de sentent. excomm.

Supponendum est primò cum D. Tho. in add. q. 24. art. 3. & communi, quòd potest quis absolui ab vna excommunicatione, sine hoc, quòd absoluatur ab aliis, quia excommunicationes non sunt connexæ quoad remissionem, sicut peccata mortalia; vnde aduertit bene Palud. in 4. d. 18. q. 5. art. 3. concl. 2. quòd qui absoluitur ab vna excommunicatione, & non ab aliis, non restituitur Sacramentis, nec suffragiis Ecclesiæ, nec communioni fidelium, donec absoluatur ab omnibus.

Secundò supponendum est, quòd potest quis excommunicari pluribus excommunicationibus ab vno Iudice, vel à diuersis; præterea potest quis excommunicari propter eamdem causam, vel propter diuersam. His positis sit

Prima conclusio. Ligatus pluribus excommunicationibus ab eodem Iudice, siue propter eamdem causam, siue propter diuersas, si in petitione facit mentionem omnium, vnica absolutione manet ab omnibus absolutus. In hac omnes conueniunt.

Secunda conclusio. Quando excommunicationes sunt à diuersis Iudicibus propter diuersas causas, vel propter eamdem, non potest ab vno absolui, sed à quolibet est absoluendus, vel ab vno, cui reliqui suas vices commiserint. Sit exemplum, quando excommunicationes sunt propter eamdem causam, vt si Clericus est excommunicatus ab Archiepiscopo Limensi propter concubinatum, & abiit Cuzcum, vbi propter eamdem causam excommunicatur ab Episcopo Cuzquensi. Pro hac conclusione, quando causæ sunt diuersæ, est optimus text. cap. officij. de sentent. excomm.

Tertia conclusio. Ligatus pluribus excommunicationibus, quamuis sint ab eodem Iudice, si tantùm facit mentionem vnius, non manet absolutus à reliquis, etiamsi fuerit absolutus indefinitè, & absolutè; ita Sylvest. verb. absolutio. 3. q. 8. num. 11. Couarr. concl. 2. quia talis absolutio indefinita solùm refertur ad excommunicationem in petitione commemoratam. Verùm hæc conclusio intelligenda est, nisi absoluens intendat ab omnibus absoluere: tunc enim ab omnibus manet absolutus, immò idem dicendum est cum Couarr. concl. 6. & Palud. suprà. quando verisimili coniectura præsumitur, quòd absoluens ab omnibus absolueret, si earum notitiam habuisset: tunc enim tacitè, & virtualiter intendit absoluere. Tunc autem erit huiusmodi præsumptio, quando Iudex dicit, *Ego te absoluo ab omnibus aliis excommunicationibus, quarum non recordaris*; vel quando alia via habet notitiam reliquarum, & absoluit indefinitè; vel quando excommunicatus, quamuis in particulari exprimit vnam tantùm, nihilominùs

minùs petit se absolui ab omnibus illis, in quas incurrerit. Sic Couarr. suprà, & Tabien. verb. absolutio. 3. num. 9. sed hoc intelligendum est, quando exprimit vnam, vel duas excommunicationes tantùm, quia de aliis non recordatur; at verò si dolosè tacet reliquas, & dicit se tantùm incurrisse vnam, vel duas, non manet à reliquis absolutus, loquendo in foro conscientiæ; ita Sylvest. suprà, & citat Richard. pro quo est optimus text. cap. super literis. de rescriptis. vbi dicitur, quòd quando aliquis in petitione rescripti facit relationem falsam ex malitia, non valeat ei rescriptum. Præterea probatur, quia semper præsumitur, Iudicem velle absoluere ab oblitis, & nolle, quòd fraus patrocinetur alicui.

Quarta conclusio. Quod dictum est in præcedenti conclusione, quando aliquis est ligatus pluribus excommunicationibus, & vnius tantùm facit mentionem, idem proportionaliter dicendum est, quando excommunicatio est vna, quæ tamen incursa est propter diuersas causas numero, seu propter eamdem causam pluries repetitam, vt si percussit plures Clericos, vel eumdem in diuersis temporibus: iste enim si in petitione tacuit aliquam causam, non manet absolutus ab excommunicatione; ita Sylvest. suprà. Couarr. concl. 1. & habetur cap. cùm pro causa. & cap. officij. de sentent. excomm. Hæc autem conclusio intelligenda est, dummodò causa tacita fuerit æquè principalis ad excommunicandum, & quæ si expressa foret, auertisset absoluentem ab absolutione; at verò si non sit æquè principalis, vel non sit talis, quòd expressa non auertisset ab absolutione, manet verè absolutus; ita P. Henrique lib. 13. de excomm. cap. 30. num. 2. Couarr. concl. 1. vbi citat Panormit. Felin. & alios. Dixi, *propter diuersas causas numero.* Pro cuius explicatione sciendum est, controuersum esse apud Doctores, quando aliquis propter eamdem causam pluries repetitam incurrit excommunicationem siue à iure, siue ab homine, vtrùm incurrat vnam tantùm excommunicationem, vel plures? Quidam dicunt, quòd donec prior tollatur, non est, nisi vna tantùm; alij dicunt, quòd sunt plures; ita Nauarr. cap. 26. num. 8. & cap. 27. num. 112. P. Henrique lib. 13. de excommunic. cap. 25. num. 4. & cap. 30. num. 2. & hoc iudico probabilius. Et probatur: nam si in hoc casu non sunt diuersæ excommunicationes numero, ergo nec etiam erunt, quamuis delicta sint diuersa, vt excommunicatio propter percussionem Clerici, & excommunicatio propter furtum bonorum naufragi. Probo: nam omnes excommunicationes maiores sunt eiusdem speciei; verum quidem est, nullum esse discrimen quoad praxim: nam siue sit vna, siue plures, ablata vna, tolluntur omnes; sic aliqui viri docti, & dicunt hoc seruare stylum Curiæ. Idem significat P. Henrique num. 30. cap. 2. & de irregularit. & clarè tenet lib. 14. cap. 7. in fine. vt quando excommunicatus celebrauit pluries, id tenet P. Henrique suprà. & in gloss. litera X, vbi citat Nauarr. in add. ad Manuale Hispanum. Probat, quia ex eadem causa, & in eodem homine censetur moraliter vna excommunicatio intensior, & propterea dixi in conclusione, *quando excommunicatio est vna*, & etiam quia Doctores Canonistæ sic loquuntur.

Ex dictis sequitur resolutio cuiusdam casus. Hæreticus ab Inquisitoribus comprehensus, & interrogatus confitetur aliquas hæreses, alias verò occultat, & post sententiam est absolutus ab Inquisitoribus, & reconciliatus, vtrùm iste maneat absolutus? Respondetur, quòd manet excommunicatus.

Quid, si tantùm incidit in vnam hæresim, & eam manifestauit Inquisitoribus, sed occultauit aliquos actus exteriores, quos circa eam fecit? Vir quidam doctus inclinat, quòd verè manet absolutus, etiam ab excommunicatione, quam incurrit propter istos actus occultatos.

Contrarium autem visum est multis viris doctis Societatis Iesu, quia Inquisitores in sententia dicunt, *Y si assi es que de coraçon*

se conuierte, no callando desi, ni de otro cosa alguna contra nuestra santa fee catholica,&c. Vnde constat non esse intentionem eorum eum absoluere;& ideò hoc iudico probabilius, iuxta dicta suprà circa 3. concl. vbi allegaui cap. super literis. de rescriptis.

DVBITATVR quartò, vtrùm absolutio ab excommunicatione obtenta ex falsa causa sit valida?

Supponendum est tamquam certum, quòd si iurisdictio dependet ex veritate causæ, absolutio erit nulla; verbi gratia, excommunicatus excommunicatione reseruata Papæ fingit se esse in articulo mortis, & sic absoluitur ab eo, qui extra hoc periculum non poterat absoluere, non valet absolutio; ita Nauarr. cap. 27. num. 90. Vnde difficultas solùm procedit, quando iurisdictio absoluentis non dependet ex veritate relationis. De quo

Prima opinio est, quòd, loquendo absolutè, & vniuersaliter, non valet absolutio; ita gloss. cap. ex parte. de offic. ordinarij & Anton. 3. p. tit. 24. cap. 7. Couarr. cap. alma mater. p. 1. §. 11. num. 14. concl. 7. citantur etiam Angel. verb. absolutio. 3. num. 11. Syluest. verb. absolutio. 1. num. 14. Tabien. verb. absolutio. 3 num. 7. Sed hi solùm loquuntur, quando Iudex non intendit absoluere.

Secunda opinio dicit duo. Primum, quòd si Iudex intendit absoluere, cognoscendo falsitatem, vel quamuis eam cognosceret, valida erit absolutio, licèt sit cum iniuria partis, vt si excommunicatus falsò dixit Iudici se iam satisfeciisse, peccabit tamen Iudex, & ex hoc constat differentia, quæ versatur inter absolutionem, & excommunicationem: nam excommunicatio ex causa falsa, est nulla quoad forum conscientiæ, quantumcumque Iudex intendat excommunicare, licèt causa sit falsa, vt quando excommunicatur innocens, probatur nocens. Cuius differentiæ ratio est, quòd absolutio, quantùm ad validitatem, totaliter pendet ex voluntate Iudicis absoluentis, excommunicatio verò non, quia non est potestas in Ecclesia ad excommunicandum innocentem, vt tradit rectè Nauarr. cap. 27. num. 38. Secundum dicit, quòd si relatio est falsa circa causam principalem, ob quam incursa est excommunicatio, absolutio erit nulla, quia præsumitur, Iudicem non habuisse animum absoluendi; verbi gratia, qui occidit Clericum, allegat falsò, quòd Clericus fuit aggressor, & quòd ipse occidit illum, defendendo se, vel si excommunicatus ob debitum, falsò dicat se iam satisfeciisse parti.

Hæc opinio est probabilior, & tenenda, eam tenet Nauarr. suprà. P. Henrique lib. 13 de excomm. cap. 30. num 3. & 4. & eam videtur tenere Angel. Syluest. & Tabien. locis vbi suprà. & probatur ex cap. ex parte. de offic. ordinarij. Verum est, quòd si propter aliquas circumstantias particulares præsumatur Iudicem voluisse absoluere, non obstante falsa informatione, valebit absolutio. Verum est etiam, quòd si fideliter expressit causam, propter quam est excommunicatus, & solùm fingit aliquas causas accidentales, vt magis alliciat animum Iudicis, valebit absolutio; ita P. Henrique num. 3. citato.

DVBITATVR quintò, vtrùm absolutio ab excommunicatione obtenta per vim, aut metum, sit valida?

Prima conclusio. Stando in sola ratione naturali, secluso iure positiuo, valida erit: supponimus enim, quòd Iudex vult absoluere. Probatur: nam ea, quæ metu fiunt, stando in iure naturæ, sunt valida, vt dixi 12. in q. 6. & in materia de matrimonio.

Secunda conclusio. Stando in iure positiuo, absolutio erit nulla: nam expressè annullatur in cap. vnico. de iis, quæ vi, metusve causa fiunt. in 6. Secùs est de excommunicatione, quæ metu data, si adsit iusta causa ad excommunicandum, valida est, vt ait Nauarr. cap. 27. num. 38. vbi citat gloss. & Panormitan.

Tertia conclusio. Qui metu extorquet absolutionem, seu reuocationem à censuris excommunicationis, suspensionis, vel interdicti, incurrit excommunicationem ipso

ipso iure, dicto cap. vnico. quam excommunicationem explicant Angel. verb. excommunicatio. 7. casu 18. Sylvest. verb. excommunicatio. 9. verb. excommunicatio. 17. num. 43. Caietan. verb. excommunicatio. cap. 41. Tabien. verb. excommunicatio. 5. casu 32. Nauarr. cap. 27. num. 125. P. Henrique cap. 30. citato, num. 1.

Circa quam conclusionem aliqua notanda sunt. Primò, quòd ad incurrendam hanc excommunicationem non sufficit incutere metum, nisi detur absolutio, quia verba intelliguntur cum effectu; ita gloss. verb. extorserint. Sylvest. Caietan. & Nauarr. suprà.

Secundò, quòd hæc excommunicatio incurritur, quamuis censura fuerit lata iniustè; ita gloss. verb. excommunicationis. P. Henrique suprà. Nauarr. Sylvest. & Caietan. qui probat: nam talis extorsio est contra libertatem Ecclesiasticam; excipio vnum casum, de quo statim. Verum est, quòd P. Henrique solùm loquitur, quando excommunicatio est iniusta ex parte modi procedendi contra ordinem iuris; sed reliqui Autores citati, & alij loquuntur etiam quando excommunicatio est iniusta ex parte causæ; & Sylvest. ait, quòd secundùm Ioannem Andream absolutio dicitur, quando sententia tenuit; reuocatio autem, quando non tenuit, de quo vide glossam, verb. reuocationem. Dixi, *excipio vnum casum*: nam quando Iudices seculares viso processu Ecclesiastico, qui prætextu violentiæ fertur ad illos, iudicant Ecclesiasticum Iudicem malè processisse, scilicet iniustè, & ideò mandant, & compellunt illum, vt tollat censuras iniustè positas, non incurrunt hanc excommunicationem, etiamsi pœnis adhibitis id mandent: maximè si priùs id petierunt ab Ecclesiastico Iudice per verba, *de Rutgo*, y *enfargea*, vi solent semper facere in primis prouisionibus, & Iudex Ecclesiasticus non vult parere illis prouisionibus, sic P. Henrique suprà, & aliqui viri docti. Et probatur, quia in tali casu cessat ratio, propter quam lata est prædicta excommunicatio nam in hoc casu non faciunt contra libertatem Ecclesiasticam, nec eam offendunt, immò defendunt eam à tyranno, & iniquo Iudice, qui vult iniustè opprimere innocentem; immò dico, quòd in hoc casu non incurrunt excommunicationem Bullæ Cœnæ, quæ est 14. vel 15. quæ est strictior; sic tidem viri docti; vide Couarr. practicar. quæst. cap. 35. & lib. 1. variar. cap. 17. Tertiò, quòd etiam alius tertius inferens talem metum, incurret hanc excommunicationem; ita Sylvest. Nauarr. Anton. 3. p. tit. 34. cap. 27. vnde gloss. verb. excommunicationis. in quatuor impressionibus, quas ego vidi, est mendosa: dicit enim, *Si alius metum inferat, non excommunicatus erit*, & tamen legendum est, *excommunicatus erit*; & Caietan. in Sum. in tribus impressionibus legit, *Canon restringit se*, & tamen, vt ex contextu patet, legendum est, *non restringit se*. Sylvest. ait, quòd etiam incurrit, qui mandat hanc extorsionem; sed in hoc loquitur consequenter ad suam opinionem, quòd excommunicatio lata contra facientes, comprehendit mandantes, & consulentes, quam tamen refutauimus suprà cap. 5. disput. 1. dub. 2.

Petis, vtrùm in casu, quòd tertius extorqueat absolutionem, valeat absolutio? Respondeo, si alius tertius incutiat metum, ipso excommunicato sciente, & non contradicente, non valet; ita P. Henrique cap. 30. citato, num. 1. immò credo, quòd etiam inscio excommunicato erit nulla. Probo, quia textus absolutè annullat absolutionem metu extortam. Præterea omnes vnanimiter conueniunt, quòd si alius tertius extorqueat absolutionem, incurrit excommunicationem: ergo sicut verbum *extorserit* non limitatur ad ipsum excommunicatum, ita nullitas absolutionis non limitatur solùm, quando ipse excommunicatus extorquet.

Quartò tota cum Caietano, quòd si ex timore innato, & non illato Prælatus absoluat, non est locus huic pœnæ; verbi gratia, si absque hoc, quòd aliquis minetur ei mortem, ipse timet, quòd occidetur, si

non absoluit. Probatur, quia tunc nullus extorquet, vi, aut metu; sed ipse Prælatus meticulosus seipsum torquet.

Quintò nota, quòd licèt secundùm Caietan. sufficiat metus leuis, quod approbat Nauarr. quantùm ad forum conscientiæ, probabilius tamen est, quòd si metus sit leuis, non est locus huic constitutioni, sed requiritur grauis cadens in constantem virum; ita gloss. dicto cap. vnico. verb. excommunicationis. Angel. Sylvest. Tabien. & P. Henrique, vbi suprà: nam metus leuis non dicitur in iure propriè metus. l. metum. ff. de eo, quod metus causa. Metum accipiendum Labeo dicit, non quemlibet timorem, sed maioris malum; facit etiam l. sequens.

Sextò nota, quòd licèt Geminian. in fine dicti cap. teneat hanc constitutionem habere locum, quando extorquetur absolutio ab excommunicatione minori; sed oppositum credo cum Sylvest. & Tabien. quia nomine excommunicationis intelligitur maior, præcipuè cùm hæc constitutio sit pœnalis.

Septimò nota cum Geminian. num. 3. hanc constitutionem non habere locum in eo, qui per vim obtinet relaxationem cessationis diuinorum, quia textus non loquitur de illa, & cùm sit pœnalis, non est extendendus.

Dvbitatvr sextò, vtrùm excommunicatus ad certum tempus, vel sub conditione, nempe, donec satisfeceris, transacto termino, vel impleta conditione, maneat absolutus sine alia noua absolutione?

Prima opinio dicit necessariam esse nouam absolutionem, sicut quando excommunicatio est absolutè lata; ita Panormitan. & Nauarr. cap. 27. num. 165. & alij Iuristæ citati à Couarr. cap. alma mater. p. 1. §. 11. num. 5. Probant, qui in iure est forma determinata ad absoluendum ab excommunicatione.

Secunda opinio est opposita; ita Couarr. suprà, vbi mutauit sententiam, quam enuerat in 4. Decretalium & citat alios; idem tenent multi Magistri; eamdem tenet Sylvest. verb. interdictum. 3. num. 9. p. 2. & P. Henrique lib. 13. de excomm. cap. 29. num. 2. in excommunicatione lata à Papa.

Conclusio. Hæc secunda opinio est probabilior etiam in excommunicatione lata per inferiorem Papa. Sensus huius opinionis est, quòd quando Iudex hoc modo excommunicat, implicitè absoluit, posita conditione. Probatur primò: nam absolutio ab excommunicatione non habet determinata verba. Secundò, quia secundùm omnes Doctores suspensio posita *donec satisfeceris*, sequuta satisfactione cessat sine alia absolutione. Tertiò, quando aliquis excommunicatur ad reincidentiam pro certo termino, transacto termino manet excommunicatus sine alia noua sententia, ergo idem erit in absolutione.

Ad rationem Panormitani respondetur, quòd illa forma ponitur pro excommunicatione purè lata. Præterea dico, quòd non est de essentia absolutionis ab excommunicatione.

Vtrùm verò defunctus possit absolui, diximus suprà cap. 4. disputatione vnica. dub. 8.

Disputatio III.

De forma, & modo obseruando in danda absolutione.

Dvbitatvr primò, vtrùm sint aliqua verba determinata ad absoluendum ab excommunicatione?

Prima conclusio. Nulla verba determinata sunt de essentia absolutionis, vnde quibuscumque verbis, vel signis vratur absoluens significantibus intentionem eius, valida erit absolutio.

Secunda conclusio. Vt licitè fiat, seruanda est consueta forma verborum ponenda in dubio sequenti. Hinc sequitur cum Tabien. verb. absolutio. 3. num. 8. quòd solus Papa potest licitè absoluere salutando, vel dando osculum pacis.

DVBITATVR secundò, de iis, quæ præmittenda sunt ante absolutionem ab excommunicatione?

Conclusio. Tria sunt præmittenda. Primum est iuramentum de parendo mandatis Ecclesiæ. cap. ex tenore. cap. de cætero. de sentent. excomm. Secundum est satisfactio realis, si debitum est publicum, & manifestum, vel cautio iuris, si est debitum. cap. ex parte. de verbor. signif. de quo plura dicemus posteà. Tertium est, quòd præmittatur Psalmus cum oratione, iuxta cap. à nobis. el 2. de sentent. excomm. Circa quæ sunt aliqua notanda.

Circa primum notandum est, quòd licèt nonnulli absolutè dicant ante absolutionem ab excommunicatione petendum esse iuramentum de non committendo ampliùs illud delictum, & de parendo mandatis Ecclesiæ, vel ipsius absoluentis, quod idem est; ita loquitur Nauarr. cap. 26. num. 27. Couarr. cap. alma mater. p. 1. §. 11. num. 5. & 11. nihilominùs non requiritur in omnibus criminibus, sed tantùm in grauibus, & horrendis, vt in falsariis, incendiariis, & aliis huiusmodi; ita Sylvest. verb. absolutio. 3. num. 3. Caietan. verb. absolutio. cap. 4. Angel. verb. absolutio. 3. num. 1. Anton. 3. p. tit. 24. cap. 77. P. Henrique lib. 13. de excommun. cap. 28. num. 4. Medin. in Sum. lib. 2. cap. 12. Vnde non est exigendum à quocumque percussore Clerici; exigendum tamen est à quacumque excommunicatione Bullæ Cœnæ, sic aliqui Magistri; exigendum est etiam à mulieribus, ita Sylvest. suprà. Vtrùm verò sit exigendum à pueris, relinquendum est arbitrio Episcopi; ita Sylvest. & dicit ita placere multis; & nota, quòd tale iuramentum non est de substantia absolutionis, vnde sine illo valebit absolutio; ita Sylvest. & communis contra Hostiensem.

Circa tertium notandum est, quòd absoluens debet dicere Psalmum *Miserere*, vel alium ex pœnitentialibus, & interim flagellet excommunicatum in humeris cum virga, vel corrigia, posteà dicat, *Kyrie eleison, & Pater noster*, & aliquos versiculos, scilicet, *Saluum fac seruum tuum*, &c. *Esto Domine, turris fortitudinis. Nihil proficiat inimicus in eo*, &c. *Domine, exaudi orationem meam. Dominus vobiscum. Oremus: Deus, cui proprium est misereri semper, & parcere*, &c. & deinde dicat, *Autoritate Domini nostri Iesu Christi, & Apostolorum Petri & Pauli mihi concessa absoluo te à vinculo excommunicationis, quam incurristi propter hanc, vel illam causam, & restituo te Sacramentis Ecclesiæ & communioni fidelium: In nomine Patris*, &c. cùius formæ mentio fit in cap. à nobis. el 2. de sentent. excomm.

Circa flagellationem notandum est, quòd si est mulier, non debet habere nudatos humeros, quia est indecens; immò neque hoc est necessarium, quamuis sit vir, quia iam non est in vsu, etiam quando absolutio fit publicè, & solenniter ab ipsis Iudicibus; immò, vt ait Nauarr. cap. 26. num. 8. nullus est textus, qui id præcipiat. Ad tollendum autem omnem scrupulum, Leo X. indulsit Fratribus Minoribus, vt quando absoluunt ab excommunicatione in foro conscientiæ, non teneantur flagellare; ita refert Nauarr. ibidem.

Petis, vnde habuit ortum cæremonia hæc? Respondeo, quòd olim omnes Prætores, & domini, quando manumittebant seruos, cædebant eos virgis; & quia excommunicati sunt serui satanæ, ideò vtitur Ecclesia hac cæremonia, ad significandum, quòd redduntur liberi à seruitute satanæ.

Præterea nota, quòd defunctus eodem modo est absoluendus sicut viuus, hoc excepto, quòd si sepultus est in loco sacro, non debet exhumari, vt flagelletur, sufficit flagellare sepulcrum; at verò si sepultus est in loco prophano, exhumandus est, & flagellandus. cap. à nobis. el 2. de sentent. excomm. Nauarr. cap. 23. num. 32.

Vltimò nota, quòd prætermittere prædicta cæremonialia, etiam sine causa rationabili, non esset mortale, sed tantùm veniale; ita Caietan. suprà. Ledesm. 2. p. 4. q. 26.

q. 26. art. 1. dub. antepenult. & Magistri. Dixi, *cæremonialia*: nam secùs est de satisfactione, quæ pertinet ad iustitiam.

DVBITATVR tertiò, vtrùm quando aliquis absoluitur ab excommunicatione in foro pœnitentiæ, seruanda sint cęremonialia?

Partem affirmatiuam clarè videntur supponere Caietan. Medin. & Nauarr. locis citatis: dicunt enim, quòd verberatio debet prætermitti in mulieribus, & etiam in viris, quando confessio fit in loco publico.

Dico tamen primò, quando Confessor absoluit in confessione, nullum peccatum committit non vtendo illa forma longa, & cęremoniis, excepto iuramento; ita P. Polanco in Directorio, & alij viri docti; immò idem dico, quando Confessor absoluit extra confessionem in foro conscientiæ tantùm. Verum est, quòd si confessio fieret in loco secreto, & posset commodè seruari prædicta forma, expediret ita fieri, vt excommunicatus concipiat timorem, & reuerentiam circa censuras.

Dico secundò, quando Confessor absoluit ab excommunicatione, in confessione sufficit, vt tenendo forma consueta dicat, *In primis te absoluo à vinculo excommunicationis, quam incurristi propter furtum mihi dictum, vel propter aliam causam*: & prosequatur dicens, *Et ab omni vinculo excommunicationis, suspensionis, & interdicti, in quantum possum, & indiges.* Dixi, *excepto iuramento*, quia hoc semper est petendum, quando delictum est graue, vt dictum est.

Dico tertiò, quando Confessarius absoluit ad cautelam, quia excommunicatio non est certa, omnes conueniunt in hoc, quòd non sunt seruanda prædicta cęremonialia; sed sufficit dicere absolutionem conditionalem, quæ solet prætmitti ante absolutionem à peccatis; ita Nauarr. cap. 26. num. 9. Verum est, quòd si sit dubium, vtrùm pœnitens incurrerit excommunicationem habentem annexam satisfactionem, exigenda est cautio, quòd satisfaciet, si inuenerit se ad id teneri: Reliqua de absolutione ad cautelam vide in Nauarr. cap. 27. num. 273. & P. Henrique lib. 13. de excommunicat. cap. 29. num. 5.

DVBITATVR quartò, quis modus sit seruandus, quando aliquis in articulo mortis absoluitur ab excommunicatione per eum, qui non poterat de iure absoluere?

Prima conclusio. Quando aliquis ratione articuli mortis, vel alterius legitimi impedimenti, absoluitur ab excommunicatione per eum, qui de iure non poterat absoluere, tenetur, cessante tali periculo, vel impedimento, quàm citò commodè poterit, se præsentare ei, à quo de iure absoluendus erat aliàs, si fuerit in mora se præsentandi, reincidet ipso iure in eamdem excommunicationem; ita Syluest. verb. absolutio. 3. num. 16. Nauarr. cap. 26. num. 27. & est text. cap. eos, qui. de sentent. excomm. in 6.

Circa quam conclusionem aliqua sunt notanda. Primò, quòd Confessor debet ei iniungere, vt cessante tali impedimento se præsentet ei, à quo de iure erat absoluendus; ita Syluest. suprà, & alij, textus optimus cap. de cætero. & cap. ea noscitur. de sentent. excommun. Cordub. in Sum. q. 18. puncto 1. post dictum 2. ait, quòd omnibus excommunicatis iniungendum est hoc sub iuramento, exceptis minoribus quatuordecim annorum. Sed alij Doctores nihil dicunt de iuramento, vnde non videtur necessarium hoc eis iniungere sub iuramento, exceptis percussoribus Clericorum, quia de illis expressè id determinatur dicto cap. de cætero. & cap. ea noscitur. sic aliqui viri docti. Præterea minoribus quatuordecim annorum, etiam in casu percussionis Clerici, non est iniungendum, quòd se præsentent Papæ, sic Sylvest. suprà, & est text. cap. 1. & cap. quamuis. de sentent. excomm. & hoc intelligo, etiamsi post pubertatem petant absolutionem ab excommunicatione incursa ante pubertatem; quod apertè probo ex cap. finali, eodem tit. Verum est, quòd

quòd si absoluatur à Confessore, qui quidem extra mortis articulum, vel absque alio legitimo impedimento non poterat de iure absoluere, iniungendum est illi sub iuramento, quòd impedimento cessante se præsentet Episcopo. Probo: nam Episcopus iure communi potest absoluere ab excommunicatione incursa ante pubertatem, dicto cap. finali. de sentent. excommunicat. Prætereà fœminæ non tenentur se præsentare; ita Nauarr. lib. 5. Consiliorum. de sentent. excommunicat. consil. 14.

Secundò nota, quòd hæc præsentatio non est ad procurandam iterum absolutionem, sed vt obediat mandatis Superioris, & vt constet vtrùm satisfecerit parti, vnde ait Nauarr. in editione noua, c. 26. num. 27. §. an autem. quòd si constet iam satisfeciſſe parti, non tenetur se præsentare Superiori, quia hæc est mens illius capit. quæ magis est attendenda, quàm verba.

Tertiò nota, quòd non tenetur se præsentare personaliter, sufficit per procuratorem, ita Caieta. ver. excommunicatio. c. 69. & Nauar. c. 27. n. 46.

Quartò nota, quòd tempus, intra quod quàm citò commodè potest, tenetur se præsentare in foro exteriori, pensandum est arbitrio boni viri, sic Nauar. capit. 27. num. 113. nempe ita vt cessante impedimento, concedatur sibi aliquod modicum tempus, vt sibi prouideat de necessariis, habita ratione personæ, temporis, & locorum; in foro autem interiori relinquitur conscientiæ absoluti; ita Nauarr. ibidem. & num. 40. vbi citat Caietanum, idem aliqui Magistri. Quòd si sedes vacat, non potest differre, donec sit prouisum de Papa, quia Sede vacante, semper est Pœnitentiarius Papæ, habens eius vices, cui tenetur se præsentare; ita Sylvest. verb. absolutio. 4. num. 7.

Quintò maximè nota, quòd hæc obligatio se præsentandi solùm intelligitur quando aliquis absoluitur illo solo titulo articuli mortis, vel legitimi impedimenti ab eo qui aliàs non poterat absoluere (& hoc licèt absoluatur ab Episcopo, vt constat ex dicto cap. de cætero.) at verò si absoluitur per Bullam Cruciatæ, vel Iubilæum, etiam extra mortis articulum, non tenetur postea se præsentare, tenet Medin in Sum. lib. 2. c. 12.

Secunda conclusio. Quod dictum est in prima conclusione, etiam habet locum in eo qui absoluitur à Papa, vel Legato eius, & iniungitur ei, vt se præsentet suo ordinario, vel cuilibet alij, vt recipiat ab eo pœnitentiam, vel quòd satisfaciat iniuriam passis: nam si hæc cùm primùm commodè potuerit, non curauerit adimplere, reincidit, dicto ca. eos qui. Circa secundam autem, quod in 2. dubio diximus præmittendum ante absolutionem, scilicet satisfactio.

DVBITATVR quintò, quando excommunicatio habet annexam satisfactionem partis, verbi gratia, aliquis percussit clericum, vel est excommunicatus propter debitum, vel furtum, quomodo sit danda absolutio?

Imprimis notandum est, quòd illa distinctio quam ponunt Doctores, & text. in cap. ex parte. de verborum significat. & cap. solet. de sentent. excommunicat. in 6. & cap. venerabilibus. §. porrò. eodem tit. & lib. scilicet quòd satisfactio realis tunc est exhibenda, quando debitum, vel offensa, vel contumacia est manifesta & notoria; cautio verò quando est dubia, solùm habet locum in foro exteriori, non in interioti: fieri enim potest quòd in foro exteriori debitum, vel offensa sit dubia ex defectu plenæ probationis, & quòd pœnitens certò sciat se teneri ad satisfaciẽdum; vnde ibi cessant omnes præsumptiones, & quod ipse dixerit habetur ibi pro notorio; ita Nauar. cap. 26. num. 7. & Ledesm. 2. p. 4. quæst. 26. art. 1. circa finem. Quando autem contumacia sit manifesta, videte Couarru. capit. alma mater. p. 1. §. 11. num. 11.

Secundò notandum est, quòd vel absolutio datur ab habente potestatem ordi-

nariam, verbi gratia, ab Episcopo, vel ab habente delegatam, scilicet per Bullam, vel priuilegium, vel alia via, & in hoc dubio loquemur de absoluente per potestatem ordinariam. His positis, sit

Prima conclusio. Licèt excommunicatus petat absolutionem ab Episcopo, vel ab alio habente potestatem ordinariam, non est absoluendus, nisi priùs satisfaciat realiter parti, vel si hoc non potest, det cautionem sufficientem, scilicet pignoratitiam, vel fideiussoriam; quòd si nec hanc potest præstare, det iuratoriam satisfaciendi cùm potuerit; ita Sylvest. verb. absolutio. 3. num. 3. in fine. Caietan. verb. absolutio. cap. 4. Nauar. cap. 6. n. 7. Cordub. in Sum. q. 18. Couarru. suprà, & est communis.

Ex hac conclusione sequitur primò, quòd si excommunicatus potest exhibere realem satisfactionem, non sufficit præstare cautionem quantumuis sufficiẽtem; hoc est de mente Autorum citatorum, & tenet Nauar. capit. 27. num. 273. vbi citat dictum cap. solet. quod efficaciter probat hanc sententiam, ibi, *nisi priùs sufficiens præstetur emenda.*

Secundò sequitur, quòd si potest restituere partem debiti, debet restituere partem, & pro reliquo præstare cautionem sufficientem. Probatur efficaciter ex cap. Odoardus. de solutionibus. & ex dictis suprà capit. 5. disp. 5. dub. 1. causa 4. vbi diximus cum Soto, quòd qui fecit furtum magnum, & potest restituere partem, quæ sit alicuius momenti, si non restituat, incurret excommunicationem.

Tertiò sequitur, quòd quando satisfactio est spiritualis, vel talis conditionis, vt ab excommunicato præstari non possit, nempe collatio beneficij, receptio in Canonicum, & similia, absoluendus est præstita cautione; ita Couarru. n. 11. citato. verficul. sed etsi excommunicatus. vbi citat gloss. Panormit. & communem. Sed circa conclusionem sunt aliqua notanda.

Primò, quòd quando excommunicatus non potest statim satisfacere sine graui detrimento famæ, vel status, vel suorum bonorum, scilicet vendendo ea notabiliter viliùs, licitè potest absolui præstita sufficienti cautione, dummodò creditor non patiatur æquale detrimentum; ita Nauar. cap. 27. num. 47. Cordub. sup. & Magistri. vide dicta sup. cap. 5. causa 4. citata. idem tenet P. Henrique lib. 13. de excommunicat. cap. 28. num. 1. vbi ait, hoc habere verum in vtroque foro, & quòd compelletur Iudex, inuito etiam creditore, absoluere reum. Verum est, quòd in foro exteriori non stabitur dicto excommunicati affirmantis se non posse soluere; sed necessarium erit id probare, vt ait Cordub. sup. puncto 1. dicto 1.

Secundò nota, quòd qui non potest satisfacere, si potest præstare cautionem pignoratitiam, vel fideiussoriam, non sufficit præstare iuratoriam: sufficiet tamen præstare fideiussoriam, quamuis possit dare pignoratitiam; ita P. Henrique num. 1. citato. & multi Magistri. Idem videntur sentire Doctores, qui communiter loquuntur disiunctiuè, scilicet pignoratitiã, vel fideiussoriam, quamuis oppositum teneat Caieta. ver. excommunicatio. cap. 77. Quid si neutram potest præstare? De hoc dicemus dubio sequenti.

Tertiò nota, quòd quando pars læsa, cui debetur pecunia, est valdè distans, licèt excommunicatus habeat pecuniam ad satisfaciendum, non est necessarium quòd priùs mittat eam ad partem, sed sufficit eam deponere in loco tuto, vt postea detur parti, & sic licitè potest absolui. Probatur: nam per hoc censetur satisfeciſſe; ita P. Henrique suprà. num. 4. Idem dico, si via certa mittat ad creditorem literas cambij, ita respondẽrũt in Hispania multi viri doctissimi consulti de hac re; idem tenet P. Henrique sup. num. 2. imò dico, quòd licet pars læsa sit in eodem loco, si excommunicatus det pecuniam Confessori, vel alteri viro probo, vt eam postea commodiùs restituat parti, potest statim absolui.

Quid si excommunicatus non habet hîc

hîc vnde satisfaciat, habet tamen alibi? Respondetur, considerandæ sunt circunstantiæ: nam si est in periculo infirmitatis, vel instar tempus Paschæ, præcipuè si nõ possit relinquere communionem sine nota, bene potest absolui præstita sufficienti cautione. Probatur, quia tunc non potest aliter satisfacere, imò idem dicendum est, quamuis velit confiteri ex sola deuotione, si locus vbi habet pecuniam distaret tam longè, quòd non posset fieri realis satisfactio, nisi expectaret per longum tempus, quia tunc moraliter censetur non posse aliter satisfacere, cùm sit valdè difficile; at verò si locus vbi habet pecunias, non longè distaret, & facilè posset ipse illuc accedere, vel realiter satisfacere per nuncium, & ex alia parte non instat præceptum confessionis, non est absoluendus, nisi priùs satisfaciat realiter. Sic aliqui viri docti probant, quia tunc censetur moraliter posse restituere, quod præcipuè obseruandum, quando debitum est magni momenti.

Quartò nota, ea quæ dicta sunt de satisfactione, vel cautione, non solùm habere locum, quando quis absoluitur extra mortis articulum, sed etiam intra: nam tunc etiam est exigenda satisfactio, vel cautio. Solùm est discrimen quòd aliquãdo potest ita instare articulus mortis, vt nulli satisfactioni, nec cautioni detur locus, & tunc sine illa debet absolui; ita Nauar. c. 27. num. 47. Cordub. in Sum. qu. 18. puncto 2. Hinc sequitur, certum esse, quòd licèt excommunicatio sit reseruata in iure, vel in Bulla Cœnæ, & dicatur quòd nullus præter Romanum Pontificem possit absoluere ab ea, nisi in mortis articulo, & tunc nisi præmissa satisfactione, si excõmunicatus est in articulo mortis, & non potest realiter satisfacere, potest absolui, præmissa sufficienti cautione, si eam potest præstare.

Sit secunda conclusio. Qui absoluit ab excommunicatione sine reali satisfactione, quãdo fieri potest, vel quando non sine cautione, peccat mortaliter contra iustitiam, siue absoluens sit Episcopus, siue Iudex delegatus, siue virtute alicuius priuilegij; ita Caieta. ver. absolutio. cap. 4. P. Henrique sup. num. 2. & in gloss. litera N. Medina in Sum. lib. 2. cap. 12. & est communis. Hinc sequitur

Tertia conclusio, quòd sic absoluens tenetur restituere parti damna inde sequuta; sic P. Henrique, & Magistri. Probatur, quia ex officio & iustitia tenetur consulere bono partis, & sic censetur causa talis damni.

Quarta conclusio. Si absoluens habeat potestatem ordinariam absoluẽdi, valebit talis absolutio, vt infrà dicemus.

DVBITATVR sextò, quando excommunicatus non potest præstare cautionem pignoratitiam, nec fideiussoriam, vtrùm sufficiat cautio iuratoria, vel teneatur ad ampliùs?

Dico primò. Omnes conueniunt in hoc, quòd si debitum est occultum, & excommunicatus amitteret suam famam faciendo publicam scripturam, non tenetur eam facere, imò si sequitur istud detrimentum ex hoc quòd præstet cautionẽ pignoratitiam, vel fideiussoriam, non tenetur eam præstare, quamuis aliàs eam præstare posset, sed satis erit præstare cautionem iuratoriam. Dicunt tamen nonnulli iuniores, quòd quando ex reali satisfactione, vel scriptura publica, vel ex cautione pignoratitia, vel fideiussoria, sequitur detrimentum in fama, vel honore, erit bonum medium, quòd pœnitens faciat Cõfessori obligationem quandam coram testibus, & Tabellione, si potest fieri sine detrimento, vel schedulam proprio nomine subscriptam, in qua se obliget Confessori soluere intra certum tempus, intra quod credit se posse soluere, vt ille Confessor det illam summam cui scit ipsũ pœnitentem teneri in conscientia. Alij dicunt, quòd hæc obligatio fiat ipsi creditori, sed quòd maneat penes Confessarium, vt si debitor non satisfecerit termino designato, possit eam tradere ipsi creditori, tractãdo priùs hæc omnia extra

confessionem, vt confessor possit se gerere liberiùs. P. Henrique lib. 13. de excommunicat. cap. 28. num. 1. in gloss. litera H, dicit quòd rarò expediet hoc mediũ. Aliis autem viris doctis absolutè videtur, nec pœnitentem ad hoc medium teneri, nec esse medium conueniens, & ego idem iudico. Primò, quia iste adimplet dãdo cautionem iuratoriam, si non potest dare pignoratitiam, nec fideiussoriam, vt posteà videbimus. Secundò, quoniam executio illius obligationis non fieret sine aliqua nota, & infamia pœnitentis, si posteà nollet restituere. Tertiò, quia non expedit cõfessarium ita se ingerere in negotiis resultantibus ex confessione: nam ex hoc redditur onerosa confessio, & eius sigillum aliquantulùm læditur, saltem in apparentia. Quod adeò verum iudico, vt si aliquis Confessor de facto extraxisset huiusmodi schedulam, non consulerem, *que execute por ella al penitente*, nec quòd eam traderet parti etiam transacto termino, sed quòd per illam sollicitaret, & incuteret metum pœnitenti, vt adimpleret id, ad quod tenebatur.

Sed quid quando debitum est publicum & manifestum? Aliqui ex prædictis Magistris dicunt tunc obligandum esse pœnitentem ante absolutionem, vt faciat obligationem coram Tabellione & testibus satisfaciendi intra certum tempus, & hoc, si debitum sit magni momenti; at verò si fuerit parui momenti, sufficit facere schedulam propria manu subscriptam. Allegant isti Medinam in Sum. lib. 2. c. 12. dicentem, quòd si non potest dare fideiussores, faciat obligationem.

Dico secundò, ego credo hoc nõ esse necessarium, sed sufficere cautionem iuratoriam, si non potest præstare pignoratitiam, nec fideiussoriam. Probo: nam iura solùm iubent præstare cautionem, sed omnes Doctores citati in 1. conc. & P. Henrique n. 1. citato, & communis, dicũt in hac materia sufficientem cautionem esse pignoratitiam, vel fideiussoriam, vel, si hanc non potest, iuratoriam, nulla facta mẽtione de obligatione. Et multùm fauet c. alma mater. de sentẽtia excommunicat. in 6. vbi dicitur, quòd debent satisfacere, si possunt, vel si non, idoneam dare cautionem, vel huiusmodi cautionem præstare iurauerint, quòd, cùm poterũt, satisfaciẽt; in quo textu nec in glossa fit vlla mentio de obligatione facienda. Prætereà: nam stando in sola ratione iustitiæ, qui non tenetur satisfacere, solùm tenetur firmiter proponere quòd satisfaciet, nec tenetur illam præstare cautionem, ergo solùm tenetur eam præstare excommunicatus ex præcepto iuris positiui; sed iura non præcipiunt aliam cautionem quàm pignoratitiam, vel fideiussoriam, vel iuratoriam, ergo non tenetur ad amplius; nec oppositum tenet Medina: solùm enim loquitur in casu particulari, scilicet de vsurario publico. De hoc enim id est expressè definitum in cap. quanquam. de censibus. Vide Nau. c. 17. n. 280. imò ista decisio c. quanquam, habet locum, licèt talis vsurarius non sit excommunicatus: suppono enim cum Anton. 2. p. tit. 1. ca. 10. in princip. quòd in iure non est lata excommunicatio contra vsurarium etiam publicum.

DVBITATVR septimò, quid intelligatur nomine partis, cui debet priùs fieri satisfactio?

Conclusio. Intelligitur pars illa, cui facta est iniuria per illud delictum, propter quod incursa est excommunicatio, siue pars illa sit persona publica, siue priuata; ita P. Henrique lib. 13. de excommunicat. c. 28. nu. 1. in fine, & Magistri.

Ex hac conclusione sequitur primò, quòd nomine partis non intelligitur Iudex, cui ipso iure applicatur pœna pecuniaria, quia Iudex non est pars, sed tertius inter partes, vnde per Bullã Cruciatę bene potest absolui, antequàm soluat iura Iudici, vel Tabellioni. ita Soto d. 22. qu. 2. art. 3. post 3. cõcl. P. Henrique 5. & alij. Idẽ dico, quamuis iste non absolueretur à Iudice, nisi priùs solueret aliquam pœnam pecuniariam iure applicatam fabricæ, vt olim fiebat in matrimoniis clandestinis. Probatur,

batur, quia hoc nõ pertinet ad satisfactionem partis, sed ad pœnam delinquentis; ad pœnam autem nemo tenetur ante condemnationem; ita Nauarr. c. 23. nu. 66.

Quid si iam est condemnatus per Iudicem ad illam pœnam, & consensit sententiæ? Soto sup. dicit, quod nõ potest absolui, donec eam soluat, quia illa pœna iam transiuit in rem iudicatam. Ego verò dico cũ aliquibus magistris, quòd quamuis verum sit quòd virtute Bullæ non poterit relaxari huiusmodi pœna, nihilominus poterit delinquens absolui ab excommunicatione, antequam illam soluat, nisi fortè lata esset excommunicatio, quia non soluit eam. Probatur ex conclusione posita.

Secundò sequitur, quòd qui vendidit beneficium, vel obtinuit simoniacè, potest absolui ab excommunicatione, antequàm restituat pretiũ, vel resignet beneficium, quia hæc excommunicatio non est directè imposita propter iniuriam illatam parti. Sic aliqui Magistri contra nonnullos.

Tertiò sequitur, quòd si aliquis incurrit excommunicationem latam cõtra non manifestantes, vel denunciantes tale delictum, potest absolui cum firmo proposito denunciandi, quia illud non est satisfactio partis: Iudex enim non est pars. sic aliqui Magistri. Verum est, quòd in rebus grauibus præcipuè si pœnitens sit homo ordinarius, curandum est, vt priùs denunciet, & hoc licèt nondum incurrisset excommunicationem, quia si priùs obtinuerint absolutionem, facilè solent id omittere, in casibus autem Inquisitionis, remittendus est pœnitens, vt priùs denunciet, vt præcipitur in edicto Inquisitorum.

DVBITATVR octauò, quando Bulla, vel Iubilæum concedit facultatem absoluendi ab excommunicatione satisfacta parte, & excommunicatus non potest realiter satisfacere, vtrùm possit absolui, præstita priùs sufficienti cautione?

Soto in 4. d. 22. q. 2. art. 3. post 2. concl. quem sequuntur nonnulli moderni, dicit quòd non potest, & si de facto absoluatur, absolutio erit nulla. Pro resolutione supponendum est primò, quòd in articulo mortis omnes conueniunt posse absolui præstita priùs cautione, si eam potest dare, iuxta dicta dub. 5. notab. vlt. ita Nauar. ca. 27. num. 37. & 47. & alij. Secundò supponendum est, quòd secundùm tenorem aliquarum Bullarum nulla est controuersia, verbi gratia, in Bulla Cruciatæ anni 92. dicitur, *haziendo donde fuere necessario satisfacion por si, ò no pudiendo ellos, por sus herederos:* tunc enim certum est sufficere cautionem, quando non potest realiter satisfacere, & talis absolutio erit non solùm valida, sed etiam licita. Idem dico, quando Iubilæum nullam facit mentionem de satisfactione, vel cautione. Idem etiam dico per priuilegia Societatis Iesu, in quibus conceditur nostris confessoribus facultas absoluendi ab omnibus censuris, exceptis contentis in Bulla Cœnæ, nulla mentione facta de satisfactione vel cautione. Verum est, quòd semper est obligatio seruandi ius commune, vt scilicet excommunicatus priùs satisfaciat, si potest, siu minùs, det cautionem, vt patet ex dictis dub. 5. concl. 2. nam licèt priuilegium non faciat expressam mentionem de satisfactione partis, semper tamen est reducendum ad ius commune; ita Ledesm. qu. 26. ar. 1. dub. vlt. His suppositis, sit

Conclusio. Licet Bulla dicat, *satisfacta parte*, poterit quis virtute Bullæ non solùm validè, sed etiam licitè absolui ab excommunicatione præstita cautione, quando non potest realiter satisfacere; ita Medina in Sum. lib. 2. c. 12. P. Polanco in Directorio, & multi Theologi, & Iuristæ Salmaticenses doctissimi consulti de hoc. Probatur, quia non est credendum, Pontificem per illam clausulam, *satisfacta parte*, voluisse excludere à beneficio absolutionis eos, qui non possunt satisfacere.

Hinc sequitur intelligentia illius Decreti Concilij Trident. sess. 25. c. 12. de reformatio. vbi sic statuit: *Qui decimas aut subtrahunt, aut impediunt, excommunicentur, nec ab hoc crimine, nisi plena restitutione*

sequuta, absoluantur: dupliciter enim potest intelligi. Primo modo, quòd iam sint excommunicati, & tunc debet intelligi si possint restituere, aliàs sufficit præstare sufficientem cautionem, ita multi viri docti. Et probatur: nam iam declarauit ius commune in capitibus citatis dub.6.concl. 1. & in c.alma mater. de sententia excommunicat. in 6. quòd quando satisfactio realis non potest fieri, detur cautio sufficiens. Secundo modo, antequàm excommunicentur, & tunc debet intelligi, si possint satisfacere; ita Nauar. cap.17.num. 60. & cap.21. num. 32. Quòd si non possunt, credo non requiri cautionem, sed sufficere firmum propositum restituendi, cùm possint.

DVBITATVR nonò, quando aliquis virtute Bullæ, vel priuilegij continentis hanc clausulam, *satisfacta parte*, absoluat de facto ab excommunicatione, nulla præcedente satisfactione, nec cautione, vtrùm talis absolutio sit valida?

Omnes conueniunt in hoc, quòd si absolutio detur ab habente potestatem ordinariam ad absoluendum, erit valida; ita Syluester verbo, absolutio. 3. numer. 3. & verb. excommunicatio.7. nume.65.Caiet. ver.absolutio.c.4.Nauarr.c.27.numer.37. Couarr.c.alma mater.p.1.§.11.num.7.alij communiter. Probatur ex cap. venerabilibus.§.sanè.de sententia excommunicat. in 6. Et ratio est, quia ius non limitauit isti iurisdictionem ad hunc casum; peccabit tamen sic absoluens, vt vidimus dub.5.concl. 2. vnde controuersia solùm est, quando absolutio datur ab habente potestatem delegatam per Bullam, vel priuilegium, vel alia via; de quo est

Prima opinio, quòd talis absolutio non solùm erit illicita, sed etiam nulla; ita Syluest. ver.excommunicatio.7.nu. 65.Caiet. c. 4.citato.Cordub.in Sum.qu. 18. puncto 1.dicto 2.Armil.ver.absolutio. n. ner. 48. P.Henrique lib 7.de indulgentiis. cap.13. n. 2. circa finem.& aliqui Magistri doctissimi Nauar. qui licèt citetur nunc pro hac opinione, nunc pro contraria, tamen tenerà tenet hanc in c.27.num.37. licèt enim ibi obscurè & ambiguè loquatur, tamen clariùs id tenet libr. 5. Consil. tit. de sententia excommunicat.consil.6.& cons.75. de reg.ad 11.dub.vbi remittit se ad id quod alibi dixerat,& Ledesm.2.p.4.q. 26. art. 1. circa finem, vbi addit hoc etiam habere verum, quamuis Bulla, vel priuilegium nullam faciat mentionem de satisfactione partis. Fundamentum huius primæ opinionis est, quòd per talem clausulam restringitur potestas Confessario, & datur illi sub hac forma.

Secunda opinio dicit, quòd talis absolutio licèt sit illicita, valida tamen erit, & uoniam hæc videtur mihi probabilior, pro resolutione sit

Prima conclusio. Quando ei qui aliàs non habet potestatem, committitur potestas absoluendi ab excõmunicatione, præscripta noua forma, quæ non habetur in iure, absolutio quæ datur, non seruata tali forma, est nulla, vt si committat facultatem absoluendi sub hac conditione, quòd obliget excommunicatum ad certam eleemosynam, in hac omnes Doctores conueniunt, & allegant c. finale.de restit. spoliatorum.& c.cùm dilecta.de rescriptis.

Secunda conclusio. Quando ei, qui aliàs non habebat potestatem, committitur facultas absoluẽdi, seruata forma iuris communis, nempe satisfacta parte, vel de consensu illius, vt cõmittitur Confessori electo per Bullam, tunc licèt absolutio data sine tali forma sit illicita, erit tamen valida; hæc est de mente secundæ opinionis, & eam tenui Magister Penna, Magister Sancho, & Nau.iunior, & Doctor Acosta Salmanticensis, & aliqui Magistri, & videtur de mente Couarr. locis statim citandis. Probatur primò, quia Papa per hanc clausulam non intendit inducere nouam formam, nec limitare potestatem, sed tantùm admonere Confessorem eius, quod secundum ius commune seruare debet, scilicet quòd si excommunicatus potest, satisfaciat realiter, si non potest, det cautionem, iuxta ea quæ in simili dicit Innocent. & finali.

nali de præsumptionibus, quem sequitur glossa Clem. 1. de offic. delegati. verbo, repererint. quam Nauar. c. 27. num. 37. dicit esse receptam communiter; & Couar. c. alma mater. p. 1. §. 9. num. 8. dicit, ea quæ in iure insunt, etsi ab homine exprimantur, non inducunt formam, quando eo modo, & in eum finem ab homine exprimuntur, quo & in quem à iure tradita sunt. Secundò probatur, si Papa committat alicui facultatem absoluendi, & expressè iniungat quòd seruet formam iuris, absolutio data, prætermissa forma iuris, valida erit, sicut si fieret ab habente potestatem ordinariã, vt ait Nau. num. 37. citato. Sylvest. ver. indulgentia. §. 10. dicto 7. & habetur ex Couarr. §. 11. num. 7. vbi contra Caieta. tenet, absolutionem ab excommunicatione præstitam contra formam iuris communis validam esse, & dicit esse communem, & addit hoc habere verum, licèt in constitutione dante formam in specie dicatur, nullatenus detur absolutio, sed quando Papa dicit in Bulla quòd absoluat satisfacta parte, nihil aliud facit, quàm iniungere, vt absoluat seruata forma iuris, ergo. Et hæc cõclusio à fortiori erit vera, quando in Bulla, vel priuilegio, vel Iubilæo nulla fit mentio de satisfactione partis; ita Sylvest. ver. absolutio. 3. num. 2. & alij multi Magistri, etiam ex religione D. Dominici, contra Ledesm. sup. citatum.

Ex dictis sequitur, quòd postquàm iste est absolutus ab excommunicatione etiam iniustè & cum peccato mortali absoluentis, poterit posteà licitè absolui à peccatis ab alio Confessore, vt notat Nauar. ea. 27. num. 38. vbi loquitur in communi de iniustè absoluto, validè tamen. Vnde hic secundus Confessor potest se gerere cum pœnitente, tanquàm cum non excommunicato, & quantùm ad satisfactionem obseruet regulas generales comprehendentes debitores non excommunicatos.

Limitanda est tamen secunda conclusio, nisi Decretum, vel priuilegium expressè irritet absolutionem, nisi præmittatur satisfactio, vel cautio idonea, vt si dicatur quòd absolutio aliter impensa nullius sit roboris, vel momenti, vel aliud huiusmodi: tunc enim certum est, quòd talis absolutio aliter facta, erit nulla, siue committatur delegato, siue ordinario; ita Sylvest. ver. excommunicatio. 7. n. 65. Caieta. verb. absolutio ab excommunicatione ex parte formæ. & hanc clausulam posuit Sixtus IV. in Extrauaganti, & si Dominici gregis. In 2. verum est, quòd hæc Extrauagans cessauit cum suo actore, vt ait Sylu. verb. excommunicatio. 7. casu 32. Soto d. 22. q. 2. art. 3. colum. 9. Nauar. c. 27. num. 105. & similis clausula solet poni in Bulla Cœnæ, quæ diligenter inspicienda est, cùm occurrens casus id egit, quoniam solet variari, & nunc est strictior, nunc latior; sed nota, quòd quamtumuis strictè ponatur, si ita instaret articulus mortis, vt non esset locus cautioni, absolutio erit valida, & licita, vt vidimus dub. 5. notab. vlt.

Ex secunda conclusione inferunt nonnulli iuniores, quòd si aliquis est excommunicatus excommunicatione exigente satisfactionem partis, & oblitus est confiteri peccatum illud, propter quod incurrit excommunicationem, & confessus est Confessori habenti facultatem ad absoluendum à tali excommunicatione virtute Bullæ Cruciatæ, vel alterius priuilegij per absolutionem generalem, quæ datur ad cautelam, verè maner absolutus à tali excommunicatione. Veruntamen quamuis hoc sit probabile, oppositum iudico probabilius; quia non est præsumendum, Confessorem habere intentionem absoluendi à tali excommunicatione, quæ si à pœnitente manifestaretur, & absolueret ab ea sine satisfactione, vel cautione, peccaret mortaliter.

Quæ autem verba inducant annullationem, & vtrùm eam inducat hæc dictio, *nullatenus*, videre Sylvest. ver. excommunicatio. 10. num. vlt. Couarr. c. alma mater. p. 1. §. 11. nu. 7. P. Henrique lib. 13. de excommunicat. c. 28. num. 3.

DVBITATVR decimò, quando aliquis est nominatim excommunicatus, vel

quamuis

quamuis sit excommunicatus à iure, tamen res deducta est ad forum contentiosum, & adhuc pendet lis; verbi gratia, percussit quis clericum, & res deducta est in iudicium, & durat lis, vtrùm possit absolui à Confessore per Bullam, vel priuilegium?

Prima conclusio. Si absoluatur, valida erit absolutio; ita Ledes. Conimb. 2. p. 4. q. 26. art. 1. colum. 5. & Mexic. difficult. 13. de excommunicat. circa secundam conclusionem. Couuarru. c. alma mater. p. 1. §. 11. num. 16. Medina in Sum. lib. 2. c. 12. in fine. & multi Iurisperiti Salmanticenses, & Magistri, & eam clarè supponit P. Henrique lib. 13. de excommunicat. c. 28. nu. 2. Probatur, Bulla generaliter concedit absolutionem ab excommunicatione à iure, vel ab homine, ergo debet verificari non solùm in excommunicatione ab homine, in generali, sed etiam in speciali, iuxta c. solitæ. de maiorit. & obedientia. Secundò probatur ratione: nam cui conceditur facultas absoluendi à peccato, propter quod incursa est excommunicatio, consequenter conceditur facultas absoluendi ab excommunicatione, siquidem hæc absolutio debet necessariò præcedere absolutionem à peccatis, argumento exl. 2. ff. de iurisdictione omnium Iudicum. & c. præterea. de offic. delegati.

Difficultas solùm est, vtrùm liceat, vel expediat impendere huiusmodi absolutionem?

Sit secunda conclusio. Via Regia & plana est illum remittere ad Iudicem, qui excommunicauit, vel coram quo pendet lis, vt accepta satisfactione, vel cautione illum absoluat, vel det licentiam in scriptis, vt absoluatur à Confessario, imò vt in plurimùm erit hoc expediens, quando aliquis est excommunicatus nominatim, licèt nulla requiratur satisfactio partis.

Tertia conclusio. Nihilominùs si talis excommunicatus est in loco diffusi, vbi ignoratur excommunicatio, vel quòd pendet lis de ea re, tunc licitè poterit absolui in foro conscientiæ per prædicta priuilegia, præmissa satisfactione, vel si non potest, præstita sufficienti cautione; ita tenet Didacus Perez lib. 8. ordinamenti. tit. 1. l. 1. P. Polancus in Directorio, c. 4. de absolutione. circa finem. P. Henrique nu. 2. citato. Emanuel Rod. in Bulla. §. 11. nu. 55. limitat. 11. & multi Magistri doctissimi. Probatur, quia tunc nullum sequitur scandalum, nec perturbatur exterior iurisdictio, quia talis absolutio solùm valet pro foro interiori, vt posteà dicemus, nec fit vlla iniuria parti, siquidem reus facit totum, ad quod tenetur, & ideò pars non potest iustè conqueri; & nota, quòd quando parti est realiter satisfactum, conclusio est omninò certa, in qua nullus, vt credo, dubitat.

Quarta conclusio. Quando excommunicatus est in loco, vbi excommunicatio est publica, vel vbi litigatur, probabilius est, quòd non potest licitè absolui etiam in foro conscientiæ, ita multi viri doctissimi. Probatur: nam talis absolutio esset scandalosa, & perturbaret iurisdictionem Iudicis, coram quo pendet lis. Confirmatur: nam Concil. Trident. sess. 24. cap. 6. de reformat. ideò non concedit Episcopis facultatem absoluendi à censuris reseruatis Papæ deductis ad forum contentiosum, ne perturbetur exterior iurisdictio. Non desunt Magistri qui dicant etiam in casu huius conclusionis licitam esse absolutionem, quia cùm solùm valeat pro foro interiori, non perturbatur exterior iurisdictio: potest enim Iudex procedere contra illum, ac si nunquam esset absolutus, vt posteà dicemus. Verùm hanc sententiam solùm admittam ego in tribus casibus.

Primus, quando excommunicatus se composuit cum parte, qui casus, vt credo, etiam admittitur ab Autoribus quartæ conclusionis. Secundus est, quando Iudex malitiosè denegaret absolutionem, pro quo est bonus textus c. venerabilibus. §. sanè. de sententia excommunicat. in 6. Tertius, quando Iudex licèt non denegat malitiosè absolutionem, denegat tamen rigidè, vt cùm non vult illum absolucre, nisi satisfaciat cum detrimento sui status,

quem

quem casum admitto contra Emanuel. in Bulla. §. 9. nu. 58. in fine. & contra P. Henrique lib. 7. de indulgentiis. cap. 13. num. 2. circa medium. Admitto autem hos casus cum hac conditione, quòd admoneatur pœnitens, huiusmodi absolutionem nihil prodesse illi pro foro exteriori, & quòd pœnitens sit vir timoratus, de quo præsumat Confessor, quòd exteriùs se geret tanquàm excommunicatus, & quòd nunquàm accedet ad sacramenta, nec ad audiendum Missam, nisi secretò, & sine scandalo: nam hac seruata conditione nec orietur scandalum, nec irrogatur iniuria parti, siquidem excommunicatus facit totum quod potest, nec Iudici, quandoquidem manet illi integrum ius procedendi contra reum, sicut anteà, & taliter absolutus non excusatus, quin teneatur se præsentare Iudici, & quamuis hoc ita sit, quia tamen reus eò ipso quòd sit absolutus etiam pro foro interiori tantùm, minùs timet Iudicē, quàm anteà. & minùs dependet abillo, & solet liberiùs se gerere, ideò non teneo contra quartam conclusionem absolutè, sed in specialibus casibus iam prædictis.

Dixi in titulo, *Dubij*, & adhuc pendet lis; nam si est finita, iam absoluit Iudex, vel dedit licentiam, vt absolueretur, & sic cessat difficultas; at verò si excommunicatio erat à iure, vt propter percussionem clerici, tunc liberè potest eum Confessor absoluere per Bullam, quia Iudex iam functus est officio suo.

Ex dictis facilè constat resolutio alterius quæstionis, vtrùm scilicet per Bullam possit quis absolui præstita cautione reclamante parte; verbi gratia, percussit quis clericum, & offert sufficientem satisfactionem arbitrio boni viri, quam tamen pars non vult acceptare, vt illum vexet? Dicendum est enim, quòd si res non est deducta ad forum contentiosum, licitè potest absolui præstita sufficienti cautione; ita Caiet. verbo, absolutio. c. 4. Medin. in Sum. lib. 2. c. 12. P. Henrique lib. 13. de excommunicat. c. 28. num. 4. & Magistri. Probatur, quia iam non stat per ipsum, quin realiter satisfaciat; ergo non est in mora culpabili; at verò si res est deducta ad forum contentiosum, licitum erit absoluere in casu tertiæ conclusionis, non tamen in casu quartæ, nisi in duobus vltimis casibus exceptis.

Vltimò notandum est, quòd si quis fuit simpliciter absolutus etiam à Iudice, præstita cautione de satisfaciendo, licèt posteà non satisfaciat, non reindicet in priorem excommunicationem, sed requiritur quòd iterum excommunicetur; colligitur ex cap. ad reprimendum. de offic. ordinarij. vbi id notant Abbas, & Felin. colum. 2. Probatur, quia talis absolutio non fuit data cum conditione.

DVBITATVR vndecimò, quando aliquis est excommunicatus propter iniuriam alteri illatam, verbi gratia, propter percussionem clerici, quæ satisfactio est præmittenda?

Prima conclusio, quòd arbitrio boni viri. Videtur autem congrua satisfactio se humiliter subiicere læso petendo veniam, consideratis circunstantiis percussionis, & personarum; præterea si læsus liberaliter remittat iniuriam, non requiritur alia satisfactio.

Petis, vtrùm passus iniuriam censeatur illam remittere per hoc quòd amicabiliter conuersetur cum iniuriatore?

Secunda conclusio affirmatiua, cum Syluest. ver. contumelia. q. 4. & Nau. c. 18. nu. 46. ad 3. quod maximè aduertendum est pro percussoribus clericorum, qui aliàs erant amici: nam si redeant ad pristinam amicitiam & familiaritatem, censetur iniuria remissa; vbi notandum est, quòd licèt percutiens clericum vel monachum, faciat etiam iniuriam Ecclesiæ, vel monasterio, tamen satisfacto percusso, vel remittente iniuriam, censetur pars satisfacta, vt ait Nauar. c. inter verba. & consequenter potest absolui, nisi fortè fieret Ecclesiæ aliqua notabilis iniuria, vt quando delinquens extrahitur iniustè ab Ecclesia; maximè quòd aliqua satisfactio videtur fieri ipsi Ecclesiæ, per hoc quòd excommuni-

catus subiicitur clauibus Ecclesiæ, vt absoluatur, & imponatur ei congrua pœnitentia, & iuret obedire mandatis Ecclesiæ, & quòd deinceps non percutiet clericum. Quod verò satisfacto percusso, vel condonante iniuriam, censeatur pars satisfacta, probat Nauar. dicto c. inter verba. corol. vlt. num. 376. & in Manuali. c. 18. num. 46. nam quando damnum infamiæ principaliter tangit infamatum, & secundariò & minùs principaliter bonum publicum, sufficit condonatio eius, adquem principaliter pertinet. c. quamuis pactum. iuxta glossam, de pactis. in 6. vnde quod ait ipse Nauar. cap. 14. num. 25. scilicet vxorem, filiumfamilias nondum emancipatum, & religiosum non posse remittere iniurias: nam actio contra iniuriantem pertinet ad superiores; ego intelligo quoad forum exterius, non quoad interius.

Dvbitatvr duodecimò, vtrùm absolutio ab excommunicatione data virtute Bullæ vel Iubilæi, valeat pro foro exteriori, & iudiciali? Quam quæstionem latè & optimè tractant Couarru. cap. alma mater. 1. p. §. 11. num. 16. Ledesm. 2. p. 4. q. 26. artic. 1. dub. vlt. & Ioannes Gutierrez Canonicarum quæst. cap. 2. Et imprimis supponendum est cum Gutierrez num. 10. & 11. quòd quando in Bulla, vel priuilegio fit expressa mentio, quòd absolutio possit fieri in foro conscientiæ, non prodest in foro exteriori & iudiciali. Præterea, quando conceditur facultas absoluendi in vtroque foro, secundùm Gutier. & aliquos Magistros, valet in foro exteriori & iudiciali. Dico, *secundùm aliquos*: nam alij dicunt, quòd solùm valet pro foro exteriori in hoc sensu, quòd possit exteriùs admitti ad sacramenta & officia diuina, non tamen pro foro iudiciali, ita vt sic absolutus maneat omninò liber à iurisdictione exteriori, nec teneatur se Iudici præsentare, quod clariùs constabit ex dicendis in fine dubij; vnde præcipua difficultas est, quando nullius fori fit mentio, sed simpliciter conceditur vt possit absolui per Confessarium ab excommunicatione à iure vel ab homine, vt regulariter dicitur in Bullis Cruciatæ.

De hoc est prima opinio affirmatiua; sic Medin. in Sum. lib. 2. cap. 12. in fine. & addit, quòd Confessor absoluens det absoluto schedulam absolutionis, vt per eam se defendat in foro exteriori; eandem tenet Emanuel Rodriguez in Bulla. §. 9. nu. 55. in fine.

Secunda opinio est negatiua, quæ longè probabilior est, & communiòr, eam tenet Couar. Gutierrez, & Ledesm. vbi sup. & Mexica difficult. 13. de excommunicat. circa 2. concl. P. Henrique lib. 7. de indulgentiis. cap. 13. num. 2. in fine. & lib. 13. de excommunicatio. cap. 27. num. 5. circa finem, Cordub. in Sum. q. 19. & tenent communiter moderni Theologi, & Canonistæ, & eandem videtur clarè tenere Soto dist. 22. q. 2. art. 3. quæ sententia probatur primò: nam si talis absolutio prodesset in foro exteriori, plurimùm detraheretur iurisdictioni fori exterioris; si publicè excommunicatus, & denunciatus, & absolutus à Confessore per Bullam publicè ingerat se diuinis in contemptum Iudicis, cui non est congruè satisfactum, licèt parti satisfactum sit. Secundò: nam forum conscientiæ, & forum exterius multùm differunt, ergo absolutio data pro foro conscientiæ, non prodest pro foro exteriori. Tertiò: nam in aliquibus Bullis, vel priuilegiis dicitur, absolutionem datam à Confessario prodesse etiam in foro exteriori, ergo quando id non exprimit Pontifex, signum est, eius intentionem esse, quòd tantùm prosit in foro interiori. Quartò, probant Couar. & Gutierrez ex stylo antiquissimo Romanæ Curiæ: nam quando in sacra pœnitentiaria in foro conscientiæ petitur absolutio, committitur Confessori, vt id expediat, nullis testibus adhibitis, literis statim lacerandis, neque vlla fit compositio pecuniaria cum datario, quæ tamen fieri solet, quoties obtinetur aliqua gratia pro foro exteriori. Quintò: nam in compendio gratiarū Societatis Iesu verb. absolutio. §. 1. in fine. dicitur, quòd Confessores

fessores admoneant pœnitentes absolutionem à censuris datam virtute talis priuilegij nihil eis prodesse in foro exteriori. Vltimò probatur efficaciter ex verbis Pij V. referendis in fine dubij.

Ex dictis sequitur, quòd sic absolutus per Bullam, debet se gerere in publico tamquam excommunicatus ad vitandum scandalum, & præiudicium fori contentiosi, & Iudex potest procedere contra illum in omnibus, ac si non esset absolutus; vnde si sit Clericus, & celebrat, potest procedere tamquam contra irregularem, iuxta gloss. cap. de his. de accusationibus. in fine. approbatam secundùm Couarr. 2. variar. cap. 10. num. 3. Dico, *potest procedere*, quia non tenetur, vnde si velit esse benignus, poterit acceptare hanc absolutionem etiam pro foro exteriori, & repellere accusationem fiscalis accusantis illum, quòd celebrauit; ita P. Henrique lib. 13. de excomm. cap. 27. n. 5. circa finem. idem tenet Nauarr. lib. 5. cons. de pœnit. & remiss. cons. 23. limitat tamen, nisi aduersarius peteret eum puniri. Rectè tamen faciet, si procedat contra illum: nam ita practicatur; Parochus autem præcipuè debet attendere forum conscientiæ, & ideò quando ex admissione sic absoluti ad diuina sequetur scandalum, non debet illum admittere, sicut nec ipse absolutus debet audire; atqui verò si cesset scandalum, poterit, si velit, illum admittere, sed non tenetur.

Verùm ab hac sententia, quam sequimur, excipio vnum casum, scilicet quando aliquis est excommunicatus à iure, verbi gratia, propter percussionem Clerici, & res deducta est ad forum contentiosum, & lis est finita: tunc enim nullum fit præiudicium Indici, nec suæ iurisdictioni exteriori, quod inconueniens intendit Pontifex vitare; & dico, quòd in hoc casu potest Confessarius dare testimonium absolutionis, tenet Nauarr. lib. 5. de pœnit. & remiss. consil. 23. n. 2. Qua autem forma sit dandum, vt fidem faciat, videte in Nauarr. lib. 5. consil. de sentent. excomm. consil. 26.

Petis, quid dicendum sit, quando Iubilæum concedit, quòd absoluatur ad reincidentiam in foro conscientiæ tantùm ad effectum lucrandi Iubilæum.

Prima opinio est Cordub. in Sum. q. 20. puncto 3. & Emanuel Rodriguez in Bulla. §. 9. num. 58. quòd si excommunicatus non potest statim satisfacere sine graui incommodo, potest absolui virtute talis Iubilæi in foro conscientiæ, & etiam in foro exteriori, quantùm ad effectum lucrandi Iubilæum, in hoc sensu, quòd exteriùs possit admitti ad confessionem, & communionem, quoniam aliàs multi non possent lucrari Iubilæum, & tamen mens Pontificis est, quòd omnes lucrentur illud, quo lucrato reincidit in foro exteriori, quamuis non sit negligens in satisfaciendo, & in interiori, si fuerit negligens.

Secunda opinio est Ioannis Gutierrez suprà num. 18. quòd si iste satisfacit parti, potest absolui etiam in foro exteriori ad effectum lucrandi Iubilæum, taliter quòd Iudex durante tempore Iubilei, non posset illum impedire à consequutione Iubilæi, quamuis transacto Iubilæo, poterit illum repellere à diuinis; at verò si non satisfecit parti, quamuis possit absolui in foro interiori, non tamen in exteriori, & tunc Iudex, & pars, & Sacerdotes possunt illum arcere à consequutione Iubilæi. Probat ex quodam Iubilæo Pij V. relato inter motus proprios eiusdem Pontificis, vbi dicitur, *Per has, & similes concessiones à nobis, & prædecessoribus nostris hactenùs emanatas, vel in futurum quomodolibet emanandas, fidelibus, nisi ad eorum effectum in foro conscientiæ, & pœnitentiali dumtaxat, non autem in foro fori, aut contentioso, nisi satisfacta parte, vllatenùs suffragari, quinimò reincidere*, &c. prout latiùs refert, & explicat Gutierrez.

Mihi sanè probabilior videtur prima opinio. Vnde dico, quòd secundùm prædicta verba Pij V. hæc versatur differentia, quando pars est satisfacta, & quando non, quòd in primo casu Iudex durante Iubilæo non potest illum repellere à Sacramentis, nec à consequutione Iubilæi; at verò transacto Iubilæo, potest se gerere

cum illo tamquam cum excommunicato, quia licèt satisfecerit parti, requiritur tamen, quòd se præsentet Iudici. Et quòd iste sit legitimus sensus, patet: nam si satisfacta parte, maneret iste absolutus, quantùm ad omnes iudicij effectus, ita vt nec teneretur se præsentare Iudici, cederet hoc in contemptum Iudicis, & iurisdictionis exterioris; ergo solùm intendit Papa, quòd satisfacta parte maneat absolutus pro foro contentioso tempore Iubilæi dumtaxat. In secundo autem casu, scilicet quando pars non est satisfacta, potest impediri, & arceri per Iudicem à Sacramentis, cum hoc tamen stat, quòd pars, nisi implorando officium Iudicis, non possit illum arcere à Sacramentis, & consequutione Iubilæi; & quòd Sacerdotes liberè possint illum admittere ad Sacramenta, & lucrationem Iubilæi, & hoc non est prodesse in foro contentioso, sed in foro exteriori, id est, quòd exteriùs possit admitti ad Sacramenta; neque ex hoc sequitur aliquod detrimentum parti, siquidem transacto Iubilæo reus est habendus in foro exteriori tamquam non absolutus. Neque etiam aduersamur verbis, nec menti Pij V. nam ipse dicit, quòd parte non satisfacta non prosit absolutio in foro fori, & contentioso, id est, quantùm ad exteriores effectus iudicij: poterit enim Iudex procedere contra illum, & autoritatiuè repellere à Sacramentis; nos autem solùm concedimus, quòd potest exteriùs admitti ad Sacramenta, quod longè differt à foro contentioso, & hæc explicatio est de mente Cordub. & secundùm eam differt forum contentiosum à foro exteriori.

Dvbitavr decimotertiò, vtrùm per Bullam Cruciatæ, vel similia priuilegia possit quis absolui ab excommunicatione extra confessionem? Dico, *virtute Bullæ*: nam quando Confessor absolvit ab excommunicatione ex commissione Iudicis, certum est, quòd potest absoluere extra confessionem. Præterea certum est, quòd Parochus potest absoluere extra confessionem ab excommunicatione non reseruata, quia eius iurisdictio est ordinaria; ita tenet Emanuel in Bulla. §. 9. n. 54. & alij. Præterea suppono, quòd ab excommunicatione minori potest quis absolui extra confessionem, quia sic habet communis vsus, eo quòd frequenter incurritur; vnde solùm manet difficultas de absolutione ab excommunicatione maiori, data virtute Bullæ, vel similis priuilegij.

Prima opinio est negatiua; ita Nauarr. cap. 26. num. 31. & lib. 1. consil. tit. de sentent. excomm. consil. 28. ad 4. q. Cordub. in Sum. q. 19. & 187. Emanuel in Bulla. §. 9. num. 54. dicto 5. Et ait ita declarasse Pium V. in illis verbis relatis à nobis dubio præcedenti, scilicet in foro conscientiæ tantùm, non autem in foro contentioso. Pro eadem opinione citatur Couarr. cap. alma mater. p. 1. §. 11. num. 16. sed immeritò, quia solùm ait, quòd virtute similium priuilegiorum non potest quis absolui quoad forum exterius, sed tantùm quoad forum conscientiæ; hoc autem multùm differt à præsenti quæstione, vt videbimus in solutione ad 3. Hanc tenent nonnulli Magistri, & quidam ex eis ita mordicùs, vt affirment absolutionem aliter datam esse nullam. Probatur primò opinio, quia in Bulla solebat dici, quòd pœnitens possit eligere Confessorem approbatum, qui audita confessione possit absoluere à peccatis, & censuris. Secundò: nam licèt hæc clausula non habeatur modò in Bulla, habetur tamen alia æquiualens, scilicet quòd possint eligere Confessarium ex approbatis ab ordinario, qui possit illos absoluere ab omnibus peccatis, & censuris.

Confirmatur primò: nam Bulla requirit, quòd eligatur in Confessorem.

Confirmatur secundò: nam Bulla dicit, *modò, & à reliquis peccatis, & censuris non reseruatis Sedi Apostolicæ possit absoluere toties, quoties los confessaren.*

Tertiò, quia per talia priuilegia solùm possunt absolui in foro conscientiæ.

Secunda opinio est in contrarium, & hoc, quamuis Bulla dicat, *qui audita confessione possit absoluere à peccatis, & censuris.*

Hanc

Hanc tenuit Victoria, Peña, & quidam alij Magistri Salmanticenses doctissimi; pro eadem citatur Guerrero Archiepiscopus Granatensis vir doctissimus, & fertur ita practicari per Confessarios doctissimos; ita referunt viri fide digni, inter quos est P. Henrique lib. 7. de indulgentiis, cap. 13. num. 2. qui etiam testatur ità declarasse commissarium Cruciatæ; quæ opinio adhuc est longè certior modò, quia Bulla non habet illam clausulam, *qui audita confessione*, &c. qua clausula sublata, tenet hanc opinionem P. Henrique, & hanc reputo probabiliorem. Probatur primò, quia nulla est necessaria connexio inter absolutionem à censuris, & absolutionem à peccatis. Secundò, quia multoties occurrit casus, in quo expedit statim absoluere ab excommunicatione, quia est dies festus solennis, & tamen reus non est paratus, vt confiteatur, præcipuè si est longa confessio.

Ad primum respondetur, quòd referenda sunt singula singulis, ita vt illa verba, *audita confessione*, referantur ad absolutionem à peccatis, non ad absolutionem ab excommunicatione.

Ad secundum, cum prima confirmatione respondetur, nihil probare: nam bene potest quis eligere Confessarium approbatum ab ordinario, vt eum absoluat ab excommunicatione, sine hoc, quòd eligat illum in Confessarium, neque id requirit Bulla, satis est, quòd ipse sit Confessor approbatus ab ordinario. Meritò autem decreuit hoc Pontifex, ne eligeretur aliquis idiota ad absoluendum ab excommunicatione, qui nesciret vtrùm excommunicatus teneretur satisfacere, nec vtrùm petendum esset iuramentum, nec alia requisita secundùm ius in absolutione ab excommunicatione, ex quo sequitur, Sacerdotem non approbatum ab ordinario non posse absoluere ab excommunicatione virtute Bullæ. Ad secundam confirmationem respondetur, sicut ad primum argumentum. Ad tertiam respondetur, longè deuiare à veritate quosdam Theologos putantes idem esse dicere in foro conscientiæ tantùm, & intra confessionem: nam prima verba solùm significant, quòd talis absolutio non prodest in foro exteriori, vt docent multi viri docti, & Nauarr. lib. 5. consilior. de sentent. excomm. consil. 15. ad 2. q. Et probat: nam stylus Curiæ Romanæ habet, vt aliqui Pœnitentiarij absoluant sine literis à censuris extra confessionem per facultatem sibi factam à summo Pœnitentiario ad absoluendum in foro conscientiæ.

Hinc sequitur primò, quòd Episcopus per concessionem sibi factam à Concilio Tridentino sess. 24. cap. 6. de reformat. ad absoluendum in foro conscientiæ à censuris occultis reseruatis Sedi Apostolicæ, potest absoluere extra confessionem; ita Nauarr. ibidem. P. Henrique suprà, & alij multi.

Secundò sequitur, quòd superiores Societatis Iesu, qui possunt dispensare in foro conscientiæ cum suis subditis in multis irregularitatibus, possunt id facere extra confessionem.

Tertiò sequitur, Emanuelem Rodriguez malè intellexisse verba Pij V. relata in fine dubij præcedentis, scilicet, *in foro conscientiæ tantùm, non autem in foro contentioso*, quia tantùm intendit Pontifex talem absolutionem non prodesse in foro contentioso.

DVBITATVR decimoquartò, vtrùm per Bullam, vel similia priuilegia possit quis absolui ab excommunicatione ad reincidentiam? Pro explicatione tituli supponendum est, quòd absolui ab excommunicatione ad reincidentiam, est absolui ad certum tempus tantùm, vel ad certum actum, quo tempore transacto, vel actu peracto, statim absque noua sententia incidit in priorem excommunicationem.

Prima conclusio. Iudex, qui aliàs potest excommunicare, & Confessarius ex consensu Iudicis, bene potest absoluere ad reincidentiam; ita Couarr. cap. alma mater. p. 1. §. 11. num. 6. & est communis.

Aduertit autem Couarr. hoc intelligendum esse, quando absolutio expressè datur ad reincidentiam, vel ad tempus explicatum, vel tacitum, vt fatentur Panormitan. Ioan. Andr. & alij. Hinc infertur, quòd si aliquis fuerit simpliciter absolutus, præstita cautione de satisfaciendo, quamuis posteà non satisfaciat, non reincidet, sed requiritur, quòd iterum excommunicetur de nouo; ita Couarr. & est optimus textus cap. ad reprimendam. de offic. ordinarij.

Petis, quando aliquis est absolutus ad reincidentiam per Iudicem, & impleto termino præfixo non potest satisfacere, vtrùm reincidat in excommunicationem? Multi dicunt, quòd reincidet non solùm in foro exteriori, (in hoc enim omnes conueniunt) sed etiam in interiori; sed ego probabilius iudico, quòd licèt reincidat in foro exteriori, non tamen in interiori; ita tenet Cordub. in Sum. q. 20. puncto 3. Emanuel Rodriguez in Bulla. §. 9. num. 58. P. Henrique lib. 13. de excommunic. cap. 29. num. 3. in glossa, litera V. Magister Bañes, & alij. Probatur, excommunicatio non potest incurri sine contumacia, ergo nec potest homo reincidere in illam, nisi reincidat in contumaciam. Vtrùm autem iussus sub excommunicatione satisfacere intra certum terminum, & prorogato termino, & eo impleto non satisfacit, incurrat excommunicationem, diximus suprà cap. 5. disput. 5. dub. 1.

Secunda conclusio. Qui solùm potest absoluere virtute Bullæ, vel similis priuilegij, non potest absoluere ad reincidentiam, etiamsi absoluat ex consensu partis, nisi in Bulla, vel priuilegio id expressè concedatur, vt concedebatur in Bulla Crucifixi Oxomensis, & concessit Pius V. in quodam Iubilæo, vt vidimus dub. 12. circa finem. Hanc conclusionem tenet Soto dist. 22. q. 2. art. 3. colum. 4. post 2. concluſ. Nauarr. cap. 23. num. 15. Cordub. in Sum. q. 20. puncto 2. Emanuel in Bulla. §. 9. num. 57. & plurimi Doctores. Probatur, ad absoluendum ad reincidentiam requiritur iurisdictio ad excommunicandum: nam elapso tali termino, vel actu, absolutus reincidit in excommunicationem, sed per prædicta priuilegia non conceditur iurisdictio ad excommunicandum, ergo.

Tertia conclusio. Verum est, quòd per Iubilæum centesimum (id est, qui olim non concedebatur nisi centesimo quoque anno) potest quis absolui ad reincidentiam ad effectum consequendi Iubilæum dumtaxat, quia ita declarauit Pius V. vt vidimus dub. 12. circa finem, in illis verbis, *Per has, & similes concessiones à nobis, & prædecessoribus nostris hactenùs emanatas, vel in futurum quomodolibet emanandas*; & posteà subdit, *quinimò reincidere*, &c.

Ex dictis sequitur primò, quòd si Confessarius virtute Bullæ me absoluat ad reincidentiam, maneo simpliciter absolutus, & non reincidam.

Secundò sequitur, quòd si pars consentiat, vt Confessarius me absoluat per Bullam per viginti dies, credens, quòd si non soluam, transacto termino reincidam, non debet Confessarius me absoluere, nisi priùs admoneat partem, quòd sic absolutus non reincidet posteà, aliàs faceret contra intentionem partis: ignorantia enim causat inuoluntarium.

Tertiò sequitur, quòd qui aliàs potest excommunicare, si per aliquod priuilegium absoluat ab aliqua excommunicatione reseruata Papæ, non potest absoluere ab illa ad reincidentiam, ita vt reincidat in eamdem reseruatam, verbi gratia, Episcopus, vel eius Prouisor per Bullam Cruciatæ absoluit ab excommunicatione ob percussionem Clerici ad reincidentiam, nisi satisfecerit intra certum terminum, non reincidet, quia absoluens non potest excommunicare excommunicatione reseruata Papæ; posset tamen absoluere ad reincidentiam in hoc sensu, quòd reincidet in excommunicationem impositam ab absoluente, quam ex nunc, pro tunc fert, si reus non satisfecerit intra talem terminum, & tunc transacto termino incurret

in

in excommunicationem latam ab absoluente, & non reseruatam Papæ.

Et quod dixi in principio dubij ex Couarr. absolutionem expressè dandam esse ad reincidentiam, sic intelligo quòd sufficiat quòd expressè petatur, verbi gratia, Peto à Iudice, vt me absoluat ad reincidentiam, & ille ait; Ego te absoluo, intendens me absoluere ad reincidentiam, sicut ego peto, tunc meo iudicio absolutio est ad reincidentiam.

DVBITATVR decimoquintò, vtrùm absolutio ab excommunicatione possit dari sub conditione? Anton. 3. par. tit. 24. cap. 27. §. 1. Sylvest. verb. absolutio. 3. num. 1. dicunt. quòd non potest quis absolui ab excommunicatione sub conditione de futuro, verbi gratia, *si satisfeceris*, & quòd talis absolutio non solùm erit illicita, sed etiam nulla.

Prima conclusio. Absolutio ab excommunicatione data sub conditione de præsenti, vel de præterito, valida est & licita. Probatur: nam sic vtuntur Confessores; *Te absoluo inquantùm possum, & indiges.* Secundò: nam Baptismus licitè potest dari sub conditione, ***Si non es baptizatus.*** Et si audio confessionem infirmi, qui subitò moritur, & ego dubito vtrùm iam expirauerit, possum dicere, *Si viuis, te absoluo*; verum est, quòd quando Confessor absoluit in confessione ab excommunicatione præstita cautione de satisfaciendo, non expedit dicere, *Te absoluo*, supposito quòd habes propositum satisfaciendi: nam vel credit pœnitenti, & tunc absoluat absolutè, vel non credit, & tunc nullo modo absoluat.

Secunda conclusio. Absolutio ab excommunicatione sub conditione de futuro illicita est, sed valida, & sortietur suum effectum post impletam conditionem. Prima pars est communis omnium, & probatur: nam absolutio non debet esse in pendenti; secundam verò partem tenet Nauar. c. 26. num. 12. & de pœnit. dist. 6. c. 1. in princ. nu. 62. Couarru. cap. alma mater. par. 1. §. 11. num. 6. P. Henrique lib. 13. de excommunicat. cap. 29. nu. 4. Et probatur, excommunicatio potest dari sub conditione, *si non satisfeceris*, ergo etiam absolutio sub conditione, *si satisfeceris.*

Petis, si Ioannes obtinet à Iudice quòd absoluatur ab excommunicatione, data priùs cautione de parendo iuri, & antequam det cautionem gerit se pro absoluto, propter quod admonetur à Iudice, vt intra certum terminum det prædictam cautionem, quam quia non dat, Iudex reintrusit illum in excommunicationem, qui tamen posteà dat cautionem, vtrùm censeatur absolutus.

Conclusio negatiua, ita Nauarr. lib. 5. Consil. de sententia excommunicat. consil. 17. Probatur: nam per illam reintrusionem additum fuit nouum vinculum priori excommunicationi; & concedendo quòd absolueretur ab illa, data priùs cautione, non poterat intelligi à reintrusione, quæ nondum erat facta. videre alias rationes in Nauarro.

DVBITATVR decimosextò, & vltimò, quando aliquis excommunicatus, obligatus tamen excommunicationis, absoluitur in confessione ab excommunicatione sub illa conditione generali, *si fortè incurristi, inquantùm possum, &c.* & posteà recordatur excommunicationis, vtrùm teneatur directè absolui?

Conclusio negatiua; sic aliqui Magistri, & Nauar. cap. 26. nu. 3. quamuis cap. 9. nu. 3. clarè videatur dicere oppositum, & apertè colligitur hæc conclusio ex Sylvest. & aliis statim citandis. Probatur: nam frustrà esset talis absolutio, siquidem iam est sublata excommunicatio.

Contrà, qui in confessione oblitus est alicuius peccati mortalis, licèt maneat absolutus ab eo, si posteà recordetur illius, tenetur illud confiteri, vt directè absoluatur ab illo; concesso antecedenti negatur consequentia. Primò, quia illud peccatum fuit remissum cum ordine ad directam absolutionem in confessione. Secundò: nam materia proxima absolutionis non est peccatum, sed confessio, & ideò

potest

potest quis ab eodem peccato bis & sæpiùs absolui.

Ex hac conclusione infertur, quòd Confessarius virtute Bullæ, vel Iubilæi concedentis facultatem ad absoluendum à quibuscunque censuris etiam reseruatis Papæ in Bulla Cœnæ si absoluat pœnitentem ad cautelam, ab omni excommunicatione inquantùm possum & indiges, talis pœnitens manet absolutus ab omnibus excommunicationibus, licèt per obliuionem, vel ignorantiam non confiteatur illud peccatum, propter quod incursa est excommunicatio; & ita poterit postea absolui ab illo peccato per quemcumque Confessarium approbatum, quamuis non posset absoluere ab excommunicatione. ita Courarr. cap. alma mater. par. 1. §. 11. nu. 12. Nauarr. supr. qui citat Angel. & Sylvest. idem tenent aliqui Magistri, & Nauarrus admonet, vt hoc notent Religiosi, qui in visitationibus generaliter absoluuntur à superioribus abirregularitatibus, & aliis censuris: nam licèt tunc non meminerint illarum, censentur sublatæ, nec tenentur aliam absolutionem, vel dispensationem quærere ab eis, sed satisfacient confitendo peccata, ob quæ illas incurrerunt.

Vltimò notandum est, quòd qui prætendit excommunicationem esse nullam, non compellitur etiam in foro exteriori petere absolutionem; potest tamen petere ad euitandum murmur, & scandalum populi, & per hoc quòd petat absolutionem, non fatetur se excommunicatum; ita glossa in c. solet. de sententia excommunicatio. in 6. vbi latè de hoc.

Circa ea quæ superiùs dicta sunt, restant mihi duo notanda. Primum est circa id quod dixi cap. 5. disput. 4. dub. 1. circa 3. conclus. circa quod aduerto, quòd in aliquibus casibus compellitur reus iure ciuili ad manifestanda instrumenta, in quibus non compellitur iure Canonico; ita P. Henrique lib. 13. de excommunicatio. cap. 18. num. 2. & in glossa, litera D. Secundum est circa id quod dixi cap. 6. disputat. 1. dub. 2. in fine.

Aduerto, quòd si ignorabat se habere maius ius, quàm illud quod probauit coram Iudice, sicut durante hac ignorantia peccabit peccato contumaciæ non obediendo, ita etiam incurrit excommunicationem. Et hæc de hac materia excommunicationis.

TERTIA

TERTIA PARS.

De ſuſpenſione.

De hac materia tractant Palud. in 4. d. 18. quæſt. 7. Anton. 3. p. tit. 28. per totum. Soto d. 22. quæſt. 3. art. 1. Ledeſm. 2. 4. quæſt. 26. art. 2. Nauar. in Manuali. c. 27. à num. 151. vſque ad 163. Couar. Clem. ſi furioſus. p. 1. §. 1. P. Henrique lib. 13. de excommunicat. cap. 31. vſque ad 40. & Summiſtis ver. ſuſpenſio, quam materiam in ſex diuidam diſputationes. Prima erit, de natura & diuiſione ſuſpenſionis; ſecunda, de effectibus; tertia, de forma & modo ſeruando in ferenda ſuſpenſione, & de cauſa & occaſione propter quam fertur, & de cauſis excuſantibus à ſuſpenſione; quarta, de cauſa ſufficienti, ſcilicet de perſonis quæ poſſunt ſuſpendere, & de cauſa materiali, ſcilicet de perſonis quæ poſſunt ſuſpendi; quinta, de ſuſpenſionibus iuris; ſexta denique, de abſolutione.

DISPVTATIO I.

De natura, & diuiſione ſuſpenſionis.

DVBITATVR primò, de diffinitione, quid nominis ſuſpenſionis?

Reſpondetur, hoc nomen, *ſuſpenſio*, poteſt dupliciter accipi. Primo modo largè, vt ſignificet ſeparationem ab exercitio cuiuſcunque poteſtatis eccleſiaſticæ, vel ſecularis, ad certum tempus, in qua acceptatione ſeparatio qua aduocatus ſeparatur ab officio aduocandi dicitur ſuſpenſio, & etiam quando aliquis habet à Rege vel à Papa poteſtatem conferendi gradum Baccalaureatus vel Doctoratus, ſeparatio à tali officio ad certum tempus dicitur ſuſpenſio, vt notat gloſſa Clement. cupientes. de pœnis. verbo, ſuſpenſi. Secundo modo, ſumitur ſtrictè & propriè, vt ſolùm ſignificet ſeparationem alicuius perſonæ ab executione poteſtatis eccleſiaſticæ & ſpiritualis, & hoc modo ſumitur in præſenti.

DVBITATVR ſecundò, de diffinitione quid rei, quid ſit ſuſpenſio?

Concluſio. Suſpenſio propriè ſumpta eſt cenſura eccleſiaſtica, qua alicui perſonæ eccleſiaſticæ prohibetur ob ſuam culpam exercitium ſui officij, vel beneficij eccleſiaſtici, in totum ad certum tempus, vel in partem ſiue ad certum tempus, ſiue in perpetuum. Dicitur cenſura loco generis: nam ſuſpenſio eſt vna ex tribus cenſuris eccleſiaſticis. cap. quærenti. de verborum ſignificat. Vnde ſuſpenſio differt à pœna exilij, carceris priuationis beneficij, quæ pœnæ non ſunt cenſuræ. Dicitur, *eccleſiaſtica*, quia eſt cenſura ſpiritualis procedens ab habente poteſtatem eccleſiaſticam & ſpiritualem in foro exteriori, & ideò quando Confeſſarius præcipit Sacerdoti, ne celebret per tantum tempus, non eſt cenſura. Dicitur, *qua prohibetur perſonæ eccleſiaſtica*: nam laici non ſunt capaces

suspensionis propriè dictæ, quia suspensio est circa actus ecclesiasticos. Dicitur, *ob suam culpam*, quoniam suspensio non potest incurri sine propria culpa; vnde quando Sacerdoti præcipitur ne celebret, quia est decrepitus, vel leprosus, non est suspensio. Dicitur, *officij, vel beneficij*, propter varias species suspensionis, de quibus posteà dicemus. Dicitur, *in totum ad certum tempus*, ad differentiam depositionis & degradationis, quę vniuersaliter priuant ab exercitio totius officij vel beneficij ecclesiastici in perpetuum absque spe restitutionis. Dicitur, *vel in partem, siue ad certum tempus, siue in perpetuum*: nam suspensio quando est ab aliqua parte, verbi gratia, à beneficio tantùm, vel ab officio tantùm, vel ab aliqua parte officij, potest esse in perpetuum, verbi gratia, si sacerdos priuetur in perpetuum ab audiendis confessionibus, suspensus est, non degradatus; at verò si est vniuersaliter ab exercitio totius officij & beneficij, simul debet esse vsque ad certum tempus; nam si est in perpetuum, non erit suspensio, sed degradatio, vel depositio.

Ex dictis sequitur primò, in quo differat suspensio ab interdicto & excommunicatione: ab interdicto enim differt in hoc, quòd suspensio non potest incurri nisi ob culpam propriam; interdictum verò potest. Præterea interdictum separat ab aliquibus sacramentis, & ab omnibus Officiis diuinis, & ab ecclesiastica sepultura; suspensio verò non semper priuat tot rebus. Ab excommunicatione autem differt: nam licèt hæc priuet à receptione, vel etiam ab administratione sacramentorum, non tamen inquantùm talis administratio est exercitium ecclesiasticum proueniens ab ecclesiastica potestate, sed inquantùm est quædam communicatio cum fidelibus; at verò suspensio non prohibet receptionem sacramentorum, sed priuat exercitio ecclesiastici officij, vel beneficij, inquantùm est beneficium ecclesiasticum. Præterea excommunicatio maior priuat communibus Ecclesiæ suffragiis, & communicatione fidelium etiam in humanis, & aliis multis, quibus non priuat suspensio.

Secundò sequitur, in quo differat suspensio à degradatione & depositione, quæ, vt dictum est, priuant vniuersaliter ab officio, & beneficio ecclesiastico in perpetuum sine spe restitutionis cum certa quadam solennitate, ita vt solus Papa possit restituere degradatum, vel depositum. Denique ab irregularitate differt, quòd hæc priuat à receptione ordinis, quatenus ordo est, & hoc in perpetuum; suspensio verò non priuat formaliter susceptione ordinis, quatenus ordo est, sed vsu & exercitio potestatis ecclesiasticæ, ordinis, vel beneficij, de quo latiùs in materia de irregularitate; interim vide P. Henrique lib. 14. de irregularit. cap. 6. num. 4.

Dvbitatvr tertiò, quotuplex sit suspensio propriè dicta?

Supponendum est, quòd suspensio diuiditur ex parte rei, à qua fit suspensio, & ex parte eius à quo fertur, & ex parte durationis; quo posito dicimus, quòd suspensio ex parte rei à qua fit, alia est suspensio ab officio, alia à beneficio, alia ab officio & beneficio simul. Rursus, suspensio ab officio quædam est ab omni officio ecclesiastico, & hæc suspendit ab omni actu ordinis & iurisdictionis; alia est à particulari officio, vel à parte eius, scilicet ab officio ordinis, sed non ab officio iurisdictionis, vel è contrà, vel à parte officij ordinis vel iurisdictionis, vt quando suspenditur quis à celebrando, sed non ab audiendis confessionibus, vel è contrà. Præterea, suspensio aliquando fit à prædicatione, aliquando fit ab ingressu Ecclesiæ; vide Sylvest. verb. suspensio. quæst. 1. Nauar. cap. 27. num. 154. & gloss. celebrem Clement. cupientes. de pœnis. Suspensio autem ex parte eius à quo fertur, quædam est ab homine, quædam à iure. Denique suspensio ex parte durationis, quædam imponitur simpliciter, quædam ad certum tempus; ita Sylvester sup. vbi duo sunt notanda. Primò, quòd suspensio posita

sita simpliciter sine præfinitione temporis, est perpetua, vt quando aliquis simpliciter suspenditur ab officio; sic Angel. verb. suspensio. 4. num. 1. & clariùs Sylvest. suprà. vbi ait, quòd paria sunt aliqua suspendi simpliciter, & perpetuò; fauet multùm gloss. l. sine præfinito. ff. de pœnis. Secundò nota cum Sylvest. suprà. q. 5. in fine. & verb. bissextus. quòd suspensus per vnum annum licitè potest exercere officium, à quo est suspensus in vltima die anni bissextilis, secundùm gloss. cap. quæsiuit. de verbor. signif. sicut libertas promissa seruienti per annum acquiritur, si seruit 365. diebus. ff. de statu liberorum. l. cùm hæres. §. Stichus, si hæredi meo. Et hanc doctrinam intelligo, quando suspensio fit per vnum annum indeterminatè, vt quando ius dicit, *qui hoc fecit, maneat suspensus per annum*; at verò si Iudex in fine anni proximi anno bissextili dicat, *suspendo te per annum proximè sequentem*, suspensus erit 366. diebus: nam tot dies continet iste annus secundùm computationem Ecclesiæ. Sic aliqui Magistri.

Præter has diuisiones communiter diuidunt Summistæ suspensionem ex parte hominis, qui suspenditur, in suspensionem quoad se, & non quoad alios, vel è contrà, quoad alios, & non quoad se. Exemplum primi, vt peccator, & etiam excommunicatus minori excommunicatione, qui non possunt licitè celebrare, & tamen alij non tenentur illos vitare; exemplum secundi ponit Sylvest. in Clerico peregrino, *qui* (ait) *potest licitè celebrare in occulto, sed non in publico*; verumtamen hæc diuisio non placet, quia hæc non est suspensio, quæ sit censura, de qua loquimur in præsenti, & quod dicit Sylvest. Clericum peregrinum non posse celebrare in publico, falsum est, vt ait P. Henrique lib. 13. de excommun. cap. 31. num. 3.

Diuidunt etiam nonnulli moderni suspensionem in minorem, & maiorem; sed hæc diuisio nullum habet fundamentum in iure, vt ibidem ait P. Henrique.

Disputatio II.

De effectibus suspensionis.

De hoc tractat P. Henrique lib. 13. de excommunic. cap. 32.

DVBITATVR primò, quos effectus habeat suspensio, & quomodo cognoscetur, quos effectus habeat hæc, vel illa suspensio in particulari?

Supponendum est, in hoc differre suspensionem ab excommunicatione, quòd hæc habet suos effectus certos, & determinatos in iure, qui statim consequuntur ipsam excommunicationem, ita vt non sit in potestate Episcopi excommunicantis separare hos, vel illos effectus ab excommunicatione, quam imponit; verbi gratia, non potest dicere, *Excommunico Petrum excommunicatione maiori*, ita vt solùm priuetur communibus suffragiis Ecclesiæ; at verò suspensio nullum habet effectum natura sua determinatum, & necessariò illi annexum in iure, quare in potestate suspendentis est priuare ab vna actione, & non ab alia, verbi gratia, à celebratione tantùm, vel ab audiendis confessionibus tantùm. Dixi, *Episcopi*: nam Papa posset separare vnum effectum ab alio; ita P. Henrique num. 1. Hinc sequitur, quòd ad cognoscendum quos effectus habeat aliqua suspensio in particulari, attendenda sunt maximè verba suspendentis: nam si expressè dicat, quòd suspendit tantùm à celebratione, ab ea solùm suspendit, & non ab aliis non annexis ei; si dicat, quòd suspendit à iurisdictione, ab ea tantùm suspendit, non ab ordine; sed quoniam aliqui actus sunt annexi aliis, vel fundamenta illorum, ideò in particulari videndum est, ad quos effectus se extendat suspensio.

Vnde prima conclusio generalis sit, quando in verbis suspensionis exprimitur particularis effectus, tunc Clericus censetur suspensus ab illo effectu, & ab aliis annexis ei, non verò ab aliis non annexis; ita Caietan. verb. suspensio. in fine. Sylvest.

verb.suspensio. q.5. Nauarr. cap.27. num. 160. P. Henrique num. 1. Et loquendo magis in particulari, sit

Secunda conclusio. Quando aliquis suspenditur absolutè, non exprimendo, ab ordine, nec ab officio, aut beneficio, si neque ex verbis, nec ex intentione iudicis colligitur limitatio, censetur ab omnibus suspensus; ita Syluest. q.5. in fine. & P. Henrique num. 1. & hæc à quibusdam appellatur suspensio maior. Et probatur: nam cùm verba sint generalia, non est maior ratio, cur limitentur ad ordinem, quàm ad officium, aut beneficium.

Tertia conclusio. Suspensus ab ordine non eo ipso censetur suspensus à iurisdictione, neque è contrà suspensus à iurisdictione censetur suspensus ab ordine; ita Nauarr. n.160. Probatur: nam ordo est quid distinctum à iurisdictione, neque est necessariò illi annexus; & est textus cap. aqua. de consecrat. Ecclesiæ, vbi dicitur, Episcopum posse committere quæ sunt iurisdictionis, non tamen committere posse Clericis simplicibus ea, quæ sunt ordinis Episcopalis; & in cap. transmissam. de elect. vbi dicitur, Episcopum electum, & confirmatum, non consecratum, posse decernere quod voluerit circa ea, quæ sunt iurisdictionis, non tamen circa ea, quæ requirunt consecrationem Episcopalem.

Quarta conclusio. Suspensus à beneficio intelligitur à temporalibus tantùm, id est, à fructibus, non tamen censetur suspensus ab officio, etiam ab illo, quod conuenit sibi ratione beneficij, vnde rectè poterit fungi officio suo tam in spiritualibus, quàm temporalibus; ita Syluest. q.5. P. Henrique n.3. & gloss. c. cùm Vintonienſis. de elect. verb. admiserant. quam approbat, & laudat Panormitan. ibidem. & ait, quòd suspensus à beneficio tenetur interim officiare in illo beneficio. Hæc autem conclusio apertè videtur contra Nauar. n.160. vbi loquitur cum limitatione, scilicet, quòd suspensus à beneficio non est suspensus ab ordine, nec à iurisdictione, quæ non conuenit illi ratione beneficij; vbi clarè significat, quòd erit suspensus à iurisdictione, quæ conuenit ei ratione beneficij; & n.163. corol. 6. dicit, quòd suspensus à beneficio non peccat eligendo, si ius eligendi non competat ei ratione talis beneficij; verbi gratia, Episcopo ratione beneficij Episcopalis conuenit eligere Parochos, & approbare electos ab aliis, si suspendatur à beneficio, non potest secundùm Nauarr. eligere Parochos, nec confirmare electos ab aliis; at verò si ipsemet Episcopus est patronus, poterit eligere in quantùm talis; quæ limitatio etiam est Patris Henrique, vnde meo iudicio apertè sibi contradicit. At verò nostra conclusio generaliter defenditur à Doctoribus, & Magistris, scilicet suspensionem à beneficio solùm extendi ad fructus beneficij, & quòd non maneat suspensus ab officio, etiam eo, quod conuenit ei ratione beneficij; docet expressè Tabien. verb. suspensio. n.4. & probo efficaciter ex dicto cap. cùm Vintonienſis. vbi quidam de Capitulo erant suspensi à beneficio; & dicit Pontifex, quòd poterant eligere, & tamen hoc ius eligendi conueniebat illis ratione beneficij. Præterea notandum est, quòd si iste sit pauper, nec habeat vnde viuat, dandum est illi ex fructibus ad moderatam sustentationem, ne cogatur mendicare; sic dicta gloss. c. cùm Vintonienſis.

Quinta conclusio. Suspensus ab officio absolutè, nulla posita modificatione talis, vel talis officij, censetur suspensus ab omni officio tam ordinis, quàm iurisdictionis spiritualis; ita Syluest. q.5. Tabien. n.4. citato. qui dicunt esse cõmunem sententiam, quam clarè supponunt Panormit. & Felin. statim citandi; & ratio est: nam, vt inquit Panormit. cap. cùm dilectus. de consuetud. verbum *officium* est valdè latum: quidquid enim habet electus, officij est, præter beneficium, & ita comprehendit omnia præter beneficium; & eiusdem sententiæ videtur esse gloss. c.1. de sentent. & re iudic. in 6. verb. officij. vbi de suspensione ab officio imposita Iudici solùm ait, quòd non extenditur ad beneficium, & allegat Hostiensem, idem tenet ibidem Geminian.

nian. n. 8. vbi ait, quòd ista suspensio, de qua ibi, intelligitur non tantùm de officio iudicandi, sed de diuinis officiis. Et notate hoc pro suspensione ab officio posita in c. fin. de offic. delegati. in 6. contra Iudicem conseruatorem, scienter cognoscentem de aliis, quàm de manifestis iniuriis, vel de exigentibus iudicialem indaginem.

Ex his sequitur, quòd suspensus ab officio nullum actum exercere potest pertinentem ad officium clericale, siue sit actus ordinis, siue iurisdictionis; atque adeò non potest celebrare, nec administrare Sacramenta; & Sylvest. addit, quòd si est Episcopus, manet suspensus à Pontificalibus, vnde si sic suspensus ab officio celebret, fit irregularis; ita Sylvest. ibidem. & Panormit. c. si celebret. de Clerico excommunicato ministrante. n. 4. Nauarr. lib. 1. consil. de temporibus ordinationum. cons. 23. & Felin. c. Apostolicæ. de exceptionib. n. 16. vbi ait esse decisionem Rotæ; & est text. optimus c. 1. de sentent. & re iudic. in 6. Præterea, sic suspensus non potest excommunicare, nec Indulgentias concedere, nec eligere, &c. hæc autem pertinentia ad iurisdictionem solùm habent locum in suspenso nominatim denunciato, vt infrà dicemus. Præterea, sic suspensus non potest eligi, nec promoueri ad beneficium; quòd si eligatur, electio erit nulla. cap. cùm dilectus. de consuetud. c. quia diuersitatem. de concessione præbendæ. & ratio est: nam beneficium datur propter officium, ergo priuatus per Ecclesiam, ne exerceat officium, non est capax, vt eligatur ad beneficium, & hoc habet verum etiam in suspenso non denunciato, & occulto; ita P. Henrique num. 3. quia Concilium Constantiense non intendit in aliquo fauere ipsis excommunicatis, vel suspensis, vt sæpe diximus in materia de excommunicatione.

Petis, vtrùm suspensus ab officio, maneat suspensus à beneficio?

Sit sexta conclusio, quòd non manet suspensus à beneficio, nec à fructibus illius, quantùm ad ea, quæ dantur interessentibus diuinis Officiis; ita Nauarr. n. 160. vbi citat Bonifatium. idem tenet Ludouicus Lopez in Instructorio conscientiæ. p. 2. c. 97. §. igitur his præmissis. Et hoc intelligitur, siue suspensio sit à iure, siue ab homine, siue sit propter crimen, siue propter quamcumque aliam causam. Sic tenent aliqui Magistri contra Sylvest. suprà. vbi obscurè admodùm loquitur. Est etiam contra gloss. cap. quia sæpe. de elect. in 6. verb. beneficiis. Probat Nauarr. quia suspenso ab officio restant multa licita pertinentia ad beneficium, qualia sunt, gubernare ea, quæ ad se pertinent, & alia, quæ non sunt Officia diuina, quæ non sunt clericali Officio annexa; vbi notandum est, quòd litera Nauarri videtur esse mendosa: sic enim legitur, *quantùm ad ea, quæ dantur non interessenti diuinis Officiis*, tamen delenda est ista negatio, & delet Ludouic. Lopez §. vlt. pro maiori; & hinc infert, quòd secundùm Nauarr. suspensus simpliciter ab officio non manet suspensus ab iis officiis, sed à diuinis officiis annexis ordini clericali, id est, sacro ordini, non autem ab iis, quæ merus secularis facere solet, sicut Horas canonicas psallere in choro, in quo Sacrista laicus solet adiuuare, dummodò talis suspensus non exerceat ex officio, quæ in choro à laicis exerceri non possunt, quia sunt certo ordini deputata. Hæc doctrina etiam est de mente P. Henrique num. 1. vbi ait, quòd licèt non possit capitulare, nec officiare in choro, vt officiat hebdomadarius, potest tamen cantare in choro Epistolam absque vestibus.

Hinc sequitur, quòd suspensus à diuinis officiis, manet tantùm suspensus ab hoc, quod est ea ex officio exercere; vnde bene potest audire Missam, & officia diuina, immò & canere in choro sicut laicus Hæc conclusio partim est contra Sylvest. suprà, vbi ait, suspensum à diuinis officiis non posse interesse diuinis, & Sylvest. sequuntur aliqui Magistri; sed nostram sententiam tenet Nauarr. lib. 5. consil. de sentent. excomm. consil. 64. quam probat primò ex cap. 1. de sentent. & re iudic. in 6. vbi

dicitur, quòd suspensus à diuinis solùm prohibetur exercere suum officium, sicut priùs; & additur, quòd si sic suspensus ingerat se diuinis, incurrit irregularitatem. Certum est autem, irregularitatem non incurri per hoc; quòd suspensus audiat officia diuina; sed per hoc, quòd exerceat solenniter aliquem actum alicui ordini deputatum. Secundò probat, quia suspensio à diuinis intelligitur ab eis exercendis ex officio, non ab eis audiendis, nec aliter, quàm ex officio exercendis; vnde infert, quòd Episcopus suspensus à diuinis potest confiteri, communicare, & audire Missam; & iuxta hanc sextam conclusionem, ait Nauarrus se respondisse, quòd beneficiarius suspensus eo quòd Presbyter factus est ante vigesimumquintum annum inceptum, non perdidit fructus beneficij, quia per illam transgressionem non suspenditur à beneficio, sed tantùm ab officio. Limitat autem Nauarr. hanc conclusionem in Manual. suprà, nisi suspensio sit tam diuturna, vt tacitè, vel expressè æquiualeat priuationi. Eamdem limitationem sequitur Ludouic. suprà, & aliqui Magistri, & credo hanc tantùm intendere Couarruuiam lib. 4. Decretal. p. 2. c. 6. n. 14. & alij Doctores dicentes, quòd suspensus ab officio propter crimen graue, manet etiam suspensus à beneficio: credo enim, quòd solùm loquuntur, quando crimen est tam graue, vt suspensio sit perpetua, vel tam diuturna, vt tacitè, vel expressè æquiualeat priuationi; & ita loquitur Ludouic. suprà, versic. vlt. pro maiori. & P. Henrique n. 3. vbi addit, quòd sic suspensus in perpetuum tenetur resignare beneficium. Contrà, quando suspensio ab officio est perpetua, includit priuationem perpetuam beneficij, quia beneficium datur propter officium, & cùm talis suspensus non possit in perpetuum exercere officium, consequenter manet priuatus beneficio in perpetuum, ergo eâdem ratione, qui ad tempus suspenditur ab officio, ad tempus priuatur fructibus beneficij. Concesso antecedenti, negatur consequentia: nam qui priuatur ab officio ad tempus, retinet pacificè beneficium, & potest exercere aliqua pertinentia ad beneficium, vt dictum est; immò omnia potest validè exercere, quamuis non omnia exerceat licitè, vt statim videbimus; at verò qui priuatur officio in perpetuum, tenetur resignare beneficium, vt ait P. Henrique, & ideò non potest exercere etiam ea, quæ ad beneficium spectant.

Ex dictis in hac conclusione colligitur resolutio alterius quæstionis, vtrùm scilicet suspensus maneat priuatus fructibus beneficij?

Primò enim dico, quòd beneficiarius suspensus à beneficio, si non præstet officium, quod beneficium exigit, non potest percipere fructus; at verò si præstat officium, lucratur illos, nisi fructus essent pinguissimi: tunc enim solùm poterit retinere id, quod ad arbitrium boni viri daretur substituto, qui seruiret beneficio, vt in simili de beneficiato excommunicato diximus latiùs in materia de excommunicatione, cap. 6. disput. 6. dub. 1. concluf. 1. & 2. Hæc autem limitatio tantùm habet locum, si de facto ministret in iis rebus, à quibus est suspensus, at verò si ministret in aliis, lucrabitur omnes fructus correspondentes istis actibus, quantumuis pingues.

Secundò dico, quòd licèt non seruiat per se, nec per alium, si est pauper, nec habet vnde viuat, potest percipere id, quod necessarium est ad se, & suos modestè sustentandos, ne cogatur mendicare, in opprobrium ordinis clericalis, vt ibidem latiùs diximus in 3. concluf.

Tertiò dico, suspensus ab officio tantùm, vel ab ordine tantùm, & non à beneficio, non perdit fructus beneficij; ita Nauarr. num. 160.

Septima conclusio. Suspensus ab officio, & beneficio, ab vtroque manet suspensus; hoc est certissimum.

Petis, quid si aliquis suspenditur diuisiuè, scilicet ab officio, vel beneficio? Respondetur, à neutro manet suspensus, quia non est maior ratio de vno, quàm de altero;

tero;ita Sylueſt. ſuprà.Nauar.num. 161.P. Henrique nu.4.

Octaua concluſio. Quando aliquis ſuſpenditur ſimpliciter ab ordine, cenſetur ſuſpenſus ab omni vſu ordinum maiorum & minorum;ita Sylueſt.qu.5.P. Henrique nu. 2. Et probatur:nam cùm illa propoſitio, *Suſpendo te ab ordine*, ſit indefinita ex parte prædicati, æquiualet in hac materia propoſitioni vniuerſali; addit tamen Sylueſt.ex ſententia Panorm. quòd ſuſpenſus ab ordine, manet etiam ſuſpenſus ab iis quæ fundantur in ordine, & ponit exemplum in iuriſdictione ſpirituali; ſed hoc exemplum, ſi vniuerſaliter ſumatur, non habet verum: non enim omnis iuriſdictio fundatur in ordine. patet: nam ſicut ſtat ordo ſine iuriſdictione, ita ſtat iuriſdictio etiam ſpiritualis ſine ordine, vt patet in Epiſcopo electo & confirmato nondum conſecrato, qui poteſt exercere vtramque iuriſdictionem, ſcilicet exteriorem & ſpiritualem. Verbi gratia,poteſt excommunicare, & eligere Confeſſarios, dando illis iuriſdictionem; vnde fundamentum iuriſdictionis huiuſmodi in Epiſcopo eſt electio cum confirmatione;poſſent tamen explicari Panormitan. & Sylueſt. quod loquantur de vſu iuriſdictionis in foro ſacramentali. Ratio huius eſt, quoniam abſolutio ſacramentalis eſt actus poteſtatis clauium: nam poteſtas ſic abſoluendi non eſt res diſtincta ab ordine, vel charactere ſacerdotali, vt apertè conſtat ex Tridentino,ſeſſ.23.ca.15.de reformat.& in hoc ſenſu poteſt concedi, quòd prædicta iuriſdictio fundetur in ordine.

Nona concluſio. Suſpenſus ab aliquo ordine particulari cenſetur ſuſpenſus ab ordine ſuperiori,non verò ab inferiori;ita Sylueſt.ſuprà.q.5.Nauar.nu.163.P. Henrique nu. 2. Probatur:nam deſtructo fundamento,deſtruuntur omnia quæ fundantur in illo, & non è contrà; ſed ordines ſuperiores fundantur in inferioribus, & non è contrà,ergo.

Decima concluſio.Epiſcopus ſuſpenſus à Pontificalibus manet ſuſpenſus ab omnibus,quæ pendent ab ordine Pontificali, vt conferre ordines, conſecrare aras, calices, &c. non tamen manet ſuſpenſus ab aliis, vnde poteſt dicere Miſſam priuatam, & exercere ea quæ pertinent ad iuriſdictionem;ita Sylueſt.ſuprà.

Vndecima concluſio. Suſpenſus à collatione ordinum intelligitur vniuerſaliter ſuſpenſus à collatione cuiuſlibet ordinis; ſuſpenſus autem à collatione inferioris ordinis,ſuſpenſus manet à collatione ſuperioris ordinis, ſed non è contrà, ſicut dictum eſt de ſuſpenſione ab ordine; ita Sylueſt.ſup. & P.Henrique num.2.Verum eſt, quòd ſuſpenſus à collatione omnium ordinum, non manet ſuſpenſus ab aliis pertinentibus ad ordinem Pontificalem, vt conſecrare aras,facere Miſſam Pontificalem,&c.

Duodecima concluſio. Suſpenſus ab adminiſtratione Eccleſiæ, tam in temporalibus,quàm in ſpiritualibus, non manet ſuſpenſus ab ordine;ita Sylueſt.& P. Henrique nu.4.

Decimatertia concluſio. Suſpenſus ab ingreſſu Eccleſiæ,ſuſpenſus manet ab executione ordinum intra Eccleſiam, & ab auditione diuinorum Officiorum; ita Sylueſt.poterit tamen in Eccleſia recipere ſacramenta,& etiam orare,& recitare Horas tempore quo non celebrantur diuina,imò & tempore quo celebrantur,poterit obiter tranſire per Eccleſiam,*y hazer oracio de paſſo*;ita P.Henrique nu. 2. Et ſi decedat cum ſignis contritionis,cenſetur ab hac ſuſpenſione, vel interdicto abſolutus, & poteſt ſepeliri in loco ſacro;ſic P.Henrique,& eſt optimus text.c.is cui.de ſententia excommunicat.in 6.ibi,*Niſi pœnituerit ſepeliri*;vbi nota cum P.Henrique, quòd hæc ſuſpenſio ab ingreſſu Eccleſiæ non eſt propriè ſuſpenſio,ſed magis eſt interdictum: nam ſuſpenſus propriè nunquam priuatur auditione diuinorum,nec ſepultura: ita Enr. ibid.

Decimaquarta concluſio. Suſpenſus bene poteſt abſolui ab excommunicatione,& à peccatis durante ſuſpenſione; ſic

Caieta

Caieta. verb. ſuſpenſio. Nec obſtat, quòd ſuſpenſus à perceptione ſacramentorum, quamuis poſſit abſolui ab excommunicatione (quia hæc abſolutio non eſt ſacramentalis) non tamen poteſt abſolui à peccatis, vt ait Nauar. num. 163. non, inquam, obſtat, quia hæc non eſt propriè ſuſpenſio.

DVBITATVR ſecundò, quod peccatum ſit violare ſuſpenſionem?

Concluſio. Suſpenſus ſuſpenſione propriè dicta, ſi faciat actum à quo eſt ſuſpenſus peccat mortaliter ex genere ſuo; ita Nauar. nam. 163. P. Henrique ca. 33. nu. 1. Ledeſ. 2. p. 3. q. 26. ar. 2. tract. de ſuſpenſione. in princ. & Magiſtri. Probatur: nam agit directè contra præceptum Eccleſiæ; & hac ratione probauimus in materia de excommunicatione. cap. 6. diſp. 8. dub. 3. concl. 1. quòd excommunicatus maiori, ſi communicet in diuinis, peccat mortaliter, quia hoc directè prohibetur illi ab Eccleſia. Dixi, *ex genere ſuo*: nam ex paruitate materiæ erit veniale, vt ſi ſuſpenſus à iuriſdictione recipiat vnum teſtem, vel ſuſpenſus ab ordine exerceat vnum actum annexum ordini minori, vel ſuſpenſus ab ingreſſu Eccleſiæ commoretur in ea per paruum tempus, quando celebrantur diuina.

Vtrùm verò in aliquo caſu poſſit ſuſpenſus non toleratus licitè adminiſtrare ſacramenta, patet ex dictis in materia de excommunicatione. cap. 6. diſput. 3. dub. 3. & de tolerato patet ex dictis eodem cap. diſp. 8. dub. 2.

An autem ſuſpenſus violans ſuſpenſionem fiat irregularis, dicendum eſt in materia de irregularitate.

DVBITATVR tertiò, vtrùm ſi ſuſpenſus faciat ea, à quibus ſuſpenſus eſt, ſint valida?

Prima concluſio. Si ſint actus ordinis, certum eſt quòd ſunt validi, ſic P. Henrique c. 33. nu. 2. & patet ex dictis in materia de excommunicat. capit. 6. diſput. 3. dub. 1. concl. 1. & in hac concluſione per actum ordinis non intelligo abſolutionem ſacramentalem.

Secunda concluſio. Si ſint actus iuriſdictionis, & ſuſpenſus eſt nominatim denunciatus, non ſunt validi; at verò ſi non eſt denunciatus, quamuis ſuſpenſio ſit publica, erunt validi. ſic. P. Henrique nu. 2. & patet ex dictis in materia de excommunicatione. c. 6. diſput. 6. dub. 3. In opinione 3. ſolùm eſt aduertendum, quòd excommunicatus in duobus caſibus eſt non toleratus, ſcilicet quando eſt nominatim denunciatus, vel notorius percuſſor clerici; at verò ſuſpenſus in vno tantùm caſu eſt non toleratus, ſcilicet quando eſt nominatim denunciatus.

DVBITATVR quartò, vtrùm fideles teneantur vitare ſuſpenſos in iis rebus, à quibus ſunt ſuſpenſi?

Prima concluſio. Ex vi præcepti eccleſiaſtici nullus tenetur vitare ſuſpenſum; ita P. Henrique c. 33. num. 3. & clariùs aliqui Magiſtri. Probatur, quia nullum extat tale præceptum prohibens communicare cum ſuſpenſis, ſicut prohibet communicare cum excommunicatis non toleratis: & ratio huius differentiæ videtur eſſe, quòd excommunicatio omnibus quibus priuat, eſt inquantùm ſunt quædam communicatio cum fidelibus; ſuſpenſio autem non, vt vidimus ſup. diſp. 1. dub. 2. corol. 1.

Secunda concluſio. Secluſo ſcandalo nunquam eſt peccatum communicare cum ſuſpenſo in actibus, à quibus eſt ſuſpenſus, niſi in duobus caſibus. Primus eſt, quando quis cooperatur peccato ſuſpenſi cum quo communicat; ſecundus eſt, quando cooperatur actui iuriſdictionis, à qua priuatus eſt, qui eſt ſuſpenſus à iuriſdictione. Primus caſus de ſe patet: nam cooperari peccato alterius, eſt intrinſecè malum. Secundus caſus etiam patet primò, quia cooperatur actui, qui de facto eſt peccatum, vel dato quòd de facto non ſit peccatum, vt ſi ſuſpenſus excuſetur propter ignorantiam inuincibilem putans id ſibi licere, tamen cooperatur actui, qui de ſe peccatum eſt. Secundò, quia cooperatur actui nulli, vt ſi recipiat ſacramẽtalem abſolutionem à ſuſpenſo ab ordine, & nominatim denũciato.

Petis,

Petis, quando dicar ego cooperari peccato suspensi?

Sit tertia conclusio. Si est toleratus, tunc dicar cooperari peccato illius, quando ipse nec est paratus, nec se ingerit ad exercendum actus, à quibus est suspensus, nec tenetur ex iustitia, nec ex charitate, consentire meæ petitioni, & tamen ego inuito illum, & prouoco ad exercendum huiusmodi actus; vt si est suspensus ab ordine, & non est meus Parochus, nec ego sum constitutus in aliqua necessitate, & peto ab illo, quòd ministret mihi sacramentum confessionis; vt in simili diximus in materia de excommunicatione. ca. 6. disput. 8. dub. 1. concl. 3. & dub. 2. opinio. 4.

Quarta conclusio. Si est nominatim denunciatus, tunc cooperor peccato illius, quando extra casum necessitatis extremæ, prouoco illum ad actum iurisdictionis, à qua est suspensus, vt si petam ab eo, quòd ministret mihi sacramentum confessionis. Probatur, quia tunc absolutio erit nulla; verum est, quòd iste sic inducens non incurrit vllam censuram excommunicationis, nec suspensionis. Ita P. Henrique num. 3.

Ex dictis sequitur, quòd licèt aliquis sit suspensus ab ingressu Ecclesiæ, & ingrediatur illam ad audiendum Officia diuina, non teneor exire Ecclesiam; imò licèt sit suspensus à diuinis officiis, & sit nominatim denunciatus, & tamen dicat Missam, non pecco eam audiendo, si non induxi eum; ita P. Henrique, & aliqui Magistri, intellige, nisi ministrem illi ad altare.

Secundò sequitur id quod ait Nauarr. capit. 27. num. 163. in fine scilicet, quòd sicut tenemur vitare excommunicatum, ita tenemur vitare suspensum in eo in quo est suspensus. Si generaliter intelligatur, falsum est; solùm enim habet verum in duobus casibus secundæ conclusionis.

Disputatio III.

De forma & modo seruando in ferenda suspensione, & de causa, & occasione propter quam fertur, & de causis excusantibus à suspensione.

Dvbitatvr primò, quæ forma seruanda sit in suspensione ferenda?

Prima conclusio. Non habet verba determinata, sed sufficiunt quæcumque verba exprimentia intentionem suspendentis; ita Nauar. num. 161. P. Henrique c. 34. nu. 3. & est communis.

Secunda conclusio. Sicut quædam verba inducunt excommunicationem latam, quædam ferendam, vt vidimus cap. 2. disp. vnica. dub. 2. idem de suspensione dicendum est. Vnde si Iudex, vel Canon dicat, *Qui hoc fecerit, suspendatur*, est ferenda; si dicat, *Sit ipso facto, vel ipso iure suspensus*, est lata.

Tertia conclusio. Vt suspensio debito modo feratur, debet ferri in scriptis, exprimendo ibi causam, & instrumentum debet dari suspenso intra mentem, si petatur; sic Nauar. nu. 159. & est text. c. 1. de sententia excommunicat. in 6.

Quarta conclusio. Si suspensio non feratur sub hac forma, peccabit Iudex, & incurret suspensionem per mensem ab ingressu Ecclesiæ; sic Angel. verbo, suspensio. 1. numero 16. Sylvest. verbo, suspensio. nu. 6. casu 15. P. Henrique cap. 39. nu. 4. & est text. expressus ca. 1. de sententia excommunicat. in 6. Et nota, quòd transacto mense, ipso iure restitutus est. sic gl. ibi, verbo, per mensem.

Sed hîc aduertendum est, quòd quando Prælatus prohibet alicui solo verbo ne celebret, non censetur illum suspendere suspensione propriè dicta, secus si hoc præcipiat in scriptis; ita Nauarr. consil. 62. de sententia excommunicat. & Enr. libr. 14. capit. 5. numer. 2. in fin. Emanuel ca. 158. concl. 7. Et probat, quia in dubio nemo præsumitur delinquere,

ſed ſuſpendere ſolo verbo eſt illicitum, ergo.

Sed quid ſi illa Religio habeat priuilegium confirmatum à Papa ſuſpendendi ſolo verbo, iuxta dicta in ſimili c. 2. de excommunicatione. & tenet Enr. lib. 14. de irregul. cap. 5. num. 2. in fine. & Emmanuel cap. 58. concl. 7. in fine, tunc meo iudicio attendendæ ſunt circunſtantię, nempe grauitas delicti; & præterea vtrùm in tali Religione non ſit rarus vſus ferendi ſuſpenſionem: nam tunc cenſetur ſuſpendere; at verò ſi delictum non eſt valdè graue, & in tali Religione eſt rarus vſus ferendi ſuſpenſionem, præſumendum eſt, non ſuſpendere, ſed tantùm prohibere; niſi aliud conſtet de intentione Prælati. Probatur, quia ſuſpenſio magna cum prouidentia debet imponi, vt habetur ca. 1. de ſententia excommunicat. in 6.

Quinta concluſio. Quando ſuſpenſio fertur ob contumaciam, debet præcedere monitio Canonica, non tamen quando imponitur in pœnam delicti; ita Nauarr. num. 159. vbi citat Innocentium, Panormitanum, & communem. Prima pars probatur, quia non poteſt conſtare Eccleſiæ de inobedientia & contumacia alicuius, niſi priùs moneatur, & Iudex aliter ſuſpendens manet ſuſpenſus per menſem ab ingreſſu Eccleſiæ, ita P. Henrique ca. 29. num. 4. & probo ex c. ſacro. de ſententia excommunicat. iuncto c. cùm medicinalis. eodem tit. in 6. & iuncta ibi gloſſa, verbo obſeruari, quæ ait iſta tria, ſcilicet excommunicationem, ſuſpenſionem, & interdictum, eſſe paria. Secunda verò pars probatur, ſupponendo quòd licèt excommunicatio non poſſit imponi pro peccato merè præterito, quod nulla præceſſit monitio, vt diximus cap. 5. de excommunicat. diſputat. 1. dub. 10. at verò ſuſpenſio bene poteſt poni, ſicut ponitur pœna exilij, ſic Nauarr. dicto numer. 159. Sylueſt. verbo ſuſpenſio. quæſt. 4. Armill. eodem verbo. nume. 17. P. Henrique cap. 34. numero 1. & eſt text. in capit. Romana. de ſententia excommunicat. in 6. vbi cùm primùm facta eſſet mentio interdicti, ſuſpenſionis, & excommunicationis, deinde de ſola excommunicatione dicitur nunquàm eſſe ferendam ſine monitione, & melior text. in cap. tam literis. de teſtibus. vbi Pontifex ſuſpendit quendam preſbyterum pro delicto, quod nulla præceſſerat monitio.

DVBITATVR ſecundò, vtrùm ſuſpenſio poſſit imponi pro non culpa;

Prima concluſio. Suſpenſio propriè ſumpta, ſcilicet inquantùm eſt cenſura, non poteſt imponi niſi pro culpa ſiue propria, ſiue aliena; vnde quando aliquis ob lepram, vel ſenectutem, ſuſpenditur à celebratione, non eſt propriè ſuſpenſio, vt vidimus diſputat. 1. dub. 2.

Sed maius dubium eſt, vtrùm ſuſpenſio, quæ eſt cenſura, poſſit imponi pro culpa aliena?

Prima opinio affirmat, quam tenent aliqui Magiſtri. Secunda opinio negat, quam tenet Nauar. num. 159. & 165. & lib. 5. Conſil. de temporibus ordinationum. conſil. 40. num. 6. Eandem videntur tenere Caiet. verbo, ſuſpenſio. & Soto d. 22. q. 3. artic. 1. colum. 3.

Sit ſecunda concluſio. Suſpenſio, quæ ponitur certæ & determinatæ perſonæ, non poteſt imponi niſi pro culpa propria, at verò ſuſpenſio, quæ ponitur communitati, poteſt imponi pro culpa aliena; ita P. Henrique cap. 34. num. 1. & quòd intendat ſuſpenſionem, quæ ponitur generaliter communitati, eſſe cenſuram, patet: nam comparat quantùm ad hoc ſuſpenſionem cum interdicto, & in cap. 43. in fine. dicit, quòd ſi ciuis innocens populi generaliter interdicti initietur ſacris, fit irregularis, & tamen ſi huiuſmodi interdictum non eſſet cenſura, non fieret irregularis. Contrà, excommunicatio nullo modo poteſt ferri niſi pro culpa propria, ergo nec ſuſpenſio. Conceſſo antecedenti, negatur conſequentia, quia pœna ſuſpenſionis non afficit animam quoad interiora bona, quia non priuat ſuffragiis Eccleſiæ, ſicut excommunicatio.

Ex

Ex dictis facilè constabit resolutio alterius difficultatis, vtrùm communitas possit suspendi, quæ licèt pertineret ad quartam disputationem, tamen hîc resoluetur clariùs. Et quidem Sylvest. verb. interdictum. 1. num. 5. clarè videtur tenere partem negatiuam.

Sit tamen tertia conclusio. Bene potest suspendi communitas; ita Nauarr. n. 165. & consil. 40. citato. & Ent. lib. 14. cap. 25. n. 4. fauet c. quia sæpe. de elect. in 6. & c. si sententia. de sentent. excomm. in 6. quòd licèt tantùm loquatur de interdicto, tamen eadem ratio militat in suspensione.

Inquiris, quando suspenditur communitas, verbi gratia, Capitulum, & aliqui de Capitulo sunt innocentes, vtrùm comprehendantur tali suspensione?

Quarta conclusio. Quando suspensio ponitur propter culpam membrorum communitatis, verbi gratia, capitularium, qui est innocens à culpa, excusatur à suspensione, secùs verò quando ponitur ob culpam regentis Capitulum, verbi gratia, Episcopi, vel Decani. Primam partem tenet Nauarr. cons. 40. citato. secunda verò patet ex dictis, sicut interdicto populo propter delictum gubernatoris, non excusantur insontes.

Dvbitatvr tertiò, vtrùm suspensio possit imponi pro peccato veniali? Quædam opinio dicit, quòd etiam quando imponitur ob propriam culpam, non potest imponi nisi pro mortali; sic aliqui Magistri, & videtur de mente Soti, q. 22. q. 3. art. 1. colum. 2.

Sit tamen prima conclusio. Bene potest imponi suspensio pro culpa veniali; sic Caietan. verb. suspensio. Armill. eodem verb. n. 1. Nauarr. c. 27. n. 151. & 159. Medina in Sum. lib. 1. c. 11. §. 8. P. Henrique c. 34. n. 1. Et probatur. Excommunicatio minor priuat maiori bono, scilicet receptione Sacramentorum, & tamen imponitur pro veniali, ergo etiam potest imponi suspensio. Quam conclusionem intelligo de suspensione posita ob culpam propriam, secùs si ponatur ob alienam, quod magis patebit ex iis, quæ in simili dicemus in materia de interdicto.

Secunda conclusio. De facto nunquam imponitur suspensio à iure, nisi pro peccato mortali; sic P. Henrique & aliqui Magistri.

Dvbitatvr quartò, quæ causæ excusent ab incurrenda suspensione? Quam quæstionem tractat P. Henrique c. 34. n. 4.

Prima conclusio. Appellatio interposita ante suspensionem ab spiritualibus, latam ipso facto, excusat, secùs si appellatio subsequatur. Probatur: nam sicut excommunicatio lata post legitimam appellationem est nulla, & sicut appellatio subsequens excommunicationem latam ipso facto, non suspendit eam, quia excommunicatio secum trahit executionem, vt diximus c. 4. de excommunic. disp. 5. dub. 11. ita etiam suspensio; sic tenet Nauarr. n. 59. vbi dicit esse communem, & est text. cap. is cui. de sentent. excomm. in 6. Dixi, *ab spiritualibus*, vt ab officio, ab ingressu Ecclesiæ, &c. dicto cap. is cui. nam suspensio à fructibus beneficij, quia sunt temporales, potest impediri per sequentem appellationem; sic P. Henrique suprà. & Sylvest. verb. suspensio. q. 3. Angel. verb. suspensio. 2. n. 1. & gloss. dicto c. is cui. verb. sequentem. Idem est de suspensione ab administratione beneficij, vt ait Nauarrus statim citandus. Similiter suspensio à voce actiua, & passiua suspenditur per appellationem legitimam subsequentem, vt eleganter probat Nauarr. lib. 1. consilior. consil. 8. de elect. vbi etiam refert Panormitan. receptum communiter in c. adhæc. de appellationib. dicentem, quòd suspensio ab vsu pallij, immò & à Pontificalibus, suspenditur per appellationem legitimam subsequentem.

Secunda conclusio. Qui certus est, se non peccasse, excusatur ab incurrenda suspensione; sic P. Henrique, Nauarr. lib. 5. consilior. de sentent. excomm. consil. 22. n. 5. & hoc intelligo, quando suspensio imponitur certæ personæ, vel communitati, propter culpam membrorum, secùs si imponatur cõmunitati pro culpa Rectoris,

vt patet ex dubio secundo.

Vtrùm verò ignorantia excuset à suspensione, diximus cap. 1. de excommunic. disput. 5. dub. 10.

Disputatio IV.

De causa efficienti, & materiali suspensionis, scilicet de personis, quæ possunt suspendere, & suspendi.

Dvbitatvr primò, quis possit suspendere?

Prima conclusio. Qui potestate ordinaria possunt excommunicare, possunt etiam suspendere, & qui possunt excommunicare ex commissione, possunt etiam ex commissione suspendere. Qui autem sint, qui possunt excommunicare potestate ordinaria, diximus cap. 3. de excommunic. disput. 1. qui verò possunt ex commissione, diximus 1. p. de censura in communi. dub. 9. Vtrùm verò Prælatus possit suspendere subditum extra proprium territorium? Sit

Secunda conclusio. Quod diximus de excommunicatione cap. 3. disput. 2. idem de suspensione dicendum est. Vtrùm verò suspensus à iurisdictione possit suspendere? Sit

Tertia conclusio. Si non sit nominatim denunciatus, & suspendat, valida erit suspensio, peccabit tamen Iudex; si autem sit nominatim denunciatus, non erit valida suspensio. Hæc conclusio tres habet partes. Prima, & tertia patent ex dictis cap. 6. de excommunic. disput. 6. dub. 3. vbi diximus, gesta ab excommunicato, tamquam à persona publica, esse valida, si est toleratus, nulla verò, si sit non toleratus. Et nota cum P. Henrique cap. 35. num. 1. quòd dicitur toleratus, quamuis sit publicè suspensus, dummodò non sit nominatim denunciatus. Secunda vò pars, scilicet quòd peccat, patet: nam, vt sæpe dictum est, Concilium Constantiense non intendit in aliquo fauore ipsis excommunicatis lege suspensis. Aduertendum est tamen cum P. Henrique, quòd si Iudex sit toleratus, & ferat suspensionem ad instantiam partis, non peccat; quod probatur ex dictis cap. 6. de excommunic. disput. 8. dub. 2. vbi diximus, quòd Presbyter toleratus quando tenetur consentire petitioni, non peccat administrando Sacramenta; sed Iudex suspensus, & toleratus tenetur consentire parti petenti suum ius, ergo non peccat.

Quarta conclusio. Nemo potest seipsum, vel superiorem, vel æqualem suspendere, patet ex dictis cap. 3. de excommunic. disput. 1. dub. 7.

Dvbitatvr secundò, quis possit suspendi?

Prima conclusio. Quamuis omnis Christianus possit excommunicari, omnes tamen, & solæ personæ Ecclesiasticæ habentes Ecclesiasticum ordinem, vel Ecclesiasticam iurisdictionem, possunt suspendi suspensione propriè dicta; ita Nauarr. num. 159. P. Henrique cap. 34. num. 2. & omnes Doctores. Et patet ex definitione suspensionis tradita suprà.

Secunda conclusio. Papa non potest suspendi, vt patet ex dictis cap. 3. de excommunic. disput. 1. dub. 7. non enim potest suspendi nisi subditus.

Tertia conclusio. Defunctus non potest directè suspendi, bene tamen indirectè, vt patet ex dictis cap. 4. de excommunic. disp. vnica. dub. 8.

Quarta conclusio. Semel suspensus potest iterum suspendi, vt patet ex dictis eadem disput. dub. 7.

Quinta conclusio. Suspensio generaliter lata non comprehendit Episcopum, nisi fiat expressa mentio de illo. cap. quia periculosum. de sentent. excomm. in 6. idem est de Cardinali, quamuis non sit Episcopus, & de Rege, ac Imperatore, qui potest suspendi ab ea iurisdictione Ecclesiastica, quam habet ad præsentandum Episcopos; ita P. Henrique cap. 34. num. 2.

Vtrùm verò communitas possit suspendi, dictum est disputatione præcedenti, dub. 2.

Disputatio V.
De casibus, in quibus ipso iure incurritur suspensio.

De quibus tractat Angel. verb. suspensio. 1. Sylvest. verb. suspensio. q. 6. Ledesm. citatus in principio huius materiæ. P. Henrique à cap. 36. vsque ad 40. & latissimè omnium Anton. 3. p. tit. 28. cap. 2. 3. & 4. Et quamuis in iure plures sint casus, ego tantùm referam frequentiores in praxi. Quorum primus est, quo suspenditur Clericus in sacris notoriè concubinarius; can. nullus. 32. d. iuncto c. præter. eadem d. & can. si qui sunt. d. 81. nam in can. nullus. præcipitur, quòd nullus audiat Missam Clerici publicè concubinarij; & can. præter. interdicitur tali Clerico, ne Missam celebret, nec cantet Euangelium, nec Epistolam; & can. si qui sunt. interdicitur ingressus Ecclesiæ. Vbi aduertendum est cum Sylvest. verb. concubinarius. num. 4. quòd non differt dicere, Interdicimus, *vel* Suspendimus, *cùm sint æquipollentia; & in cap. vlt. de cohabitat. Clericorum, ac mulierum. suspenditur, Circa quem casum.*

Dvbitatvr primò, vtrùm Clericus publicus peccator sit ipso iure suspensus?

Prima opinio affirmat, pro qua citant nonnulli Nauarr. c. 25. cum 73. 76. & 77. sed quoniam Nauarrus obscurè admodùm loquitur, & quidam non rectè illum intelligunt; ideò pro eius explicatione nota, quòd Nauarr. primò sentit, Clericum ob crimen notorium depositione dignum esse irregularem; ita n. 73. citato. & clariùs c. 27. n. 248. Secundò sentit, Clericum notoriè concubinarium, aut fornicarium esse ipso iure suspensum, & irregularem; sic n. 77. citato. vbi dicit, quòd si iste post actam pœnitentiam celebret, peccat quidem, sed non incurrit nouam irregularitatem (subintellige, quia per pœnitentiam sublata est suspensio) manet tamen in antiqua irregularitate, quam peccatum notorium inducit; verum est, quòd in c. 27. n. 154. videtur hoc temperare, insinuans, quòd solùm manet suspensus iste; ita explicat illum P. Henrique lib. 13. de excommunic. c. 36. & in gloss. litera E, vbi optimam adducit rationem: nam si notoriè fornicarius maneret suspensus, & irregularis, eius pœna esset grauior, quàm pœna infecti crimine graui depositione digno, qui secundùm ipsum Nauarrum tantùm est irregularis. Et hæc dicta sint pro intelligentia Nauarri.

Secunda opinio est, quòd Clericus publicus peccator etiam delicto graui, & depositione digno, non est ipso iure suspensus suspensione propriè dicta; sic Couarr. Clement. si furiosus. p. 1. §. 1. n. 5. vbi allegat Henricum, Cardinalem, & Socinum; idem tenet P. Henrique suprà, & aliqui Magistri; quæ opinio probabilior est. Probatur, quia in iure non reperitur talis textus, sed suspensio ipso iure non est inducenda, nisi in casibus à iure expressis, ergo. Minorem docet Nauarr. cons. 71. de sentent. excomm. §. contrariam partem. vbi allegat gloss. in c. fin. gloss. penult. de iure patronatus. Et adducit rationem, quia scilicet suspensio ipso iure est priuatio iuris, quod quis habet. Confirmatur: nam Concilium Tridentinum sess. 22. in decreto de obseruandis, & vitandis in celebratione Missæ, iniungitur Episcopis, ne permittant ministrare sancto altari, aut sacris interesse eum, qui notoriè fuerit criminosus; ex quo constat non esse suspensionem latam. Si obiicias cap. finale de temporibus ordinationum.

nationum. Respondeo, ibi non esse suspensionem latam, sed ferendam; vel respondeo cum Couarr. suprà. quòd isti solùm suspenduntur quoad se, non quoad alios.

Si petas, quæ crimina sint depositione digna, dicemus in quarta parte. Sed descendendo in particulari ad aliqua vitia,

DVBITATVR secundò, vtrùm Clericus publicus, & notorius fornicarius, aut concubinarius sit ipso iure suspensus?

Prima opinio dicit, esse quidem suspensum ipso iure, sed non incurrere irregularitatem, quamuis celebret ante peractam pœnitentiam. *Nam hæc suspensio* (inquit) *non est inducta directè in pœnam delicti, sed propter decorem, & honestatem, siquidem ponderatur notorietas.* Hanc sequitur Couarr. Clement. si furiosus. p. 1. §. 1. num. 5. & allegat pro ea Ioannem Andream, Speculatorem, Immolam, & alios.

Secunda opinio dicit, quòd est suspensus ipso iure, & si celebrat ante peractam pœnitentiam, manet irregularis, ita quòd ista suspensio solùm durat pro tempore, quo Clericus perseverat in tali delicto, vt patet ex can. si qui sunt. 81. dist. ibi, *Vsquedum pœniteant, & emendent.* vbi etiam gloss. & ex cap. fin. de cohabitat. Clericorum, ac mulierum. ibi, *Priusquam pœnituerint.* Hanc tenet expressè Nauarr. c. 27. n. 154. Villadiego tract. de irregularit. cap. 3. de suspensione. n. 14. Innocentius in c. tanta. de excessib. Prælatorum. & c. cùm medicinalis. de sentent. excomm. in 6. & P. Henrique c. 36. & aliqui Magistri. Eamdem tenent Panormitan. Abulens. Rebuff. Anton. Sylvest. & alij relati à Couarr. neque ab ea discedit omninò ipse Couarr. nam licèt dicat, quòd non auderet condemnare in iudicio tamquam irregularem huiusmodi Clericum celebrantem ante actam pœnitentiam; dicit tamen, quòd consuleret illi, quòd à Romano Pontifice obtineret dispensationem; quam opinionem extendit ad Clericum in minoribus Nauarr. cap. 25. n. 76. & refert Archidiacon. Cardinalem, & Turrecremat.

Sit prima conclusio. Stando in iure antiquo vera est secunda opinio. Dico, *stando in iure antiquo*, quia canones citati abrogati sunt per contrariam consuetudinem, vt inquit Soto d. 13. q. 2. art. 9. circa finem. Gutierrez canonic. quæst. c. 1. n. 43. P. Henrique suprà. & Medina in Sum. 1. p. c. 11. §. 8. circa medium. vt latiùs dixi c. 6. de excommunic. disput. 2. dub. 5. vnde modò Clerici concubinarij non sunt ipso iure suspensi. Et probatur efficaciter ex Tridentino, sess. 25. c. 14. de reformat. vbi loquens de Clericis concubinariis, ait, quòd præmissa monitione sunt suspendendi. Hinc sequitur, quòd licèt modò celebret etiam ante actam pœnitentiam, non fit irregularis.

Secunda conclusio. Si Clerici concubinarij sint Episcopi, & admoniti à Synodo prouinciali, non se emendauerunt, sunt ipso facto suspensi; sic habetur in Tridentino, dicto c. 14. in fine. Et cùm hæc suspensio ponatur absolutè, intelligitur à iurisdictione spirituali, à collatione beneficij, & electione; ita P. Henrique suprà. ex doctrina Sylvest. verb. suspensio. q. 5. iuxta finem. Et suppono, quòd etiam manet suspensus ab ordine, iuxta dicta disp. 2. dub. 1. concl. 5. quod etiam colligitur ex Nauarr. in alio simili de interdicto. cap. 27. n. 170. idem etiam colligo ex Armill. verb. suspensio. n. 4. & ex doctrina Panormit. c. cùm dilectus. de consuetud. n. 20. vbi sic ait, ergo suspendendo te ab officio, videor te suspendere nedum ab ordine, sed ab omni officio clericali; quod etiam sequitur Tabien. verb. suspensio. num. 4. circa finem.

DVBITATVR tertiò, vtrùm Clericus Sodomita sit ipso iure suspensus suspensione propria, ita vt si durante suspensione celebret, fiat irregularis?

Prima opinio affirmat, etiam loquendo de Sodomita occulto; sic Couarr. §. citato. n. 6. & allegat multos Doctores, quamuis fateatur nullum esse textum in iure pro hac sententia. Contra hanc opinionem, quantùm ad Sodomitam occultum, citatur Nauarr. c. 27. n. 249. sed ibi ne verbum quidem de suspensione, solùm ait, quòd Sodomita occultus non est irregularis.

Secunda

Secunda opinio cuiusdam viri doctissimi est, quòd licèt sodomita occultus non sit suspensus; at verò sodomita notorius est suspensus secundùm ius antiquum, sicut notorius concubinarius: facit enim idem iudicium de sodomita notorio, & de notorio concubinario, quia vtrumque est vitium luxuriæ; concedit tamen hæc opinio, quòd per contrariam consuetudinem est abrogata hæc suspensio, iuxta dicta in 1. concl. dubij præcedentis. His opinionibus omissis,

Mihi videtur, quòd clericus sodomita nec occultus nec notorius non est ipso iure suspensus etiam stando in iure antiquo. De occulto probo, quia nullus est textus de hoc, vt fatetur ipse Couarru. sed suspensio hoc ipso iure non est inducenda, nisi in casibus à iure expressis, vt vidimus dub. 1. ergo.

De notorio probo eadem ratione. Et hæc opinio videtur esse P. Henrique cap. 36. & Clari lib. 14. cap. 5. num. 1. litera F. Sed obiicies, quòd textus, qui loquuntur de notorio concubinario, etiam intelliguntur de notorio sodomita. nego; nam aliæ pœnæ sunt in iure pro hoc vitio nefando, quas refert Couarru. suprà, scilicet quòd est infamis, quòd non potest testari, quòd est ipso iure priuatus dominio suorum bonorum, & punitur pœna ignis. Vtrùm verò sodomita sit irregularis, dicemus in materia de irregularitate. Et hæc de primo casu.

Secundus casus est, quando aliquis initiatur sacris sine patrimonio, cum pacto nõ petendi ab Episcopo victum; & qui ordinatur per præsentationem alicuius patroni ad aliquod beneficium cum pacto nihil petendi ab ipso patrono; sic habetur c. penult. de simonia. Nota, quòd bona patrimonialia, ad quorum titulum ordinatus est gaudent priuilegio bonorum Ecclesiæ, Nau. cons. 12. de censibus.

Circa hunc casum est primò aduertendum, professionem, ad cuius titulum ordinatur Religiosus, habere vicem beneficij regularis; ita P. Henrique cap. 37. nu. 1. & in glossa litera C, vbi allegat Hostiens. Panormit. & alios.

Secundò est aduertendum, quòd ad minores ordines non requiritur titulus patrimonij, nec beneficij; ita Nauar. lib. 1. Consil. cons. 14. de temporibus ordinationum. num. 1. Et probatur ex cap. per tuas. el 3. de simonia, ibi, *vellet in Subdiaconum ordinari.* & cap. tuis. de præbendis. ibi, *in Diaconum, vel presbyterum.* & capit. cùm secundùm Apostolum. eodem titul. ibi, *subdiaconum.* & denique in Tridentino, sess. 21. cap. 2. de reformatio. solùm prohibetur ordinari sacris sine titulo. His positis,

DVBITATVR quartò, in ordine, vtrùm qui ordinatur sine patrimonio, sit ipso iure suspensus?

Pro explicatione suppone, dupliciter posse aliquem ordinari sine patrimonio. Primo modo, faciendo pactum cum Episcopo ordinante, vel cum patrono præsentante ad aliquod beneficium, quòd non petet ab eo alimenta, ita vt hoc pactum fiat ante ipsam ordinationem. Secundo modo potest ordinari absolutè sine patrimonio, nullum faciendo pactum.

Prima coclusio. Qui sacris initiatur sine patrimonio cum pacto inito ante ordinationem cum Episcopo, se non petiturum ab illo victum, vel cum præsentatore ad beneficium, se nihil ab eo petiturum, si concedat illi beneficium ad cuius titulum ordinetur, est suspensus ipso iure ab ordine sic suscepto, quandiu à sede Apostolica non obtinuerit dispensationem; ita Nauar. cap. 27. num. 158. P. Henrique cap. 37. num. 1. & est textus c. penult. de simonia. in quo est quædam clausula subobscura: dicitur enim quòd Episcopus ordinans & præsentator manent suspensi per triennium; & dicit deinde, quòd omnes tres suspensi manent, donec obtineant dispensationem à Papa. Sensus legitimus est (vt constat ex rubrica eiusdem textus) quòd duo primi solùm manent suspensi per triennium, nisi fortè

antea

antea obtinuerit diſpenſationem, ordinatus verò perpetuò manet ſuſpenſus, donec obtineat diſpenſationem.

Secunda concluſio. Qui ordinatur ſine patrimonio, nullum faciendo pactum cum aliqua perſona, non incurrit ſuſpenſionem; ita colligitur clarè ex P. Henrique, ſuprà, num. 2. & tenet Nauar. lib. 1. Conſil. conſil. 1. de conſtitutionibus. ad quæſt. 16. & tit. de temporibus ordinationum. conſil. 14. num. 13. & conſil. 47. num. 1. Eandem tenent aliqui Magiſtri. Si opponas cap. neminem. & cap. Sanctorum. 70. diſt. vbi definitur, ſuſpenſum eſſe qui ordinatur ſine titulo beneficij, vel patrimonij. Reſpondeo cum Nauar. & Henrique locis citatis, hanc pœnam ſublatam eſſe per Innocentium. III. cap. cùm ſecundum Apoſtolum de præbendis. vbi ſolùm decernitur quòd ordinatis, vel eius ſucceſſor alat ordinatum, donec habeat eccleſiaſticum beneficium, quod intelligendum eſt, quando non eſt præſentatus ab aliquo patrono: tunc enim ab eo eſt alendus, vt patet ex ipſo textu, & ex Panormitano ibidem.

Quòd ſi rurſus opponas Concil. Trident. ſeſſ. 21. cap. 2. de reformatio. in fine. vbi innouat pœnas antiquorum canonum, ergo innouantur dicta capita neminem. & Sanctorum. Reſpondeo, quòd Concilium ibi ſolùm loquitur quando fiunt aliqua pacta de nihil petendo, vt ampliùs explicabimus dubio ſequenti; at verò nos in ſecunda concluſione loquimur, quando nullum eſt pactum, nec vlla deceptio, ſed ordinans rectè ſcit ordinatum nullum habere titulum.

Denique ſi opponas motum proprium Sixti V. contra clericos malè promotos, qui incipit, ſanctum & ſalutare, in §. nihilominùs. vbi ponit pœnam ſuſpenſionis ipſo iure contra clericos recipientes ordines, non ſeruatis certis conditionibus, inter quas vna eſt, quòd nullus ſecularis ordinetur ordine ſacro ſine titulo ſufficientis patrimonij, vel beneficij. Reſpondeo, quòd hæc pœna ſuſpenſionis, & aliæ contentæ in iſto §. nihilominùs. tantùm comprehendunt eos, qui ſacris ordinantur ſine dimiſſoriis, vel ante legitimam ætatem, vel extra tempora. Et patet: nam Sixtus V. clarè videtur loqui de illis, de quibus loquutus eſt Pius II. in Extrauag. cùm ex ſacrorum. & Pius V. in regula 22. Cancellariæ. Hi autem duo Pontifices tantùm loquuntur in iis tribus caſibus. Præterea: nam videtur incredibile, quòd voluerit Sixtus V. imponere grauiſſimas pœnas in iſto §. contentas contra eum qui non ſeruat interſtitia Concilij Tridentini, quæ ex conditionibus ab ipſo Pontifice requiſitis eſt vna. Præterea, cùm hæc Extrauagans Sixti V. ſit pœnalis & exorbitans à iure communi, non eſt extendenda. Et hæc explicatio placuit nonnullis Iuriſtis doctiſſimis de hac re à me conſultis.

Dvbitatvr quintò, quando aliquis ordinatur cum patrimonio ficto, vtrùm incurrat ſuſpenſionem. Verbi gratia, Petrus petit à Ioanne, quòd donet ei patrimonium, ad cuius titulum ordinetur, & promittit ei etiam cum iuramento, quòd ante ordinationem retrò donabit illi tale patrimonium, & quòd non petet ab eo victum.

Prima opinio tenet, hunc incurrere ſuſpenſionem; ita Nauarr. c. 27. num. 158. Medin. in Sum. cap. 11. §. 8. & multi Theologi Complutenſes, & Iuriſtæ Salmanticenſes. Primum fundamentum huius opinionis eſt cap. per tuas, & cap. penult. de ſimonia, & hoc eſt fundamentum Nauarri. Secundum fundamentum eſt cap. 2. de reformat. Concil. Trid. ſeſſ. 21. vbi dicitur, quòd quando aliquis ordinatur titulo patrimonij, inſpiciatur priùs vtrùm ſit verum patrimonium, & deinde ſubdit antiquorum Canonum pœnas ſuper his innouando, vbi videtur innouare cap. neminem. & cap. Sanctorum. 70. diſt. in quibus definitur eſſe ſuſpenſum, qui ordinatur ſine beneficio vel patrimonio. Tertium fundamentum eſſe poteſt Extrauagans Pij II. quæ incipit, cùm ex ſacrorum. vbi ſuſpenduntur ipſo facto qui ordinantur

tur sine literis dimissoriis, sed Episcopus conferens huiusmodi literas titulo patrimonij, non daret illas, si sciret patrimonium esse fictum, ergo istæ literæ sunt subreptitiæ, & per consequens censentur nullæ, & nullius effectus. Et in hoc etiam videtur fundare se Nauar. consil. 18. de temporibus ordinationum.

Secunda opinio dicit, hunc non incurrere suspensionem; ita P. Henrique c. 37. n. 2. & in glossl. litera G, refert pro ea multos, & graues Theologos, & Iuristas, quos ipse consuluit.

Sit prima conclusio. Quamuis prima opinio sit valdè probabilis, secunda tamen est probabilior; & supponendum est, quòd in præsenti tantùm loquimur stando in iure communi: potest enim contingere, quòd in aliqua diœcesi imponatur suspensio. Probatur conclusio, quia nullus est text. in iure, nec constitutio Papalis continens talem suspensionem, vt patebit ex solutione argumentorum pro prima opinione. Vnde

Ad primum respondetur, quòd capit. per tuas. tantùm loquitur in beneficiario, qui ad titulum sui beneficij ecclesiastici præsentat aliquem ad ordines præcedente pacto non petendi ab eo aliquid fructuum pro sustentatione: capit. penult. loquitur cum eodem beneficiario, & etiam cum Episcopo ordinante cum pacto, quòd ordinandus nihil petet ab eo pro sustentatione. Ratio autem quare in huiusmodi casibus incurritur suspensio est, quia præsentatio, quam facit beneficiarius ad titulum sui beneficij, est quid spirituale; remissio autem fructuum, quam facit ordinandus, est quid temporale. Et similiter pactum initum cum Episcopo de nihil petendo ab eo pro sustentatione, est quid temporale, ordo autem est quid spirituale, vnde in iis casibus interuenit aliquid simoniæ. Cuius rei signum est, hos duos textus esse sub titulo simoniæ, & hoc modo explicat glossa dicto capitul. penult. verbo, per triennium; & Antonius de Butrio dicto cap. per tuas. notab. 2. numer. 4. imò Hostiensis ait dictum cap. penult. intelligi in clerico beneficiario, qui ad titulum sui beneficij præsentat alium ad ordines, quod non habet locum in laico præsentante ad titulum alicuius Ecclesiæ, ergo multò minùs habebit locum in laico præsentante ad titulum patrimonij: nam hîc nullus interuenit sapor simoniæ; præterea, quia pœna non est extendenda de vno casu ad alium, præcipuè quando est diuersus.

Ad secundum respondetur cum P. Henrique sup. numer. 2. quòd Concilium tantùm intendit innouare pœnas in iure positas, in iure autem solùm inuenitur pœna contra facientes pacta simoniaca; non verò contra facientes pacta, in quibus nihil interuenit simoniæ, innouare autem non est extendere pœnam de vno casu ad alium. Pro quo facit cap. ex parte. el 1. de priuileg. in fin. & melior text. cap. 92. eodem titulo.

Ad tertium respondetur cum eodem P. Henrique, suprà, illam Extrauagantem tantùm suspendere eos, qui ordinantur sine Reuerendis; at verò qui ordinatur ad titulum patrimonij etiam ficti, veras habet Reuerendas. Nec obstat dicere quòd obtinuisse Reuerendas ex causa falsa, est idem quod non obtinuisse illas; non, inquam, obstat, primò quia ipsi Episcopo incumbit sufficientem facere informationem quòd patrimonium est verum, vt ait Doctor Spino in Speculo testamentorum, glossa 18. num. 78. & colligitur ex Trident. loco citato, ibi, *eo quoque prius perspecto patrimonium illud verè ab eis obtineri.* Secundò: nam si fictio patrimonij sufficeret ad incurrendam illam suspensionem, etiam sufficeret falsitas in probatione morum & generis.

Petis, vtrùm sit valida renunciatio patrimonij, ad cuius titulum aliquis est ordinatus? Et suppono, quòd sit antequàm habeat beneficium, vel aliquid aliud vnde viuere posset. Nauar. cap. 27. num. 158. & consil. 16. de temporibus ordinationum, absolutè dicit non valere. P. Henrique nu-

nu.2. citato. loquens de patrimonio ficto, dicit non valere.

Sit tamen ſecunda concluſio. Si patrimonium erat verum, eius donatio non valet ipſo iure. Probatur; nam Tridentinum cap.1. citato ait, patrimonium huiuſmodi nullatenus poſſe donari abſque licentia Epiſcopi, & dictio, *nullatenus*, inducit nullitatem ipſo iure, iuxta gloſſam celebrem Clement. 2. de ſequeſtrat. verbo, nullatenus. quam ſequitur Nauar. ſuprà, & P. Henrique lib.13. de excommunicat. cap. 28. num.3. & Couarr. cap. alma mater.p.1.§.11.nu.7. Nota, quòd ſi renunciet, reſeruata ſibi penſione ſufficiente ad victum, valet renunciatio. ita Nau. lib. 3. Conſ.conſ.23.de præbend.

Ex hac concluſione ſequitur, quòd qui ordinatus eſt ad titulum veri & legitimi patrimonij, vel beneficij, quamuis ſecundùm ius antiquum non erat prohibitum illud renunciare, vel reſignare, nunc tamen prohibitum eſt per Tridentinum. Verum eſt, quòd qui oppoſitum fecerit, quamuis peccabit, nõ tamen incurret ſuſpenſionem; ita P. Henrique c.37.citato.n.2.in fine. Vnde donatio patris filio, ad cuius titulum eſt ordinatus, poterit à patre reuocari. Vide Azeued.lib.5. recop.titulo 6.leg.7.

Tertia concluſio. Si patrimonium erat fictum, retrodonatio valet in foro conſcientiæ. Hæc eſt expreſsè contra Patrem Henrique num.2. citato. Sed eam tenent aliqui Magiſtri; probatur primò: nam Concilium ſolùm loquitur quando patrimonium erat verum, vt patet ex contextu. Secundò: nam quòd fictè donans huiuſmodi patrimonium priuetur illo, eſt pœna, vt ſtatim dicemus, ergo non eſt priuandus ante ſententiam, iuxta dicta in materia de legibus, tractando de lege pœnali, imò credo quòd ordinatus tenetur in conſcientia retrodonare patrimonium; ſic aliqui viri docti. Et probatur nam hoc patrimonium reuerà non eſt ſuum, ſed donatoris, & non poteſt autoritate propria punire ipſum donatorem; & hoc intelligo niſi velit agere coram Iudice. Dixi, *in foro in conſcientiæ*: nam in foro exteriori reſcindetur retrodonatio in pœnam donatoris, qui voluit decipere Eccleſiam & Epiſcopum.

Ex dictis ſequitur primò, quòd qui ad titulum patrimonij ordinatus eſt Subdiaconatu, & poſteà renunciauit illum, & fecit ſe ordinari reliquis ordinibus, non incurrit ſuſpenſionem, quod etiam ipſe Nauar. concedit conſil.16.de temporibus ordinationum.

Secundò ſequitur, quòd à fortiori non incurrit ſuſpenſionem ille, qui ordinatus eſt ad titulum patrimonij, quòd mentitus eſt eſſe ſufficiens, quamuis Naua.conſil.18. eodem tit. in fine, clarè videatur docere contrarium.

Tertiò ſequitur, quòd à fortiori non incurrit ſuſpenſionem qui ordinatus eſt ad titulum veri patrimonij, quamuis alias deberet tantundem, quantùm valebat ipſum patrimonium. Quam reſolutionem etiam tenet Nauar. conſil.13. eodem tit. in caſu, quòd iſta debita fuerint contracta poſt patrimonium acquiſitum. Probat optimè, quia huiuſmodi debita non poſſunt ſolui de tali patrimonio, ſiquidem ſecundùm Concilium non poteſt alienari, niſi ordinatus habeat beneficium, vel aliquid aliud vnde viuat.

Quartò ſequitur à fortiori, non incurrere ſuſpenſionem eum, qui ordinatus eſt ad titulum patrimonij in bonis mobilibus, vt ipſe Nauarr. concedit conſil.19. eodem titulo. Et ibi ait, quòd ſecundùm mentem Concilij patrimonium debet eſſe in bonis immobilibus.

Quintò ſequitur, quòd à fortiori non incurrit ſuſpenſionem qui ordinatus eſt ad titulum beneficij legitimè quidem obtenti, ſed nondum poſſeſſi, vt ipſe Nauar. concedit conſil.15.eodem titulo.

DVBITATVR ſextò, quando aliquis eſt ordinatus ſubdiaconatu ſine vllo patrimonio, vtrùm licitè poſſit aſcendere ad ſuperiores ordines?

Prima opinio affirmat. Hanc tenuerunt

in

in Hispania nonnulli consulti Iuristæ; argumentum eorum erat, quòd postquàm habet sacrum ordinem subdiaconatus, non decet vile aliquod officium exercere. Hæc autem opinio, vt dicunt aliqui Magistri, non videtur secura in conscientia. Vnde sit

Secunda opinio vera & omninò tenenda, quòd non potest sine dispensatione Episcopi; ita P. Henrique cap. 37. num. 2. circa finem; & alij. Probatur: patrimonium non solùm requiritur pro subdiaconatu, sed etiam, imò magis, pro diaconatu & sacerdotio, sed nunc non habet magis patrimonium, quàm habebat anteà, ergo. Dixi, *sine dispensatione Episcopi*: nam Episcopus bene potest in hoc casu dispensare, vt iste ascendat ad superiores ordines; sic P. Henrique, & aliqui viri docti. Probatur argumento facto pro prima opinione: hoc enim probat, & nihil aliud, ac per consequens manet solutum.

Vtrùm verò in aliquo casu possit Episcopus dispensare, vt aliquis à principio ordinetur sacris sine patrimonio? Respondetur, quòd in casu raro potest, vt si sit vir doctus collegio, & gradu insignis; ita P. Henrique suprà: de hoc enim certum est, quòd consequetur cathedram, vel præbendam, aut beneficium, & per consequens nulla est suspicio quòd mendicabit. Et hæc de secundo casu.

Tertius casus est, quando aliquis ordinatur ordine sacro extra tempora à iure statuta, vel ante legitimam ætatem, vel absque literis dimissoriis, quas Reuctendas vocant.

Et hoc sit DVBIVM septimum, quia casus hic longiorem exigit disputationem.

Pro cuius explicatione supponendum est primò, quòd ad minores ordines non requiruntur tempora, requiritur tamen quòd sit dies Dominica, vel dies festus, text. est cap. de eo. de temporibus ordinationum. Prima autem tonsura quolibet die anni dari potest; sic Armil. ver. ordo. num. 7. & Bernardus Diaz in sua Practica, cap. 26. litera A.

Secundò supponendum est, quòd aliter loquendum esset in hoc casu secundùm ius antiquum, quàm secundùm nouum: nam stando in iure antiquo satis controuersum est, vtrùm qui ordinatur sacris extra tempora, esset ipso iure suspensus, vel suspendendus? Angelus enim verbo, irregularitas. num. 35. Sylvest. eodem ver. n. 12. Tabien. eodem verbo, 4. numer. 7. qu. 6. dicunt esse suspensum ipso iure. Idem tenet Panormit. cap. 2. de temporibus ordinatio. vbi ait, quòd iste non recipit ordinis executionem, & est deponendus. Innocent. autem & Hostiensis citati ab Angelo, & Sylvest. dicunt, quòd est suspendendus, quam sententiam sequuntur aliqui viri docti, & hæc videtur mihi probabilior: nam text. in quibus prima opinio posset fundari cum apparentia (qui sunt quatuor) non habent difficilem solutionem. Primus est cap. cùm quidam. de temporibus ordinatio. qui est Vrbani III. sed ibi solùm dicitur, *à susceptis ordinibus reddere debes expertes*; quæ verba clarè significant suspensionem ferendam. Secundus est cap. secundùm, eodem tit. quod est Alexandri III. sed ibi solùm habetur, quòd non permittatur ministrare; quæ verba commodè explicantur de suspensione ferenda, & cùm sit pœna, in dubio mitiùs est interpretanda, præcipuè cùm Vrbanus III. qui fuit 23. annis post Alexandrum, clarè ponat suspensionem ferendam, & in dubio non est præsumenda legum correctio. Tertius est cap. consultationi. vbi dicitur cuidam Archiepiscopo, quòd ordinatos extra tempora, præmissa competenti pœnitentia, posset permittere in susceptis ordinibus ministrare, vbi videtur præsupponi, quòd sunt ipso facto suspensi: aliàs enim nulla indigeret absolutione. Respondetur, quòd cùm in duobus textibus citatis solùm ponatur expressè suspensio ferenda; & in hoc cap. consultationi. non ponatur expressè suspensio ipso iure, sensus huius c. est, quòd cùm ordinatos extra tempora possit Episcopus, & debeat suspendere, eos iam

ſuſpenſos per ſententiam poterit præmiſſa pœnitentia abſoluere, vt miniſtrent. Quartus textus eſt in cap. literas. eod. tit. vbi facilè reſpondetur, quòd ſuſpenſio ibi poſita non eſt, quia ille de quo ibi eſt ſermo, ſit ordinatus extra tempora, ſed quia ſuſcepit duos ordines ſacros in eodem die: cùm enim ille in veſpera Sabbati ordinatus ſit in diaconum, & continuato ieiunio manè Dominicæ ſequentis ſit ordinatus in presbyterum; fictione iuris præſumit Pontifex illum in eodem die ſuſcepiſſe duos ordines ſacros: nam manè Dominicæ, & veſpere Sabbati præcedentis ad eundem diem referuntur. Et hæc dicta ſint loquendo ſecundùm ius antiquum.

Loquendo autem ſecundùm nouum ceſſat controuerſia: nam Pius II. in quadam Extrauaganti, quæ incipit, cùm ex ſacrorum, ſuſpendit ipſo iure eos qui ſacris ordinantur extra tempora à iure ſtatuta, vel ante legitimam ætatem, vel abſque literis dimiſſoriis, & facit irregularem ordine vtentem; quam Extrauagantem nunquàm typis excuſam refert Nauar. cap. 27. num. 154. Couarru. Clement. ſi furioſus. par. 1. §. 1. num. 4. & alij; & integram refert Bernardus Diaz in ſua Pract. cap. 26. eámque confirmauit Pius V. in ſuis ſanctionibus Apoſtolicis. ſanctione 22. vt refert Cordub. in Sum. quæſt. 114. & habetur in Regula 22. Cancellariæ, quæ ponuntur ad finem voluminis propriorum motuum. Eam etiam refert, & confirmare videtur Sixtus V. in Extrauaganti contra clericos malè promotos, quæ incipit, Sanctum & Salutare. verſiculo, & nihilominùs. Hæc autem Extrauagans declaranda eſt primò in generali, ſecundò in particulari, quantùm ad tres partes quas includit.

Pro intelligentia igitur in generali ſupponendum eſt quartò, quòd ad incurrendam hanc ſuſpenſionem requiritur dolus: nam verbum, *præſumpſerint*, requirit dolum, vt oſtendimus cap. 5. de excommunicat. diſput. 5. dub. 9. Itaque continget aliquem peccare ex ignorantia culpabili, & quòd non incurrat hanc ſuſpenſionem, & quamuis de hoc fuerim aliquando dubius propter ipſum contextum: dicit enim Pius II. qui extra tempora, vel ante ætatem, vel ſine literis dimiſſoriis ad aliquem ex ſacris ordinibus ſe fecerint promoueri, à ſuorum ordinum executione ipſo iure ſuſpenſi ſint, & ſi huiuſmodi ſuſpenſione durante in eiſdem ordinibus celebrare præſumpſerint, eo ipſo irregularitatem incurrant; ex quo videtur conſtare quòd verbum, *præſumpſerint*, non cadit ſupra receptionem ordinum, ſed ſupra vſum ordinis. Vnde Nauar. in repetit. cap. accepta, de reſtitut. ſpoliatorum. oppoſit. 8. num. 35. in fine. explicans hanc Extrauagantem ait, in imponenda pœna ſuſpenſionis non ponderatur præſumptio, in imponenda verò irregularitate ſic; quamuis, inquam, fuerim aliquando dubius; nunc autem cum reſolutione dico requiri dolum; ita Nauar. cap. 27. num. 154. conſil. 3. de ætate & qualitate ordinandorum. conſil. 2. de filiis presbyterorum, & 2. p. Conſiliorum, in additione libri primi, titul. de temporibus ordinationum. conſil. 50. & P. Henrique cap. 38. num. 1. in fine. & in gloſſ. litera E, & Bernard. Diaz in ſua practica. cap. 26. litera C, verſiculo primo, quòd eius. Et quamuis hi Autores, præcipuè Nauarr. & P. Henrique, ſolùm videantur eximere à ſuſpenſione ordinatum ignorantia inuincibili, tamen cùm expreſsè affirmet, quòd hæc ſuſpenſio ſolùm comprehendit præſumentes, & quòd requirit dolum, ſequitur apertè quòd ſecundùm mentem eorum non comprehendit ignorantem ignorantia culpabili, dummodò non ſit affectata, vt patet ex Autoribus citatis dub. 9. de excommunicat. iam citato. Præterea: nam à dolo quæcunque ignorantia etiam craſſa excuſat, vt docet ipſe Nauar. cap. 27. num. 141. Secundò, probo requiri dolum: nam fieri poteſt quòd explicatio Nauarri fuerit in cauſa, quòd hæc Extrauagans fuerit ſic intellecta & practicata: ipſe enim eſt qui eam publicauit

Salman

Salmanticæ, vt testatur consil. 14. de temporibus ordinationum. Tertiò : nam dici potest quòd verbum *præsumpserint*, comprehendit susceptionem ordinum, & celebrationem, & ita Bernard. Diaz ponderat hoc verbum bis, scilicet ad incurrendam suspensionem, & etiam irregularitatem. Et quamuis hoc non multùm faueat constructioni Grammaticali, fauet tamen breuitati quæ solet esse in vsu in literis Pontificiis, & cùm sit pœna mitior, interpretatio est facienda; & hanc sententiam tenent aliqui viri docti, qui expressè dicunt, quòd ignorantia culpabilis si non æquiualeat præsumptioni, excusabit à suspensione.

Quintò notandum est, quòd licèt aliquis incurrerit hanc suspensionem, quia ordinatus est cum dolo, tamen si posteà facta pœnitentia celebret, credens id sibi licere non incurrit irregularitatem : nam etiam ad hoc requiritur dolus, ita Nauar. cap. 27. num. 156. & in cap. accepta. loco citato. imò longè certius est de irregularitate, quàm de suspensione: nam verbum, *præsumpserint*, absque vlla controuersia cadit super irregularitatem, vt patet ex verbis ipsius Extrauag. iam citatis.

Sextò notandum est, quòd ordinatus ordine sacro contra tenorem huius Extrauag. solùm manet suspensus ab ordine sic susceptо; ita videtur clarè tenere P. Henrique cap. 38. nu. 1. vbi generaliter ait, quòd fit suspensus ab vsu sacri ordinis sic susceptі. Nec obstat doctrina Nauar. cons. 71. de excommunicatio. quam sequitur Emanuel in Summa, cap. 162. de irregularitate, dicentis eum, qui ante legitimam ætatem ordinatus est presbyter, non posse exercere actum alicui sacro ordini deputatum, non, inquam, obstat, quia Nauarr. tenet istum presbyterum incurrere irregularitatem, & in hac fundat suam sententiam; ego tamen oppositum teneo 1. not. 11. Et primò in generali probo ex ipsa Extrauag. in illis verbis : *Et si huiusmodi suspensione durante in eisdem ordinibus celebrare præsumpserint, irregularitatem incurrant.* Secundò in particulari probo de ordine susceptо ante legitimam ætatem: nam in cap. vel non es compos, de temporibus ordinationum, quidam ante legitimam ætatem factus diaconus, suspenditur à diaconatu. Et à iure antiquo non est recedendum, nisi quatenus continetur in nouo. De ordinato extra tempora, probo ex glossa cap. consuitationi. de temporibus ordinatio. ibi, *interdicitur ei executio ordinis sic susceptі.* Denique de ordinato absque dimissoriis probatur ex Trident. sess. 14. cap. 2. de reformatione, vbi de ordinato ab Episcopo titulari sine licentia proprij Episcopi, ait; *Taliter promotus ab executione ordinum sic susceptorum: donec suo Prælato visum fuerit, ipso iure sit suspensus.* Et intelligo quòd consequenter manet suspensus ab ordine superiori etiam ritè susceptо, non tamen ab inferiori, iuxta dicta disput. 2. dub. 1. concl. 9. Et hæc dicta sint stando in iure communi, & in Extrauagant. Pij II.

Cæterùm stando in Extrauaganti Sixti V. maior est difficultas, vtrùm clerici promoti extra tempora, vel ante legitimam ætatem, vel absque dimissoriis, maneant suspensi ab omnibus ordinibus etiam ritè susceptis: nam in illo versiculo, & nihilominùs. dicit eosdem clericos posthac malè promotos ab executione, ministerio & exercitio ordinum susceptorũ, & ab omni spe, & facultate ascendendi ad alios superiores perpetuò suspensos declaramus: hoc tamen non obstante iudico probabiliter posse defendi, quòd tantùm suspendit ab ordine sic susceptо: siquidem refert Extrauagantem Pij II. & per consequens tantùm videtur loqui de illa suspensione, de qua loquutus est Pius II.

Septimò notandum est, quòd ab hac suspensione poterat Episcopus absoluere; ita Sylvest. ver. suspensio. num. 8. dicto 3. Probatur, quia non est reseruata Papæ: nam reseruatio posita in illis verbis, *Et si in eisdem ordinibus ministrauerit, sit irregularis, cùm quo solus Papa dispensat*, non est referenda ad suspensionem, sed ad irregula-

laritatem. nota, quòd hæc verba non ſunt Pij II. ſed Nauarri. Cæterùm modò poſt Sixtum V. ſolus Papa poteſt abſoluere, quia ipſi ſoli reſeruauit eam, & derogauit omnibus priuilegiis, & Bullæ cruciatæ, & concilio Trident. Videatur modò motus proprius, qui editus eſt à Clemente VIII. in quo benigniſſimè moderatus eſt ſanctiſſimus Pontifex prædictum motum Sixti V.

Octauò notandum eſt, quòd qui modò excuſatur ab hac ſuſpẽſione propter ignorantiam, iuxta dicta ſuprà, quamuis celebret, non incurret irregularitatem. Probatur tum ratione generali, tum etiam quia Pius II. dicit: *Et ſi hac ſuſpenſione durante celebrent, irregularitatem incurrent.*

Petis, quare in hac Extrauag. dicitur, quòd ſi miniſtrauerint in ordinibus ſic ſuſceptis, fiant irregulares: nam eo ipſo quòd ſuſpenſus miniſtret in ordinibus, fit irregularis? Reſpondeo, huiuſmodi clauſulam non eſſe ſuperfluam. Primò, quia nonnulli quamuis concedant ordinatum ante ætatem eſſe ipſo iure ſuſpenſum ſecundùm ius antiquum, dicunt tamen non incurrere irregularitatem, vt videre eſt apud Couarru. Clem. ſi furioſus. p. 1. §. 1. num. 4. & Bernard. Diaz cap. 26. citato. verſiculo, is verò. Probant, quia talis ſuſpenſio non eſt impoſita propter crimen, ſed propter defectum. Secundò, quia nonnulli Doctores tenent, quòd licet ſuſpenſus à Iudice, ſi celebret, ſit irregularis, non tamen ſuſpenſus à Canone; de quo infrà dicendum eſt in materia de irregularitate. Et hæc ſufficiant de explicatione Extrauag. Pij II. in generali.

Iam ſigillatim explicandæ ſunt tres partes, quas continet, & quidem de prima, ſcilicet de ordinato extra tempora, nihil occurrit dicendum, præter id quod diximus, ſcilicet quòd iure antiquo non erat ſuſpenſus ipſo iure. Videte aliqua apud Bernardum Diaz cap. 26. citato. litera A.

De ſecunda, ſcilicet de ordinato ante legitimam ætatem, notandum eſt nonò, quòd ſtando in iure antiquo non erat ſuſpenſus ipſo iure, ſed ſuſpendendus; ita Nauar. in cap. accepta ſuprà num. 34. & in Sum. cap. 27. num. 155. Couarru. Clement. citata. p. 1. §. 1. num. 8. vbi citat alios. idem tenet Bernardus Diaz capit. 26. in princ. Præterea, ſtando in iure antiquo, hæc ſuſpenſio etiam poſt ſententiam tantùm durabat vſque ad legitimam ætatem; ſic nonnulli, vt refert P. Henrique cap. 38. num. 1. & gloſſa litera E, & conſtat ex textu, ibi, *vſque ad ætatem legitimam*: vnde ea impleta non erat neceſſaria abſolutio; at verò ſuſpenſio Pij II. durat etiam poſt legitimam ætatem, & indiget abſolutione, quia imponitur ſimpliciter abſque vlla temporis limitatione, ita P. Henrique ſuprà, vbi citat alios.

Notandum eſt decimò, quòd ordinatus ante legitimam ætatem non poteſt ante illam exercere ordinem ſic ſuſceptum, niſi Papa diſpenſet; ita gloſſa Clem. generalem. de ætate & qualitate ordinandorum. verbo generalem. Couartu. Clement. ſi furioſus. loco citato. Tabien. ver. ordo. nu. 17. Additionator ad Bernardum Diaz cap. 26. citato. litera B. verſiculo, is verò. Medina in Sum. §. 8. circa finem. Et hoc habet verum quamuis ſit abſolutus à ſuſpenſione, vt expreſsè tenet Medina & P. Henrique cap. 35. num. 4. Si dicas, quid ergo operatur abſolutio ab hac ſuſpenſione data ante legitimam ætatem? Reſpondeo, operatur duo; primò, quòd impleta ætate ſtatim poſſit exercere illum ordinem; ſecundò, quòd ſi exerceat ante ætatem, quamuis peccet mortaliter, non incurret irregularitatem.

Notandum vndecimò, quòd in hac materia annus incœptus habetur pro cõpleto, verbi gratia ingreſſus in 25. annum, poteſt ordinari in presbyterum; ita Nauar. c. 25. num. 116. §. ad nouum quæſitum. vbi id bene probat, & conſil. 6. de ætate & qualit. ordinandorum. idem tenet P. Henrique cap. 38. num. 2. vbi citat alios, & teſtatur eſſe praxim Epiſcoporum, & libro 10. de ſacram. ordinis. c. 19. num. 2.

Petis,

Petis, vtrùm qui ante legitimam ætatem ordinatur sacerdotio, fiat etiam irregularis, siquidem in ipsa ordinatione consecrat simul cum Episcopo? Medina in Sum. §. 8. circa finem tenet partem negatiuam, & videtur clarè de mente Sylvest. ver. irregularitas. q. 13. §. 2. in alio simili. dicit enim quòd si Episcopus tulit sententiam excommunicationis contra celebrãtem in aliqua capella, celebrans ibi prima vice nõ est irregularis, sed excommunicatus, secunda autem vice erit irregularis, & allegat Archidiaconum. Oppositum tenet in terminis Additionator ad Bernardum Diaz, cap. 26. litera E, versiculo, sed verius contrarium. & Nauar. consil. 61. de simonia, ad 6. quæstio. Idem tenet generaliter de eo qui incurrit excommunicationem in ipsa susceptione ordinis, & vt patet ex cap. 1. de eo qui furtiuè ordinem suscepit, ab ipso allegato loquitur in quocunque ordine sacro. Pro resolutione notandum est, quòd suspensus non manet irregularis ex eo solùm quòd recipiat ordines, sed requiritur quòd administret in ordine, vt dicemus in materia de irregularitate. Quo posito

Dico primò, licèt aliquis incurrat excommunicationem in ipsa susceptione ordinis, vt si committat ibi simoniam, non incurrit irregularitatem, nisi ministret, vt si cantat ibi Epistolam, vel Euangelium. Hoc est contra Nauarr. sed probo argumento efficaci. Iste priùs recipit ordines, quàm incurrat excommunicationem; sed ad hoc quòd incurrat irregularitatem, requiritur quòd existens excommunicatus recipiat ordines, ergo implicat quòd in eadem receptione ordinis incurrat excõmunicationem & irregularitatem. Confirmatur: nam licèt communicans cum excommunicato in crimine, propter quod est excommunicatus, incurrat eandem excommunicationem, non tamen incurrit eam, nisi communicet postquàm principalis iam est excommunicatus, vt dixi c. 6. de excommunicatione. disp. 10. dub. 3. & quamuis Nau. conetur soluere hoc argumentum, tamen eius solutio nõ satisfacit.

Dico secundò, si aliquis contra tenorem huius Extrauag. ordinetur subdiaconatu, vel diaconatu, & ibi canat Epistolam vel Euangelium, incurrit irregularitatem, quia isti actus sunt diuersi, & postquàm per primum incurrit suspensionem, ministrat solemniter, & hoc à fortiori confirmant textus, rationes, & Autores allegati à Nauarro. Maior difficultas est de eo qui contra tenorem huius Extrauagantis ordinatur in presbyterum.

Dico tertiò, quòd nec iste incurrit irregularitatem. Probatur primò, quia non celebrat, sed concelebrat; secundò: nam iste actus moraliter censetur vnus & idem cum actu receptionis presbyterij; tertiò: nam ordo presbyteratus non est omninò completus, donec detur potestas ad absoluendum; hæc autem datur post consecrationem; & non dicitur factum illud, ex quo aliquid superest ad agendum. l. final. C. de iis quibus vt indignis. Ex quo deducitur optima confirmatio, scilicet quòd suspensio non est completè incursa, sed est veluti in fieri: nam suspensio imposita contra aliquem actum non incurritur, donec sequatur effectus, & actus sit completus, iuxta dicta cap. 5. de excommunicatione. disp. 3. dub. 5. & ad cap. 1. de eo qui furtiuè ordinem suscepit (quod est fundamentum Nauarr.) Respondetur primò, quòd ibi nullum est verbum de irregularitate: secundò, quòd ibi voluit Pontifex in pœnam delicti punire illum priuatione vsus ordinum, non tamen dicit quòd ipso facto incurrerit hanc pœnam: tertiò verò, & meliùs, quòd ibi solùm incurritur irregularitas propter furtiuam ordinis susceptionem, vt latiùs dixi in materia de irregul. disp. 9. sect. 1. dub. 1. conc. 2.

De tertia denique parte, scilicet de ordinato absque dimissoriis, videte Additionatorem ad Bernardum Diaz cap. 26. versiculo, sine licentia sui Præsulis, & P. Henrique lib. 10. de sacramento ordinis. cap. 22. Et imprimis supponendum est, quòd etiam ad minores ordines requiritur licentia proprij Episcopi, vt patet ex

Trident.

Trident. ſeſſ. 7. cap. 10. de reformatione. imò etiam requiritur ad primam tonſuram cap. fin. de temporibus ordinationum. in 6. aliàs Epiſcopus eam conferens ſuſpenſus erit per annum ab eius collatione, eod. cap.

Secundò ſupponendum eſt, quòd qui ordinatur minoribus ſine licentia proprij Epiſcopi, non eſt ipſo iure ſuſpenſus, ſed ſuſpendendus. cap. quod tranſlationem. de temporibus ordinationum. ibi, *interdicenda eſt ei ordinis executio*; ſic Panorm. eod. ca. num. 2. Sylueſt. ver. irregularitas. num. 11. Tabien. ver. ordo. 3. num. 1. Nauar. conſil. 48. de temporibus ordinat. & alij; & clarè patet ex Trident. ſeſſ. 7. cap. 10. de reform. Vbi tantùm dicit, quòd nullo priuilegio clericali, præſertim in criminalibus, gaudeant, & Extrauaganti Pij II. quæ tantùm loquitur de ordinibus ſacris. Sed eſt argumentum: nam qui ordinatur ſine licentia proprij Epiſcopi, ordinatio non eſt rata, nec recipit ordinis executionem. c. nullus alterius. 90. q. 2. cap. illud quoque. 71. q. 1. Reſpondetur cum Panorm. ſuprà, & Bellamera dicto c. quod tranſlationem. quòd iſte non habet executionem quoad ſe, ſicut dicitur de peccatore occulto. ca. fin. de cohabitat. clericorum & mulierum: ſed quoad alios non eſt ſuſpenſus. Vnde quamuis celebret, non erit irregularis, & hoc modo intelligo gloſſ. cap. eos. de temporibus ordinat. in 6. verbo, dicentem quòd ordinatus ab alieno Epiſcopo eſt ſuſpenſus ipſo iure, ſed non illa ſuſpenſione quæ inducit irregularitatem, ſed ſuſpendendum illa, vt in c. quod tranſlationem. Et aduerte, quòd hæc gloſſa iam non habet locum quoad ſacros ordines poſt Extrauag. Pij II. vt patet ex dictis.

His poſitis dico primò, quòd ſtando in iure communi, Reuerendæ poſſunt dari ab Epiſcopo, de cuius diœceſi oriundus qui vult ordinari, vel in cuius diœceſi beneficium obtinet eccleſiaſticum, vel habet domicilium, ita Sylueſt. verb. ordo. 3. num. 3. & eſt text. cap. cùm nullus. de temporibus ordinat. in 6. Dicitur autem oriundus, qui natus eſt ex parentibus habentibus ibi domicilium, non tamen ſi aderant ibi ratione itineris; ita Sylueſt. ver. ciuitas. num. 4. & P. Henrique, qui citant alios. Præterea Officialis Epiſcopi, id eſt, Prouiſor, non poteſt eas dare, niſi expreſsè ſibi concedatur, dicto cap. cùm nullus. Vicarius autem generalis in ſpiritualibus Epiſcopi, ipſo in remotis agente, poterit eas concedere. Archiepiſcopus etiam dum viſitat, non poterit eas concedere, ita Additionator ad Bernardum Diaz ſuprà, litera C, verſiculo non tamen poterit, & dicit eſſe communem: habetur etiam ex Geminiano dicto cap. cùm nullus. num. 5. Dixi, *ſtando in iure communi*: nam licèt ſecundùm ius commune Prælati religionum non poſſunt eas concedere, dicto c. cùm nullus. vbi videte omninò Geminianum §. Religioſis. ex priuilegio tamen poſſunt, & quamuis P. Henrique lib. 10. de ſacramento ordinis. cap. 23. num. 4. dicat, quòd ad maiores ordines non concedit Reuerendas Prælatus, etiam Prouincialis, excepta religione Societatis Ieſu, ſed Epiſcopus, in cuius diœceſi habent domicilium, cum conſenſu tamen Prælati regularis. Poſteà tamen lib. 13. de excommunicatio. cap. 40. num. 1. in gloſſ. lit. B, temperat hoc. Ego autem cum reſolutione dico, quòd Prælatus regularis poteſt ſuis Religioſis concedere Reuerendas, vt tenet expreſsè Nauarr. conſil. 22. de temporibus ordinat. Nec obſtat Trident. ſeſſ. 23. c. 8. de reformatione. dicens, quòd debent dari ab ordinario: nam Prælatus Religioſorum eſt eorum Superior ordinarius, habens in eos iuriſdictionem ordinariam. c. cùm ab Eccleſiarum Prælatis. de officio ordinarij. Et ex hac ratione ſequitur, non eſſe neceſſarium priuilegium derogans huic capiti Concilij.

Dico ſecundò, capitulum ſede vacante non poteſt concedere Reuerendas niſi in duobus caſibus. Primus, poſt annum à die vacationis; ſecundus, quando quis ratione obtenti, vel obtinendi beneficij arctatus ſit ad ſacros ordines ſuſcipiendos. ſic

Trident.

Trident. sess. 7. cap. 10. de reformat. Collegium autem Cardinalium, etiam intra annum vacationis, potest concedere Reuerendas, quia Concilium non intendit limitare hanc iurisdictionem sacræ congregationi Cardinalium; ita Bernard. Diaz, & P. Henrique lib. 10. de sacramento ordinis, cap. 22. num. 3. Sed nota quòd licèt capitulum infra annum vacationis non possit concedere Reuerendas, potetit tamen dare literas testimoniales idoneitatis; ita Nauar. consil. 19. de temporibus ordinat. n. 1.

Dico tertiò, Reuerendæ non expirant morte concedentis; ita Nauar. cap. placuit. de pœnit. d. 6. num. 35. Cardinal. Clement. finali. de electio. quæst. 5. Additionator ad Bernard. Diaz sup. litera B. versicul. postquàm verò. P. Henrique capit. 22. citato. numero 3. vbi citat Didacum Perez, & alios. Et ratio est, quia gratia non expirat morte concedentis. capit. si super gratia. de offic. delegati. in 6. vnde datæ à capitulo sede vacante validæ sunt etiam finita potestate capituli; sic Additionator Bernard. Diaz, & citat Immolam.

Dico quartò, Reuerendæ concessæ ab Episcopo excommunicato etiam denunciato validæ sunt secundùm Patrem Henrique lib. 13. capit. 8. num. 7. quia est quædam gratia, quæ valet sine vsu iurisdictionis: vtrùm verò valeant concessæ excommunicato denunciato? Respondetur, quòd si concedantur ab inferiori Papæ, valent; sic colligo ex Naua. consil. 28. de excommunicatione. ad 1. quæstionem. vbi eleganter disputat vtrùm gratiæ impetratæ per excommunicatum ab inferiori Papæ valeant? Et inclinat quòd valeant, & quòd cap. 1. de rescriptis, in 6. solùm habet locum saltem quoad forum conscientiæ in rescriptis & gratiis impetratis à Papa, & ego idem plenè iudico: nam appellatione rescripti generaliter in iure prolati, solùm includitur Apostolicum, Imperiale, seu Regium, vt colligit ibidem Nauar. ex titulis de rescriptis, & ex l. rescripta. & l. quoties. & l. vltima. C. de precibus Imperat. offer.

Dico quintò, quòd in tribus casibus poterit aliquis ordinari ab alieno Episcopo sine dimissoriis proprij Episcopi. Primus est, quando proprius Episcopus est suspensus, eò quòd ordinauit alienos, text. expressus cap. 2. de temporibus ordinat. in 6. Sed circa hunc casum aliqua sunt notanda. Primò, hoc non habere locum, quando proprius Episcopus est suspensus ob aliam causam; sic gloss. verbo, taliter. & Geminia. & ait glossa ideò restrictam esse pœnam ad hunc casum, propter quandam æquitatem, quòd sicut ipse ordinauit clericos alienos sine licentia suorum Episcoporum, sic & sui clerici sine licentia eius ordinentur ab aliis. Secundò, nota hoc non habere locum in laicis, sed tantùm in clericis, quia, vt inquit Geminianus, non potest cogere laicum tanta necessitas suscipiendi ordines, sicut clericum, vt promoueatur ad superiores. Tertiò nota, quòd debent ordinari ab Episcopis vicinis, quia per eos meliùs poterit sciri de vita & moribus ordinandorum, poterunt etiam ordinari ab Archiepiscopo, quia est vicinus; ita Geminian. Quartò nota, quòd ad probandam hanc suspensionem non sufficit dictum ordinandorum, sed alia via est probanda; ita Geminian. Non tamen requiritur præcisè quòd probetur per declarationem Metropolitani, vt vult Additionator Bernard Diaz super litera C, versiculo, tribus casibus. Probo ex glossa dicto cap. 2. verbo, manifesta. Secundus casus est, quando interuenit ratihabitio proprij Episcopi, quod intelligo de ratihabitione de præterito, vel de præsenti expressa signo aliquo exteriori: nam & hæc sufficit ad confitendum cum alieno Confessore, vt dixi in materia de confessione; non tamen sufficit spes ratihabitionis de futuro, vt tenet Additionator Bernard. Diaz, versiculo, secundus quando. vbi citat Rebuffum, & alios. Probat: nam contraria sententia præstaret ansam Episcopis, vt hoc quæsito colore ordinarent alienos, ex quo

innumera oriretur incommoda. Tertius caſus eſt, quando aliquis familiaris Epiſcopi per triennium fuerit cum illo commoratus; aduertit autem Additionator Bernard. Diaz, verſiculo, tertius caſus. hoc tantùm habere locum in illis familiaribus, qui cum Epiſcopis commorantur, non tamen ſi ſint abſentes in regione remota, licèt illius ſumptibus viuant: nam Epiſcopus non poterit eorum mores noſſe. Probat ex verbis Trident. ſeſſ. 23. cap. 9. de reformatione. Et hæc de tertio caſu principali dicta ſint, iam de reliquis caſibus agendum eſt.

DVBITATVR octauò, de quarto caſu, in quo incurritur ſuſpenſio, nempe quando aliquis ordinatur ab Epiſcopo excommunicato, ſuſpenſo, vel interdicto, ſchiſmatico, vel hæretico, intellige nominatim denunciato; vt aduertunt Tabien. & Armil. infrà citandi; vel etiam à degradato. Sic habetur ex cap. 1. de ſchiſmaticis. & ex can. 1. & can. ſtatuimus. el 2. 1. quæſt. 1. Et hoc intelligitur etiamſi is qui ordinatur id ignoret, vt tenent expreſsè Angel. ver irregularitas. 1. num. 30. Sylueſt. ver. irregularitas. quæſt. 7. Armil. eodem ver. num. 78. Tabien. ver. irregularitas. 4. num. 6. Nauar. cap. 27. num. 241. & Couarr. capit. alma mater. p. 1. §. 1. num. 6. Vnde ſolùm excipiunt Doctores eum, qui per metum cadentem in virum conſtantem à talibus recepit ordines. Quintus caſus eſt, quando aliquis ordinatur ordine ſacro ab Epiſcopo, qui renunciauit loco & dignitati. cap. 1. de eo qui ordinatur ab Epiſcopo, qui renunciauit Epiſcopatui. Dixi, *ordine ſacro*: nam ſecus eſt ſi ordinetur à minoribus, vt patet ex ipſo textu; & rationem aſſignat Panormit. ibi num. 1. deſumptam ex ipſo textu: quia huiuſmodi ordines aliquando conceduntur à non Epiſcopis, & nota, quòd hic caſus etiam habet locum, licèt ordinatus ignoret probabiliter renunciationem Epiſcopi; ſic Angel. ſup. num. 31. Armil. num. 79. Tabien. num. 7. Panormit. dicto ca. 1. num. 3. Et probatur ex ipſo textu dicente, quòd ſi recepit ex ignorantia craſſa, ſolus Papa diſpenſat; ſi verò ex ignorantia probabili, diſpenſat Epiſcopus.

Contra hos duos caſus eſt argumentum. Suſpenſio cùm ſit cenſura, non incurritur ſine peccato, ergo qui per ignorantiam probabilem & inuincibilem à talibus recepit ordines, non manet ſuſpenſus. Quidam vir doctus conuictus hoc argumento concedit conſequentiam, & idem videtur ſentire Bernard. Diaz in practica ſua, & P. Henrique lib. 13. de excommunicat. ca. 29. num. 1. dicit quod iſte vir doctus quòd textus citati in 4. & 5. caſu non habent locum poſt capit. vt animarum. de conſtitutionibus. in 6. vbi decernitur, quòd ſtatuta quorumcumque ordinariorum non ligant ignorantes, dum tamen ignorantia non fuerit craſſa vel ſupina.

Contra hoc eſt primò, quòd Autores citati dicentes iſtum non habere locum etiam in ignorante probabiliter, ſcripſerunt poſt dictum cap. vt animarum. Secundò, quòd prædictum cap. non condit nouum ius vt vidimus cap. 5. de excommunicatio. diſput. 5. dub. 7. ad arg. ſecundæ ſententiæ, ergo antiqua iura manent immutata, præſertim quòd in dubio non eſt inducenda legum correctio. Confirmatur: nam ſi ille textus loquitur de ignorantia inuincibili, etiam ante illum excuſaret hęc ignorantia, ſi loquitur de vincibili non tamen craſſa, ſolùm habet locum in ſtatutis inferiorum Papæ, vt vidimus ibidem. dub. 8. concl. 2.

Ad argumentum ergo factum reſpondetur, quòd hæc ſuſpenſio quando incurritur ab ignorante inuincibiliter, non eſt verè cenſura: nam hæc ſolùm poteſt imponi pro culpa, vnde qui in hac ſuſpenſione celebraret non fieret irregularis, & ideò à multis appellatur irregularitas, vt patet ex Autoribus citatis, quoniam irregularitas multoties incurritur ſine peccato, ſed eſt defectus quidam executionis: noluit enim Eccleſia quòd non habentes ordinum executionem, eam conferant aliis,

aliis, cùm nemo det quod non habet, & hanc rationem assignant text. citati, non culpam ordinati. Vide dicta cap. 5. de excommunic. disput. 5. dub. 12. in fine.

Sextus casus est, quando aliquis petit promoueri ad ordines ab Episcopo non suo, sine proprij Episcopi informatione, quantùm ad probitatem, & mores, & Episcopus sic ordinans est suspensus per annum à collatione ordinum; ordinatus verò suspensus est ab ordinibus sic susceptis ad arbitrium sui Episcopi; sic Tridentinum sess. 23. cap. 8. de reformat.

Septimus casus est, quando Episcopus titularis, scilicet de *anillo*, ordinat aliquem maioribus, vel minoribus, vel etiam prima tonsura, sine licentia proprij Episcopi: nam talis Episcopus est suspensus per annum à Pontificalibus, & ordinatus est suspensus ab ordinibus sic susceptis ad arbitrium proprij Episcopi; ita Tridentinum sess. 14. cap. 2. de reformat. Nota, quòd Episcopus, qui scienter cap. 2. de temp. ordin. in 6. ordinat subditum alienum, manet suspensus per annum à collatione ordinis, non tantùm illius, quem contulit, sed etiam omnium; sic Paludan. in 4. d. 19. q. 7. quam suspensionem extendit Nauarr. lib. 1. consilior. cons. 3. de bigam. ad ordinantem eum, qui est irregularis, immò addit posse dici, quòd est suspensus vno anno *amissando*, & potest deponi ab ordine; sed ego non assentior extensioni, quia longè diuersa sunt ordinare alienum, & ordinare irregularem, & à separatis non fit illatio.

Octauus casus est, quando Capitulum intra annum à die vacationis dat Reuerendas ad ordines, nisi ratione beneficij susceptri, vel suscipiendi arctetur, & si aliter fiat, Capitulum manet interdictum, & ordinatus si fuit in maioribus, manet suspensus ad arbitrium Episcopi futuri; si fuit in minoribus, caret omni priuilegio clericali, præcipuè in criminalibus; sic Tridentinum sess. 7. cap. 10. de reformat.

Nonus casus est, quando aliquis Sacerdos sæcularis, vel regularis coniungit matrimonio, vel benedicit sponsos alterius parochiæ sine licentia Parochi illorum, iste manet suspensus, donec absoluatur ab ordinario illius Parochi, qui matrimonio interesse debebat, vel à quo benedictio erat suscipienda; sic Tridentinum sess. 24. cap. 1. de reformat. matrimonij.

Decimus casus est, quando suspenditur à receptione ad professionem Prælatus Prædicatorum, vel Minorum, qui receperit aliquem ad professionem ante impletum annum probationis. cap. non solùm. de regularib. in 6. & per cap constitutionem. eodem tit. & lib. extenditur hæc pœna ad omnes Mendicantes.

Vndecimus casus est in Clement. 1. de vita, & honest. Clericorum. vbi Clerici publicè portantes virgatas vestes, vel partitas, si sit beneficiarius, est ipso facto suspensus per sex menses, à perceptione fructus; si non est beneficiarius, sed est in sacris infra sacerdotium per idem tempus, redditur eo ipso inhabilis ad beneficium Ecclesiasticum. Et idem est de aliis Clericis, qui non sunt in sacris, si simul cum huiusmodi veste deferant coronam clericalem; habens verò dignitatem, personatum, vel aliud beneficium cum animarum cura, est suspensus per annum à perceptione fructuum; Sacerdotes verò per idem tempus sunt inhabiles ad beneficium.

Circa hunc casum nota primò, quòd vestis virgata, vel partita est idem, quod *bordado*, vel cum ipsa textura diuersi admiscentur colores. Secundò nota, quòd in tribus casibus excusantur ab hac pœna; primo, qui gestat has vestes occultè, vt domi in studio; secundo, si gestet secretò subtus alias vestes, ita vt in publico non appareant; sic Bernard. Diaz cap. 75. tertio, si gestet ob celebrationem alicuius festi, vt doctoratus, nuptiarum, vel alterius similis festi, vel ob aliam iustam causam; sic Bernard. Diaz, & Nauarr. cap. 27. num. 157. & P. Henrique lib. 13. de excommunic. cap. 39. num. 3. immò

in gloss. litera A, testatur quosdam recentiores asserere, quòd hæc pœna est derogata consuetudine.

DVBITATVR nonò, vtrùm committens simoniam incurrat suspensionem? De hac quæstione tractat P. Henrique lib. 13. cap. 37. & latè Sylvest. verb. suspensio. q. 7.

Et primò supponendum est, quòd simonia realis est, quæ dicit conuentionem expressam, vel tacitam ex vtraque parte completam, saltem quoad aliquam partem promissorum vtriusque partis, vt latiùs tradit Nauarr. cap. 23. num. 105.

Secundò, suppone, quòd pœna statuta à iure ipso facto solùm incurritur per simoniam realem, tantùm excipio simoniam conuentionalem confidentialem, quæ licèt non sit realis, inducit tamen nullitatem beneficij ipso iure, vt tradit Nauarr. num. 104. & 111.

Tertiò, suppone, quòd simonia realis in ordine inducit excommunicationem ipso iure, vt habetur in Extrauag. 2. de simonia. sed in præsenti non agimus ex professo de hac pœna.

His positis, sit prima conclusio. Qui recepit ordinem per simoniam realem, est ipso iure suspensus non solùm ab ordine sic suscepto, sed etiam ab aliis ritè susceptis; ita Sylvest. suprà. & P. Henrique num. 3. vbi ait esse receptam Doctorum sententiam; idem tenent Thomistæ, quos ego vidi: tenet Villadiego tract. de irregularit. cap. 7. est etiam bonus text. cap. inquisitionis. de accusat. Hanc conclusionem probat Sylvest. ex cap. per tuas. el 2. de simonia. Sed efficaciùs probatur ex Extrauag. 2. de simonia. ibi, *Declaramus quòd omnes illi, qui simoniacè ordinati fuerint, à suorum sint ordinum executione suspensi.*

Secunda conclusio. Qui recipit ordines simoniacè ignoranter, vt qua[illegible]o cognatus, vel amicus me ignorante dat pretium Episcopo, vt conferat mihi ordines, manet suspensus ab ordine sic suscepto; ita Sylvest. suprà. & D. Thom. 2. 2. q. 100. art. vlt. ad 3. & Aragon ibi. concl. 4. vbi expressè loquitur de ignorantia omninò inculpabili; intelligo autem, quòd manet suspensus non suspensione, quæ sit censura, vt ampliùs patebit ex conclusione sequenti.

Contra conclusionem hanc videtur tenere P. Henrique num. 4. nisi explicetur de suspensione, quæ sit verè censura, & quæ non incurritur nisi propter culpam; addit etiam, quòd non incurrit suspensionem, quamuis post ordinationem ratificet promissionem pecuniæ ab amico factam, & eam soluat. Rationem eius colligo ex eodem lib. 4. de irregularit. cap. 12. num. 10. quòd licèt ratihabitio comparetur mandato quoad culpam, non tamen quoad pœnas iuris, nisi expressè caueatur; sed hæc resolutio apertè videtur contra D. Thom. suprà, ad 3. vbi etiam loquens de promissione facta ab inimico fraudulenter, (quo casu secundùm omnes non incurritur suspensio) addit D. Thom. nisi fortè postmodùm pacto consenserit, soluendo quod fuit promissum; & confirmatur: nam licèt ille, qui non ratificando pactum, soluit pecuniam se ignorante promissam ab amico, ne amicus patiatur hanc iacturam, non incurrit simoniæ pœnas, vt tradit Nauarr. consil. 10. de simonia. num. 7. at verò si ratificat, & soluit, incurrit, vt efficaciter probat Nauarr. ibidem. idémque tenet glossa cap. penult. de elect. verb. ratum non habente. vbi dicit, *Aliàs si postea consentiret, idem esset, ac si ab initio procurasset*; & ad argumentum respondetur, quòd in iure expressum est, ratihabitionem habere locum in simonia, vt patet ex dicto cap. penult. iuncta glossa iam citata.

Est autem maximè aduertendum, quòd simonia, quæ committitur in Reuerendis, censetur commissa in ordine, sic Nauarr. consil. 58. de simonia. in fine. quas verò pœnas incurrat in foro exteriori simoniacus in ordine, videte in Nauarr. consil. 341 de simonia.

Tertia conclusio. Qui ordinatur ab Episcopo simoniaco, sed non recipit ordines simoniacè, quia Episcopus in hanc ordi

ordinatione non committit simoniam, sed iam aliàs commiserat eam, distinguendum est: nam si sciebat Episcopum esse simoniacum, manet suspensus ab ordine sic suscepto, suspensione, quæ sit verè censura; si verò ignorabat, manet suspensus, non tamen suspensione, quæ sit verè censura.

Prima pars habetur expressè in can. si qui à simoniacis. 1. q. 1. Secundam partem tenet glossa ibidem. Sylvest. & Angel. locis citatis. dub. 8. in 4. casu. vbi expressè loquuntur de ordinato ab Episcopo simoniaco; idem tenent Innocent. relatus à Sylvest. verb. suspensio. q. 7. & Panormit. c. de simoniacè. rit. de simonia. n. 6. qui duo ex glossa sic explicant dictum c. de simoniacè. in illis verbis, *possunt in suis ordinibus remanere*, scilicet per dispensationem; quæ interpretatio licèt prima facie non videatur quadrare textui, quadrat tamen attento cap. præsentium portitorem. 1. q. 5. vbi decernitur, quòd ordinatus per simoniam à patre ipso filio ignorante commissam, si Ecclesia indigeat, fungatur sacerdotio, aliàs maneat suspensus; denique idem tenet expressè D. Thom. 2. 2. suprà, ad 2. vbi dicit, quòd nullus debet recipere ordinationem ab Episcopo, quem scit simoniacè promotum; & si ordinetur, non recipit ordinis executionem, etiamsi ignoret eum esse simoniacum; vbi clarè loquitur D. Thom. de ignorantia inculpabili, præcipuè cùm sit ignorantia facti alieni, quod faciliùs ignoratur inculpabiliter; & ratio nostræ resolutionis est, quòd in hoc casu Episcopus punitur in sic ordinato, vt innuit glossa citata, & nos diximus cap. 5. de excommunic. disput. 5. dub. 10. ad 2.

Quarta conclusio. Qui confert ordines simoniacè secundùm ius antiquum, tantùm erat suspensus per triennium, & non absolutè, sed solùm à collatione ordinum, vt patet ex cap. penult. de simonia, at verò secundùm ius nouum manet priuatus ab executione omnium suorum ordinum, vt patet ex Extrauag. 2. de simonia, ibi enim excommunicatur ipso facto, & per consequens priuatus manet executione omnium ordinum, & hæc Extrauagans loquitur absolutè, siue hoc vitium sit publicum, siue occultum.

Quinta conclusio. Nonnulli dicunt, quòd simoniacus in beneficio est suspensus ipso iure; sic Angel. verb. simonia, 6. num. 2. Sylvest. verb. suspensio. q. 7. p. 2. P. Henrique lib. 13. cap. 37. num. 5. immò & D. Thom. art. citato. ad 2. Sed oppositum tenet Nauarr. cap. 23. num. 111. dicto 3. vbi citat Innocent. dicentem, quòd simoniacus in beneficio, peracta pœnitentia, & relicto eo beneficio, potest celebrare. Idem tenet consil. 35. & 61. de simonia. & Villadiego cap. 7. de irregularit. qui loquitur, quando est occultus. Et probatur, quia nulla pœna est dicenda incurri ipso iure, nisi lege id caueatur, glossa recepta in cap. fin. de iure patronatus. & tamen nullus est text. imponens huiusmodi suspensionem. Si opponas cap. præter. 32. d. vbi habetur, simoniacos non esse admittendos ad sancta ministeria, (quem textum allegat pro se P. Henrique) respondetur, quòd cùm iste text. non faciat expressam mentionem de simoniaco in beneficio, intelligendus est de simoniaco in ordine, qui etiam per alios textus est suspensus; quæ solutio est de mente glossæ verb. officium. Sed nota, quòd simoniacus in beneficio est excommunicatus per prædictam Extrauag. 2. de simonia. & in hac conclusione loquuti sumus de suspensione quoad ordines. Loquendo autem de suspensione quoad beneficia, sit

Sexta conclusio. Qui ignoranter, & inculpatè recepit beneficium datum per simoniam alienam, vt si pater filio insciò emit illud ab Episcopo, dicitur suspensus ab eo tantùm beneficio, quamuis curatum sit, quia illius non habet verum titulum, nec retinere potest sine noua dispensatione, & collatione, immò in rigore loquendo, hæc non est suspensio: nam suspensio debet esse eius, quod possideo, & est meum. Dixi, *quamuis curatum sit*, contra Sylvest. verb. suspensio. q. 7. p. 2. dicentem, quòd

quòd si beneficium est curatum, manet suspensus ab omnibus aliis beneficiis etiam ritè acquisitis; sed nostram sententiam tenet Angel. verb. simonia. 6. num. 2. in fine. & P. Henrique lib. 13. de excommunic. cap. 37. num. 5. & aliqui Thomistæ. Et potest probari à simili, ex cap. præsentium. 1. q. 5. vbi ordinatus per simoniam se ignorante ab alio commissam tantùm manet suspensus ab ordine sic suscepto. Et ratione probatur, iste non deliquit, ergo non est puniendus in beneficiis ritè acquisitis.

Septima conclusio. Qui post beneficia ritè acquisita recepit collationem alterius beneficij per simoniam realem, fit in foro exteriori suspensus ab omnibus beneficiis etiam ritè susceptis, & illorum fructibus, sed in foro conscientiæ dimisso beneficio simoniacè obtento, & absolutus ab excommunicatione potest frui primis beneficiis ritè susceptis; sic P. Henrique suprà.

Disputatio VI.

De absolutione à suspensione.

De hoc tractat P. Henrique lib. 13. de excommunic. cap. 35.

Dvbitatvr primò, quis possit absoluere à suspensione via ordinaria?

Prima conclusio. Quando suspensio imposita fuit ad certum tempus, verbi gratia, per mensem, vel sub conditione, verbi gratia, *donec satisfeceris*, adueniente termino, vel facta satisfactione, cessat sine noua absolutione, siue imposita sit à iure, siue ab homine, siue pro contumacia, siue pro culpa præterita; sic Angel. verb. suspensio. q. 4. Sylvest. q. 8. Anton. 3. p. tit. 28. cap. 4. circa finem. Nauarr. cap. 27. num. 161. qui testatur esse communem sententiam; & P. Henrique suprà num. 2. vbi citat multos. Vide dicta de excommunicatione, vbi de hoc latiùs egi.

Secunda conclusio. Parochus, & Confessor ordinarius non possunt via ordinaria absoluere à suspensione, siue sit lata ab homine, siue à iure; sed requiritur facultas eius, ad quem iure communi pertinet talis absolutio; sic P. Henrique, & alij communiter, neque est eadem ratio de excommunicatione, (à qua, si sit à iure, & non reseruata potest absoluere Parochus, & Confessor ordinarius) quoniam absolutio ab excommunicatione debet necessariò præcedere absolutionem à peccatis, secùs est de absolutione à suspensione.

Tertia conclusio. A suspensione lata ob contumaciam, siue à iure communi, siue particulari absolutè, & sine termino, & non reseruata, potest absoluere Episcopus; sic Innocentius receptus communiter, & Nauarr. cap. 27. num. 162. Probatur argumento cap. nuper. de sentent. excomm. melior textus cap. ex literis. de constitutionibus. Probo etiam gloss. cap. at si Clerici. de iudiciis. verb. minora. quæ ait, quòd Episcopus vbicumque potest dispensare, vbi non inuenitur prohibitum; idem tenet Ioan. Andr. & alij relati à Sylvest. verb. dispensatio. num. 14. q. 9. Dixi, *absolutè, & sine termino*: nam quando imponitur ad certum tempus, verbi gratia, per mensem, non potest Episcopus absoluere, scilicet ante impletum terminum, sed tantùm conditor canonis, siue talis suspensio imposita sit pro delicto, siue pro contumacia; sic Paludan. in 4. d. 18. q. 7. in fine. Sylvest. verb. suspensio. q. 8. Angel. verb. suspensio. n. 4. cum gloss. cap. cupientes. de elect. in 6. & in Clement. 1. de hæreticis. P. Henrique suprà. Bernard. Diaz in sua Practic. cap. 67. num. 1. & alij, quos refert, & sequitur Couarr. 4. Decretal. cap. 6. num. 14. idem tenet expressè Panormitan. cap. quàm sit graue. de excessibus Prælatorum. in fine. quamuis contrarium videatur sentire in cap. tam ex literis. de testibus. num. 3. Ratio glossæ est, ne frustretur effectus huiusmodi suspensionis; limitanda est tamen hæc conclusio post Concilium Tridentinum, quando suspensio imposita est propter delictum occultum: tunc enim potest Episcopus

scopus absoluere etiam ante impletum terminum, sic P. Henrique suprà, consideratis quæ dicit Sylvest. ver. dispensatio. qu. 9. dico, quòd tenet nostram conclusionem.

Quarta conclusio. Quando suspensio lata est à iure absolutè, & sine termino, & imposita est propter delictum iam præteritum etiam grauius adulterio, si non sit reseruata Papæ, potest Episcopus ab ea absoluere, & loquimur etiam stando in iure antiquo. Hæc conclusio partim est contra Nauarr. consil. 3. de ætate & qualit. ordinandorum. & in Manual. cap. 27. num. 162. vbi citat Panormit. & Felin. & contra P. Henrique, & contra Sylvest. & idem dicit lib. 14. cap. 5. num. 3. in fin. & Villad. capit. 16. de irreg. §. quæro an per pœnitentiam. quidquid dicat Nauarr. & contra alios dicentes, quòd licèt possit Episcopus absoluere, quando suspensio est imposita propter adulterium, vel delictum leuius adulterio, non tamen quando est imposita propter delictum grauius adulterio: Delicta minora adulterio sunt venatio, ludus aleæ, vinolentia. P. Henrique lib. 14. c. 20. n. 4. in fin. & incestus spiritualis; ita Nauarr. lib. 1. Cons. cons. 1. de in integ. restit. at incestus carnalis est maius, Nau. ibid. Et loquitur de incestu cum matre & filia carnali, secus in remotiori gradu, vide pro alio delicto consi. 3. de ætat. & qualit. ord. q. 2. sed nostram sententiam tenet glossa Clement. 1. de hæreticis. §. penult. verbo, excommunicationis. & cap. cupientes. §. cæterum. verb. suspensus. de elect. in 6. quas fatetur Nauar. communiter esse receptas in suis locis, & ratio desumitur ex cap. nuper. de sententia excommunication. vbi dicitur, quòd quia conditor canonis non reseruauit sibi absolutionem excommunicationis, eo ipso concessisse videtur facultatem aliis relaxandi, sed nullibi inuenitur reseruatio huiusmodi suspensionis, ergo. Et idem dico de quibusdam Abbatibus, & de Prælatis Religionum, qui habent iurisdictionem quasi Episcopalem, sic habetur ex P. Henrique, quamuis ipse non tuetur conclusionem tam generaliter sicut nos, at verò in casibus, in quibus ait posse Episcopum, etiam concedit posse prædictos Abbates & Superiores. Dixi, *stando in iure antiquo*: nam post Tridentinum, potest Episcopus absoluere, quantumuis graue sit delictum, dummodò sit occultum, vt posteà dicemus.

Quinta conclusio. Stando in iure antiquo, à suspensione lata ab homine nullus potest absoluere, nisi qui eam tulit, vel eius successor, aut Superior; ita Nauarr. P. Henrique vbi sup. & est communis sententia. Sunt tamen duo casus, in quibus qui suspendit non potest absoluere. Primus est, si clerici vel Regulares per suum ordinarium sint suspensi ab Officiis, eò quòd sacramenta, aut sepulturam contulerint hæreticis, vel quia ab eis receperunt eleemosynas & oblationes. Hæc absolutio reseruatur Papæ. cap. excommunicamus. el 1. §. credentes. de hæreticis. Secundus est, quando aliquis per ordinarium, vel per Concilium prouinciale suspensus est, eò quòd facta secunda correctione adhuc confert beneficia indignis: huiusmodi enim suspensio præterquàm à summo Pontifice, vel proprio Patriarcha, si sub eius iurisdictione sit, relaxari non potest, text. optimus. c. graue nimis de præbendis. ita Sylvest. & P. Henrique vbi suprà.

Sexta conclusio. A suspensione reseruata ille solus poterat iure antiquo absoluere, cui reseruabatur, vel eius superior, vel successor.

Septima conclusio. Per concilium Trident. sess. 24. c. 6. de reformat. potest Episcopus sibi subditos absoluere ab omni suspensione, etiam reseruata Papæ, dummodò proueniat ex delicto occulto, nec deducto ad forum contentiosum; si autem procedat ex delicto non occulto, seruandum est ius commune. sic P. Henrique num. 3.

Dvbitatvr secundò, quis possit ex commissione absoluere à suspensione? Conclusio. Per Bullam cruciatæ potest quis absolui à suspensione; hæc est communis sententia, & patet: nam ibi habetur, quòd possit

possit absolui à quacunque censura ecclesiastica, sed suspensio est verè censura, cap. quærenti, de verborum significatione. ergo.

Hinc sequitur, quòd per priuilegia Societatis Iesu potest quis absolui à suspensione: nam habent similem clausulam.

DVBITATVR tertiò, de eo qui absoluendus est à suspensione.

Prima conclusio. Inuitus, vel absens potest absolui à suspensione, quia suspensio est pœna.

Secunda conclusio. Qui est irretitus pluribus suspensionibus, bene potest absolui ab vna, & non ab aliis.

Tertia conclusio. Quando plures suspensiones sunt ab eodem Iudice, si absoluat ab vna, præsumitur intendere ab omnibus absoluere, nisi manifestetur contrarium; at verò quando sunt à diuersis Iudicibus, ex hoc quòd absoluatur ab vna, non manet absolutus ab omnibus, nisi alij committant suas vices.

DVBITATVR quartò de modo seruando in absolutione à suspensione.

Prima conclusio. Non sunt aliqua verba determinata.

Secunda conclusio. Communiter viri docti vtuntur hac forma: *Absoluo te à vinculo suspensionis, quam incurristi ob hanc, vel illam causam, & restituo te pristinæ executioni.*

Tertia conclusio. In criminibus grauibus exigendum est iuramentum de parendo mandatis Ecclesiæ, sicut diximus in absolutione ab excommunicatione. sic P. Henrique nu. 3. & in iis tantùm casibus intelligendus est Nau.

Circa quartam conclusionem dubij primi notandum, quòd licèt teneamus cum Nau. & aliis, Episcopum non posse dispensare in delictis adulterio grauioribus, potest tamen in incestu spirituali, quia est leuius adulterio, ita Nau. lib. 1. Consil. con. 1. de in integr. rest.

Præterea notandum, quòd in quibus potest Episcopus dispensare, potest etiam post sententiam; ita Nauar. consil. citato, & alij quos citaui. ego in quodam consil. ver. suspensio. Hæc de suspensione.

QVARTA

QVARTA PARS.

De degradatione, & depositione.

De hac materia tractant Summistæ in eisdem titulis; Bernardus Diaz in sua Practica.c.139.P.Enri.lib.13.de excommunicatione. c.55. & Didacus Perez 8.libro ordinamenti.tit.4.leg.3.colum.12.

DISPVTATIO VNICA.

De degradatione, & depositione.

DVBITATVR primò de definitione, proprietatibus & effectibus degradationis, & depositionis? Imprimis antequàm definiatur, est dividenda; duplex enim est degradatio, scilicet verbalis, & realis seu actualis. Realis est, qua clericus realiter degradatur; verbalis (quando in verbali sententia finitur causa) est, qua verbaliter tãtùm degradatur, & Iudex non intendit procedere ad realem degradationem, sed sola verbali est cõtentus; & licèt aliquando degradatio sumatur pro depositione, vt ait Sylvest. ver. degradatio. in princ. & habetur ex ca. si quis Sacerdotum. 11. q. & c. 1. de homicidio voluntario. tamen propriè loquendo, depositio, & degradatio verbalis sunt idem. c. degradatio. de pœnis. in 6. ibi, *verbalis degradatio, seu depositio*, & cap. si quis laicus. 22. quæst. 5.

Sit prima conclusio. Degradatio verbalis, seu depositio est ecclesiastica pœna, vel priuatio, qua vir ecclesiasticus priuatur vniuersaliter ab omni officio & beneficio ecclesiastico in perpetuũ absque spe restitutionis, retento tamen priuilegio clericali. Realis autem degradatio est ecclesiastica pœna, vel priuatio, qua vir ecclesiasticus priuatur vniuersaliter ab omni officio & beneficio ecclesiastico, & ab omni priuilegio clericali in perpetuũ sine spe restitutionis. Hinc sequitur primò, quòd degradatio actualis est executio degradationis verbalis, seu depositionis.

Secundò sequitur differentia degradationis & depositionis à suspensione, prout latiùs explicata est in materia de suspensione in principio, ab irregularitate autem differt. Primò, quia irregularitas superueniens non priuat titulo beneficij iam quæsiti, vt tradit Nauar. c. 27. n. 249. dicto 5. Degradatio autem & depositio priuant eo. Secundò differt: nam irregularitas incurritur ipso iure tantùm, & absq; solemnitate, & aliquando non priuat vsu ordinis suscepti, vt tradit Nauar. eodem n. dicto 6. contrarium autem reperitur in degradatione, & depositione.

Tertiò sequitur differentia inter degradationem realem & verbalem seu depositionem: primò enim differunt quoad solemnitatem, vt postea dicemus; secundò differunt: nam realis degradatio aufert priuilegium clericale. cap. degradatio. de pœnis. in 6. quod tamen non aufert verbalis degradatio, nisi depositus sit incorrigibilis: tunc enim perditur vtrumq; priuilegium, fori scilicet & Canonis; sic Angel. ver. degradatio. n. 1. Sylvest. n. 8. Naua. c. 27. n. 81. Bernardus Diaz c. 139. citato.

Sed circa hoc duæ oriuntur dubitationes. Prima est, vtrùm requiratur sententia declarans depositum esse incorrigibilem: secunda, vtrùm ad hoc quòd dicatur incorrigibilis, necessarium sit, quòd redeat ad eadem delicta, propter quæ fuit depositus.

Et quidem quoad primam dubitationem Felinus c. cùm non ab homine. de iudiciis. tenet necessariam esse sententiam, & allegat pro se Geminianum: nam licèt sententia sit imposita per aliquam legem ipso facto, non tamen incurritur ante sententiam declaratoriam criminis, dummodò non sint pœnæ, quæ secum trahunt executionem; apponit tamen Felinus quàdam limitationem, nisi incorrigibilitas esset adeò notoria, vt æquiualeat sententiæ Iudicis. Panormitanus autem dicto c. cùm non ab homine. n. 28. dicit, primò non esse necessariam sententiam; secundò dicit, quòd non propter quamlibet incorrigibilitatem perdit depositus priuilegium clericale, nisi priùs seruetur forma tradita in dicto cap. cùm non ab homine. nempe quòd Ecclesia excommunicat depositum præmissis tribus monitionibus; si hoc non prodest, anathematizat illum; si petit pœnitentiam, recipitur ab Ecclesia, si non, clara est incorrigibilitas, & tunc potest Iudex secularis illum capere, & cùm tot præcedant solemnitates, non requiritur alia sententia. Et hæc opinio est conformior dicto ca. cùm non ab homine. & eam amplectitur Autor quidam citatus ab Additionatore ad Bernardum Diaz, dicto c. 139. verbo incorrigibilis. & ait, quòd ita amplectuntur communiter Doctores. Verum est, quòd si Ecclesia, postquàm deposuit clericum, nolit procedere hoc ordine tradito in dicto ca. cùm non ab homine. quia non habet spem correctionis illius, tunc si non corrigatur, poterit illum declarare incorrigibilem, & per consequens Iudex secularis poterit illum capere, & in hoc casu erit vera sententia Felini; scilicet quòd requiritur sententia.

Quoad secundam verò dubitationem Antonius de Butrio citatus à Panormitano sup. n. 30. dicit, quod depositus tunc dicetur incorrigibilis, quando redit ad priora delicta, vel perseuerat in illis; Panormita. verò ait, sufficere, quòd committat alia delicta; quod intelligendum est, quando sunt similia delicta, vel grauiora, vt notat quædam glossa ad Panormitanum, quæ fundatur in c. vt famæ tuæ. de sententia excommunicat. ibi, *ad similia, vel peiora facilè laberentur*; idem tenet Bernardus Diaz c. 139. citato. n. 2. & Decius ibidem citatus.

Ex his sequitur quartò, quòd percutiens degradatum realiter, vel depositum incorrigibilem, non incurrit excommunicationem, & secularis Iudex potest illum capere, ac punire. Sed inquiris, vtrùm omnes magistri triremis, scilicet, *comitre de galera*, percutiens clericum degradatum verbaliter, vel depositum damnatum ad triremes, incurrat excommunicationem canonis, si quis suadente? Respondeo, quòd si percutiat illum sicut reliquos remigantes, propter pertinentia ad suum officium, non incurrit: nam id facit tanquàm minister & executor Prælati, qui damnauit illum ad triremes: consequenter enim damnauit eum ad supplicium, quo puniri solent reliqui remigantes; at verò si aliquis rixando cum illo percutiat eum, qui neque est degradatus realiter, neque est incorrigibilis, incurret excommunicationem canonis.

Secunda conclusio. Degradatus si sit in sacris, tenetur recitare Horas Canonicas, tenet Sylu. verb. degradario. q. 8. Tabien. §. 2. Ang. num. 4. Nauar. de oratione. cap. 7. num. 17. vbi dicit esse communem, tenet etiam in c. 21. eiusdem tractatus. n. 17. & si non est excommunicatus, potest recitare cum socio; vt ostendi c. 6. de excommunic. disp. 4. dub. 6.

Tertia conclusio. Deposito verbaliter à beneficio assignandæ sunt expensæ, ne egeat. ita Felinus c. ex parte. de accusationibus. vbi citat glossam in cap. quoniam multos. 11. q. 3. Panormitan. in cap. Pastoralis. § verum. de appellationibus. & alios. Dico, *verbaliter*: nam secus est in depositio realiter, quia Ecclesia non curat amplius de ipso. sic Felinus.

Quarta conclusio. Depositus verbaliter tenetur clericaliter viuere, si quidem retinet priuilegium fori. ita Felinus ibidem & citat

& citat glossam in cap. dudum. 80. dist.

Quinta conclusio. Sacerdos degradatus realiter vere conficit corpus Christi. ita D. Thom. 3. p. q. 83. art. 3. & omnes: nam character sacerdotalis est indelebilis.

DVBITATVR secundò, à quo imponatur degradatio?

Prima conclusio. Episcopum solus Papa potest deponere. sic Panormita. cap. grauem nimis. de præbendis. n. 4. & c. non potest. de sent. & re iudicata. num. 5. & est textus cap accusatus. & c. quamuis. 2. q. 6. Loquendo autem de regularibus. sit

Secunda conclusio. Suus Prælatus regularis non potest iure communi deponere, nec degradare suos subditos, nisi comperat ei consuetudine, vel priuilegio. ita Nauar. lib. 3. Consiliorum, consilio 58. de regularibus. n. 3. Et quoad priuilegium attinet, nullum tale inueni in compendio Minorum; cæterùm in compendio Societatis Iesu, verb. Prælatus. §. 3. est quoddam priuilegium, quod credo extendi ad hunc casum, quantùm ad depositionem verbalem tantùm: nam ibi conceditur Prælatis Mendicantium totum quod potest Episcopus in suos subditos. Loquendo autem de clericis. sit

Tertia conclusio. Sententia degradationis solùm potest fieri à proprio Episcopo, sic P. Enri. dicto c. 55. num. 2. & est textus expressus cap. degradatio. de pœnis. in 6. Et patet: nam hæc est sententia, & grauissima quidem, ergo non potest ferri nisi à proprio Prælato.

Vtrùm verò Episcopus confirmatus nondum consecratus possit degradare? Supponendum est imprimis, hîc esse tres actus. Primus est, cognoscere de crimine merente degradationem: secundus est, ferre sententiam: tertius est, exequi degradationem actualem; & quidem de tertio actu Doctores omnes vnanimiter conueniunt fieri non posse ab Episcopo nondum consecrato, quia est actus pertinens ad ordines. De reliquis actibus, est controuersia.

Nam est prima opinio aliquorum, qui vt refert Panormita. c. transmissam. de electione. circa finem. dicunt, quòd Episcopus nondum consecratus, ne primum quidem actum præstare potest.

Secunda opinio est aliorum, quòd potest primum actum, sed non secundum. Hanc tenet Ambrosius de Butrio relatus ab Immola dicto c. transmissam. & in eandem inclinat ipse Immola, eandem tenet Sarmiento lib. 2. Selectarum. cap. 14. num. 9. versus verum est. Didacus Perez lib. 8. ordinamentorum. tit. 4. leg. 3. colum. 17. in fine. Et quamuis Panormita. dicto capit. transmissam. videatur sequi hanc opinionem, tamen tenerà sequitur primam, ibi, & in c. non potest. de sentent. & re iudicat. nu. 3. Fundamentum huius secundæ opinionis est, quòd hic actus est ordinis, non iurisdictionis.

Tertia opinio est, quòd Episcopus nondum consecratus potest facere secundum actum. Hanc tenet Cardinalis Florentinus citatus à Ioanne Immola dicto c. trãsmissam. Hostiens. & Ioannes de Lignano, citati à Panormit. eodem c. eandem tenet Ioannes Andreas, licèt cum quodam temperamento, scilicet quòd hæc sententia confirmetur ad eius preces per Episcopos vicinos. sit

Quarta conclusio. Quamuis secunda opinio fortassè verior sit in rigore iuris, cui videtur fauere dictum c. transmissam. de electione. Ego tamen tertiam amplector, quia est magis recepta in praxi. vt patet: nam Inquisitores, quamuis non sint Episcopi, proferunt huiusmodi sententias contra clericos hæreticos, & etiam præcedente anno Capitulum Cuzquense, sede vacante, protulit sententiam degradationis actualis contra quendam Sacerdotem, propter enorme quoddam homicidium. Et probatur conclusio: Huiusmodi sententia non est actus ordinis, sed iurisdictionis, ergo. Verùm quia tota difficultas in probando antecedenti consistit, probatur, primò: nam si pertineret ad actum ordinis, fieret ab Episcopo induto Pontificalibus, sicut fit ipsa executio degradatio-

nis. Secundò : nam hæc sententia non est aliud quàm punire delictum, ergo pertinet ad iurisdictionem. Tertiò, si hæc sententia ferretur ad Episcopo consecrato, qui renunciauit Episcopatui, non teneret, ergo non est actus ordinis. Probo consequentiam; nam si huiusmodi Episcopus conferat ea, quæ sunt ordinis, facta tenent. Quartò, Episcopi, qui debent assistere huiusmodi sententiæ, iudicat simul cum Episcopo proprio, & per cõsequens sunt verè Iudices, vt videbimus postea; sed loco horum Episcoporum possunt modò assistere Abbates, vel aliæ personæ in dignitate constitutæ, vt vult concilium Tridentinũ sess. 13. c. 4. ergo non est actus ordinis, sed iurisdictionis. Et per hoc patet ad fundamentum secundæ opinionis.

Ex dictis sequitur primò, quòd Episcopus suspensus à Pontificalibus tantùm bene potest ferre sententiam degradationis actualis.

Secundò sequitur, quòd Capitulum, sede vacante, potest ferre huiusmodi sententiam; ita tenet Paulus tractatu de officio & potestate Capituli sede vacante, in princ. & latiùs postea agens de potestate Capituli circa hæreticos, quamuis contrarium teneat Panormit. c. at si clerici. de iudiciis. §. de adulteriis, versic. sed circa hæc moueo vnum notabile dubium & dicto c. transmissam. loco citato, fundatus in sua opinione, quòd hic actus pertinet ad ordinem; sed reprobatur nostra sententia: nam Capitulum succedit Episcopo in iis quæ sunt iurisdictionis.

DVBITATVR tertiò, propter quæ crimina imponenda est degradatio? Prima conclusio. Pro nullo crimine quantũcunque graui imponitur degradatio, nisi sit expressum in iure. sic Ananias, & Antonius de Butrio, quos refert & sequitur Bernardus Diaz in sua Practica. c. 140. n. 1. P. Enri. c. 55. citato n. 5. in glossa, litera M. tenet Panormita. in cap. at si clerici. de iudiciis. vbi Iudices admonet, quòd non attendant multùm antiquos Canones: nã de facili imponebant pœnã depositionis.

Secunda conclusio. Quando ius imponit pœnam depositionis, intelligitur de verbali. sic multi Doctores, quos refert, & sequitur Bernardus Diaz c. 140. nu. 4. idem tenet Geminianus cap. degradatio. de pœnis. in 6. & P. Enri. dict. c. 55 num. 3. quia in pœnis mitior pars est amplectenda.

Tertia cõclusio. Crimina digna verbali depositione sunt, adulterium, & illo grauiora, stuprum virginis, & concubinatus diu continuatus, & notorius post monitiones. ita Nauar. c. 27. n. 248. & P. Enri. n. 6. videte legem 61. partita 1. tit. 6. quæ solùm est intelligenda de degradatione verbali, vt dicit Gregorius Lopez ibi verbo, *degradar*, & patet: nam lex ait, quòd clericus sic degradatus debet viuere tanquàm clericus.

Quarta conclusio. Crimina digna reali degradatione sunt quodlibet delictum graue, & scandalosum. sic Panormitanus c. nouimus. de verborum significatione. n. 3. & alia delicta maiora iis: quæ relata sunt in præcedenti conclusione. sic P. Enri. nu. 3.

Quinta conclusio. Non omnis degradatus realiter tradendus est brachio seculari, sed in tribus casibus. Primus, in crimine hæresis, nisi in continenti pœniteat. ita Panormita. citatus à Syluest. suprà n. 4. secundus, in falsario literarum Papæ; tertius, cùm quis deponitur propter calumniam, quã intulit Episcopo qui casus procedit in incorrigibili; ita Sylvest. & communiter approbatur hoc tanquàm mitius in c. finali. de testibus cogẽdis. & in c. cùm non ab homine. de iudiciis, vt testatur Gregorius Lopez lege statim citanda. verbo, *denotasse*. Hanc conclusionem tenet Tabien. verb. degradatio. n. 4. & est lex 60. tit. 6. partita 1. præ primum casum extendit ad falsarios literarum, vel sigilli Regis; sed ibi aduertit Grego. Lopez, hunc non esse degradandum actualiter, sed verbaliter. Adde post Pium V quartum casum, in quo tradendus est brachio seculari, scilicet in crimine sodomiæ. de quo latè Nauar. c. 27. n. 249. Alios casus refert

Bernardus

Bernardus Diaz c. 1. 38. videte c. inceſtuoſi, 23. q. 5. Denique addendum eſt, quòd pro quocũque crimine valdè damnoſo & pernicioſo Reipublicæ poteſt tradi brachio ſeculari. ita Sylu. nu. 4. citato. Didac. Perez ſuprà colum. 17. Guido Papa, Alciatus, Felinus, Ancharanus, & alij relati à Couarru. 2. Variarum. c. 20. n. 7. quamuis contrarium teneat Bernardus Diaz c. 96. circa finem, & eius Additionator, verbo, non expectata incorrigibilitate, qui fundatur in c. cùm non ab homine. Sed reſpondeo cum Sylueſtro, iſtud c. loqui de ſimplici homicidio, non de qualificato: nam cùm pro ſimplici homicidio, aut furto iſte Canon deponat, videtur, quòd in homicidio qualificato, vel pro iterato, vel pro delictis valdè enormibus non reperiantur ſecundùm canones pœnæ condignæ, & conſequenter quòd debeat tradi curiæ ſeculari, & quòd ſicut traditur, quando non poteſt de facto corrigi propter duritiem, & obſtinationem eius, ita tradatur, quando non poteſt de iure corrigi propter defectum pœnæ: ſic Petrus de Ancharano, quem ſequitur Sylueſt. Idem tandem admittit Couarru. in aliquo caſu valdè pernicioſo arbitrio diſcreti Iudicis, & de homicidio qualificato id tenet expreſsè Panormita. c. 1. de homicidio. in fine. loquens de homicidio ita qualificato vt non videatur ſufficere ipſa depoſitio: tunc enim debet deponi, & tradi curiæ ſeculari, vt moriatur, Idem tenet Gregor. Lopez leg. 61. citata, verbo, homicidio. & hoc eſt magis receptum in praxi, vt teſtatur Alciatus dicto c. cùm non ab homine. n. 22. Decius, & alij citati à Couarru. dicto nu. 7. & à Gregor. Lopez dicta leg. 61. idem teſtatur Guilielmus Benedictus in 5. parte repetitionis; c. Raynutius. de teſtamentis. fol. 41. in proceſſu præuentionali, vbi refert, quendam presbyterum traditum eſſe curiæ ſeculari propter homicidium qualificatum, & Bernardus Diaz c. 96. refert, quatuor Religioſos, qui prouincialem ſuum occiderunt Hiſpali, per Archiepiſcopum delegatum à ſede Apoſtolica publicè fuiſſe degradatos, & ſtatim traditos curiæ ſeculari, furcáque ſuſpenſos, ad quam ſententiam vocati fuerunt multi Iuriſperiti magnæ autoritatis.

Vltimò eſt aduertendum, quòd non in omnibus caſibus, in quibus clericus degradatus traditur brachio ſeculari, puniẽdus eſt pœna mortis, vt conſtat ex leg. 60. citata, in illis verbis, *Que muera, ò que aya otra pena ſegun el fuero de los legos.*

DVBITATVR quartò, de forma ſeruanda in degradatione, & depoſitione? De qua quæſtione, multa tractat Panorm. in c. non poteſt. de ſententia, & re iudicata.

Prima concluſio. Sine accuſatore nemo eſt degradandus, licet aliàs ſit puniendus alia pœna; ita Bernardus Diaz c. 140. n. 2. vbi citat Hoſtienſem.

Secunda concluſio. Sententia degradationis contra Epiſcopum facienda eſt per Metropolitanum conuenientibus Epiſcopis totius Prouinciæ, qui ad minus debẽt eſſe duodecim vltra Metropolitanum; ita Panormit. in c. non poteſt. de ſent. & re iudic. & habetur ex cap. felix. 15. q. 7. & quamuis ſecundùm ius antiquum poterant illum deponere, modò tamen cognoſcunt vſque ad concluſionem cauſæ, & definitio reſeruatur Papæ, ita quòd nec poſſunt eum condemnare, nec abſoluere; ſi verò Papa deleget deciſionẽ cauſæ, requiritur idẽ numerus Epiſcoporum, niſi aliud exprimatur, quia ius commune non derogatur per generalem delegationem. ſic P. Enri. n. 2. Hæc adde [illegible] agatur contra Epiſcopum conſecratum; at verò ſi agatur contra confirmatum nondum conſecratum, ſufficit numerus ſex Epiſcoporum; quòd ſi ſententia degradationis ſit cõtra presbyterum, requiruntur ſex Epiſcopi vltra proprium; ſi ſit contra diaconum, vel ſubdiaconum, requiruntur tres vltra proprium. cap. fœlix. 15. q. 7. Nunc verò per concilium Trident. ſeſſ. 13. c. 4. de reformatione. loco Epiſcoporum ſufficiunt totidem Abbates cum proprio Epiſcopo, vel eius Prouiſore infulati, id eſt, vſum mitræ, & baculum habentes, ſi com-

modè possint reperiri, alioquin aliæ personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ. Denique si sententia sit contra clericum non constitutum in sacris, sufficit proprius Episcopus in præsentia Capituli, & sufficit, quòd de licentia Capituli sint aliqui præsentes repræsentantes Capitulum, nisi forte consuetudo esset in contrarium. sic Tabien. nu. 1. Tota hæc ferè conclusio desumpta est ex Panorm. dicto c. non potest.

Tertia conclusio. In actuali degradatione, dum executioni mandatur, non requiritur vnus Episcoporum numerus, sed solus Episcopus exautorizat. sic Geminianus cap. degradatio. de pœnis. in 6. Panormita. cap. qualiter. el 2. de accusationibus. P. Enri. n. 2. & Didacus Perez colum. 15. iam citata, vbi refert Ancharanum, & alios multos; practicam autem huius degradationis videre in Sylvestro n. 1.

Quarta conclusio. Post actualem degradationem non requiritur actualis traditio curiæ secularis: non enim traditur realiter, sed verbaliter, declarando, qualiter est exutus clericali priuilegio. Hinc sequitur, quòd post huiusmodi declarationem iam non manet de foro Ecclesiæ, & consequenter potest puniri per Iudicem secularem, vt tenent multi Doctores, quos citat & sequitur Didacus Perez sup. colum. 18. quia Ecclesia iam abdicauit à se dominium eius, & manet vacans, & consequenter fit primò occupantis, vt ait Sylvest. nu. 5. per quæ soluitur argumentum Ioannis de Lignano dicentis, quòd Ecclesia ante traditionem realem non amittit dominium degradati actualiter. Præterea nota, quòd Ecclesia efficaciter, & non ficte interdicit pro eo, vt non moriatur. ita Sylvest. num. 5. & alij.

DVBITATVR quintò, vtrùm Episcopi assistentes in sententia degradationis sint veri Iudices? Prima opinio dicit, non esse Iudices, sed Assessores, & solus Metropolitanus est Iudex.

Secunda opinio, & probabilior, dicit, quòd sunt Iudices. ita Panormitanus cap. non potest. de sentent. & re iudicata. num. 18. P. Enri. num. 2. vbi citat alios; & probatur ex ca. finali. 15. q. 7. ibi, *nec ob vnò damnari, nec vno iudicante*, &c. & cap. fœlix. eadem q. & tit. ibi, *à duodecim Episcopis audiatur*. Hinc sequitur, quòd maior pars Episcoporum debet consentire sententiæ. ita P. Henri. Hæc de depositione & degradatione.

QVINTA

QVINTA PARS.

De interdicto.

De quo tractat Anton.3.p.tit.27.per totum. Palud in 4.d.18.q.8.P.Henr. lib.13.de excommunicatione.à c.41.vsque ad 50. breuiter Soto d.22. q.3. art.1.Ledesm.2.p.4.q.26.art.2.& latiùs Mexicanus in Summa.de sacramentis. sed latissime Doctores Canonistæ. Couarr. c.alma mater. p.2.per totam.Nauar.c.27.à n.164.vsque ad numerum 187.& Summistæ verb. interdictum. Hanc autem materiam in septem diuidam Disputationes. Prima est,de natura & diuisione interdicti,& quos comprehendat: secunda,de causa efficienti & materiali,id est, qui possunt interdicere, & interdici:tertia,de causa & occasione, propter quam imponitur interdictum,& de forma seruanda in imponendo eo:quarta,de effectibus interdicti:quinta,de participatione cum personis interdictis,& de pœnis,quas incurrunt violantes illud,& de causis,quibus aliquis excusetur ab interdicti obseruatione:sexta,de relatione interdicti:septima denique,de violatione Ecclesiæ.

DISPVTATIO I.

De natura & diuisione interdicti.

PRo resolutione supponendum est, quòd interdictū in sua latissima significatione cōprehendit interdictū ciuile & ecclesiasticū. Ciuile est quædā forma verborū, quibus Prætor iubebat aliquid fieri, vel prohibebat,ne fieret,& interdictū in hac significatione non deriuatur ab interdicere,inquātùm est idē, quod prohibere,sed ab interdicere inquātūm est idē quod inter duos dicere.Ecclesiasticū autē interdictū, de quo hic disputamus,sic definitur:Interdictū est cēsura ecclesiastica,qua separatur homo à certis sacramentis, omnibúsq; diuinis Officiis, & ecclesiastica sepultura,quæ definitio colligitur ex c.quod in te.de pœnitentiis & remissionibus.& ex c.non est vobis.de spōsalibús.Cēsura ponitur loco generis,per quā interdictū cōuenit eum reliquis aliis censuris,scilicet excommunicatione & suspēsione; differt tamen à cessatione à diuinis, & abirregularitate, quæ secundùm sentētiā à nobis traditā p.1.dub.5.nō sunt cēsuræ.Ab excōmunicatione autē differt, quia hæc priuat sacramētis,inquantùm sunt cōmunicatio quædam cum fidelibus, interdictum autem priuat eis, inquantum sunt tales actiones ecclesiasticæ, etiam iis, qui non habent officiū & beneficium. De differentia autem interdicti à suspensione, satis dictum est par.3.disputat.1.dub.2.

DVBITATVR primò,quotuplex sit Ecclesiasticum interdictum? Prima conclusio. Interdictum ecclesiasticum est triplex, aliud purè locale, aliud purè personale, aliud mixtum ex locali & personali. Purè locale est, quando tantùm interdicitur locus ne in eo audiantur Officia diuina, ita vt nec ciues, nec exteri possint ibi audire diuina; at verò quæcunque per-

sonæ

sonæ non interdictæ poterunt ea audire in alio loco non interdicto. Purè personale est, quando tantùm personæ, & non locus interdicuntur, & tunc illæ personæ nec hîc, nec alibi poterunt audire diuina, iuxta c. si sententia. de sentent. excommunicat. in 6. Mixtum verò interdictum est, quando & locus & persona interdicuntur. Hãc diuisionem tradunt Syluester verb. interdictum. 1. quæst. 2. Nauar. n. 166. & alij, & quamuis Palud. & Soto suprà, duo tantùm priora membra enumerent, tamen ideò id faciunt, quia istis commemoratis commemoratum censetur tertium membrum, siquidem ex illis componitur, nec est specialis ratio de illo: nam quę seorsum de interdicto purè locali & purè personali dicuntur, de mixto simul dicenda sunt: nam quatenus est locale, iudicandum est de illo, sicut de purè locali, & quatenus est personale, iudicandum est de illo, sicut de purè personali, vt rectè ait Nauar. Interdictum autem, quod vocatur ambulatorium, est illud, quod ponitur in omni loco, vbi adfuerit persona sic interdicta.

De diuisione autem interdicti purè localis magna est controuersia: nam Angelus dicit esse triplex, scilicet generale, speciale, & singulare. Generale vocat illud, quo interdicitur totum Regnum, vel tota Prouincia, vel tota Diœcesis; speciale vocat, quo interdicitur aliqua ciuitas, villa, vel castrum; singulare verò vocat, quo interdicitur aliqua Ecclesia vnius ciuitatis, villæ, vel castri, vel aliquæ, vbi sunt plures.

Sit tamen secunda conclusio. Interdictum locale est duplex, scilicet generale & speciale, seu particulare. Generale est, quo interdicitur regnum, vel prouincia, vel ciuitas, villa, vel castrum; speciale est, quo interdicitur aliquis locus specialis, verbi gratia, aliqua Ecclesia, vel aliquæ. Hanc conclusionem tradit Syluest. v° interdictum. 1. q. 3. Soto art. 1. colum. 4. Couar. §. 1. n. 9. Nauar. n. 166. & alij multi, quæ probatur ex c. cùm in partibus. de verbor. significat. vbi Innoc. III. vocat interdictum generale, non solùm quando interdicitur Regnum, vel Prouincia, sed etiam quando interdicitur ciuitas, villa, vel castrum, & quodcunque aliud interdictum intelligit esse speciale.

Hinc sequitur primò, quòd interdictum vnius Parochiæ, quando sunt plures in eodem oppido, non est generale, sed speciale; ita Couarr. n. 9. citato, & aliqui viri docti, quamuis contrariam sententiam clarè videatur amplecti P. Henricus c. 42. n. 3. & Nauar. n. 166. Probatur: nam, vt ait Syluester cum Panormitano, interdictum locale generale ideò dicitur, quia totum aliquod sine exceptione comprehenditur, Parochia verò, quando sunt plures in oppido illo: non potest dici totum, sed pars, nec locus Parochiæ deputatus potest dici locus vniuersalis, sed particularis, ergo non est interdictum generale, sed speciale.

Sequitur secundò contra Sotum, quòd si non interdicatur totum Regnum, Prouincia, ciuitas, vel castrum, quamuis interdicantur omnes Ecclesiæ ciuitatis vel regni, imò & totius mundi, non est interdictum generale, sed speciale. sic Anton. 3. p. tit. 26. c. 2. §. 1. Couarr. n. 9. citato idem videtur tenere Syluest. q. 3. citata: licet enim definiens interdictum speciale, dicat esse illud, quo interdicuntur aliquæ Ecclesiæ, non omnes, vbi satis insinuat, quòd si omnes interdicantur, erit generale, nihilominùs statim refert Archidiaconum, & Calderinum oppositum docentes, quorum sententiam cùm non refutet, videtur amplecti. Eandẽ sententiã tenet Nauar. & Coua. qui dicunt esse cõmuniter receptã, & probatur ex dict. c. cùm in partibus. vbi illud, Tãtùm interdictũ locale dicitur generale, quãdo interdicitur Regnum, Prouincia, ciuitas, villa, vel castrũ; sed interdictis Ecclesiis Regni, Prouinciæ, ciuitatis, vel castri, non est interdictum Regnum, Prouincia, ciuitas, villa, vel castrum; ergo non est interdictum generale. Minor probatur, quia in eodem Regno, Prouincia, ciuitate, villa, vel castro possunt extra Ecclesiam celebrari Officia diuina, sicut priùs in domibus priuatis.

Nec

Nec obstat, quòd in tali ciuitate, &c. non sit aliqua domus, vel sacellum priuatum habens priuilegium, vt in eo celebretur Missa, quoniam hoc est per accidens: satis est enim quòd possit celebrari in domibus priuatis, si habeant priuilegium.

Loquendo autem de interdicto purè personali, Angel. nu. 1. citato, & nu. 7. & 11. etiam dicit esse triplex, scilicet generale, speciale, & singulare. Generale est, quo interdicuntur omnes personæ totius Regni, Prouinciæ, ciuitatis, villæ, vel castri; speciale est, quo interdicitur aliqua Vniuersitas, vel Collegium personarum contentarum in tali ciuitate, villa, vel castro, siue sit persona certa, siue incerta; vt cùm dicitur, qui hoc fecerit, maneat interdictus ipso facto. Nihilominùs sit

Tertia conclusio. Interdictum purè personale est duplex, scilicet generale & speciale. Generale rectè definitur ab Angelo; speciale autem illud est, quo interdicitur aliqua pars personarum talis communitatis, siue sit vnica tantùm persona, siue plures; ita Sylvest. Soto, Nauarr. & Couarru. locis vbi sup. Differunt tamen Sylvest. & Nauarr. in hoc, quòd Nauarr. vocat interdictum personale generale, quando interdicitur totum Collegium, vel Vniuersitas contenta in ciuitate, quod etiam amplectitur P. Henrique cap. 41. num. 3. in fine. Cæterùm Sylvester rectiùs vocat hoc interdictum speciale, & videtur conformius communi sententiæ & rationi: Vniuersitas enim vel Collegium contentum in hoc oppido non est integra communitas totius oppidi, sed pars tantùm.

DVBITATVR secundò, vtrùm posito interdicto locali, censeatur positum personale, vel è contrà, posito personali, positum locale? Prima conclusio. Posito interdicto locali, licèt sit generale, non censetur positum personale, nisi aliud exprimatur. Hanc tenet communiter Doctores citati, præcipuè Sylvest. ver. interdictum. 2. nu. 7. & Nauar. nu. 167. vnde personæ illius loci possunt extra locum illum audire & celebrare diuina, dummodò non dederint causam culpabilem interdicti: nam si dederunt, nullibi possunt audire diuina, nec celebrare. Hæc conclusio sic explicata habetur in c. sicut. de sentent. excommunicat. in 6. exteri verò non possunt in eo loco audire, nec celebrare diuina, colligitur ex eodem cap.

Hinc sequitur, quòd interdicta aliqua Ecclesia Cathedrali vel Collegiata non ideò censetur interdictus clerus illius Ecclesiæ, vnde poterit in alia Ecclesia, non solùm singuli diuisim, sed etiam simul coniuncti ad modum Capituli, Officia diuina solemniter celebrare, vt rectè dicit Sylvest. ver. interdictum. 2. n. 8. & Couar. §. 1. citato. num. 8.

Secunda conclusio. Posito interdicto personali speciali, non ideò censetur positum locale; ita communiter Doctores. Et probatur: Hæc interdicta sunt diuersa, ergo sicut posito locali, non censetur positum personale, ita nec è contrà, posito personali speciali, censetur positum locale, nisi aliud exprimatur. Hinc sequitur, quòd interdicto clero alicuius Ecclesiæ, non censetur ipsa Ecclesia interdicta; sic Couarru. num. 7. Tantùm superest difficultas, vtrùm posito interdicto generali personali, censeatur positum interdictum locale, quamuis non exprimatur?

Prima sententia est affirmatiua. Hanc tenet Couarru. §. 1. citato. nu. 7. vbi pro ea allegat Sylvestrum ver. interdictum. 2. quæst. 8. Anton. 3. p. tit. 26. cap. 3. circa medium, & alios. eandem tenet P. Henrique cap. 42. in fine; & probatur primò: nam aliàs sequeretur, quòd Iudex ponens huiusmodi interdictum, frustraretur suo fine. Patet: nam si liceret celebrare diuina publicè alta voce, & apertis ianuis, cùm tot homines interdicti propter eorum multitudinem non possint excludi ab Ecclesia, vel à vicinis, facilè audirent diuina.

Secundò, probat Couarru. ex ca. quod nonnullis. de priuilegiis. vbi (vt ipse ait)

definitur, quòd secundùm ius antiquum non poterant celebrari diuina, etiam ianuis clausis, & exclusis interdictis in eo loco, cuius communitas erat interdicta.

Secunda sententia est negatiua; scilicet quòd posito interdicto personali generali, non censetur positum locale, nisi Iudex id exprimat; & hæc est vera & tenenda, quam docet Ioannes Andreas, & Calderinus relati à Couarru. tenet etiam Nauarrus num. 167. Soto distin. 21. quæst. 3. artic. 1. post primam conclusionem. Angelus verb. interdictum. 1. num. 1. qui dicunt, quòd interdicto populo, qui sunt illius populi, nec ibi, nec alibi possunt audire diuina, clerici tamen poterunt in Ecclesiis talis oppidi celebrare diuina solemniter coram exteris: imò eandem tenent in rigore Sylvest. & Anton. citati à Couarru. pro prima sententia; nam solùm dicunt, consulendum esse clericis, vt tali interdicto durante abstinerent à publica celebratione.

Probatur hæc sententia ex cap. si sententia. de sentent. excommunicat. in 6. vbi dicitur, quòd interdicto loco, non censentur interdictæ personæ, nisi aliud exprimatur, ergo etiam è contrà, interdicto populo, non censetur interdictus locus.

Secundò, probatur efficaciùs ex cap. 1 de vsuris. vbi interdicuntur personę illius populi, vel communitatis, quæ receperint vsuratios externos in suis populis, & posteà dicitur, quòd si animo indurato sustinuerint illud interdictum per mensem, ipso facto terræ eorum subiaceant ecclesiastico interdicto. Ergo clarè supponit Pontifex, quòd ad positionem interdicti personalis etiam generalis, non statim censetur positum interdictum locale.

Ad primum primæ sententiæ respondetur, quòd nos loquimur absolutè & per se, loquendo tamen per accidens in casu, quòd sequeretur illud inconueniens tactum in argumento, libenter concedimus, quòd deberent clerici abstinere à celebrando publicè, si aliàs non posset vitari illud inconueniens; hoc tamen non esset, quia locus sit interdictus, sed quoniam aliàs non posset vitari illud inconueniens, sicut quando excommunicatus non toleratus ingreditur Ecclesiam tempore, quo celebrantur diuina, si non posset excludi ab Ecclesia, cessandum esset à diuinis, non quidem ex eo quòd locus sit interdictus, sed ad euitandam participationem in diuinis cum excommunicato non tolerato.

Ad secundum respondetur, mirandum esse, quòd Couarru. non aduerterit capi illud, tantùm loqui de interdicto generali locali, non de personali, vt aduerrit glossa: loquitur enim textus de interdicto communi terræ, ergo si interdictum ciuitatis, villæ, vel castri est locale, à fortiori interdictum terræ erit locale, quia non minùs propriè, imò multò magis nomine terræ significatur locus, quàm nomine ciuitatis, villæ vel castri.

DVBITATVR tertiò, quis locus censeatur interdictus per interdictum generale locale, & quis per speciale? Prima conclusio. Quando interdicitur aliqua ciuitas, etiam intelliguntur interdicta suburbia & ædificia continentia; sic Nauar. num. 167. Couarru. §. 1. citato. num. 8. corollar. 7. & communiter Doctores: est enim expressè definita in cap. si ciuitas. de sententia excommunicatio. in 6. Ratio autem huius decisionis fuit, quòd licèt in iure in alia materia nomine ciuitatis non comprehendantur suburbia, nec ædificia continentia, sed tantùm id, quod murorum ambitu cingitur, vt latè & eruditè prosequitur Couarru. tamen in materia interdicti hæc omnia comprehenduntur nomine ciuitatis; aliàs enim vili penderetur censura interdicti.

Si petas, quid intelligatur per suburbia & per ædificia continentia, sit secunda conclusio. Per suburbia intelliguntur ædificia extra muros, vel quæ sunt illis contigua, vel propè, quæ Hispanicè dicuntur *Arrabales*. Per ædificia verò continentia intelliguntur ædificia, quæ sunt extra ciuitatem à muris separata, & non contigua ipsis

ipsis nec suburbiis; ita Anton. loco citato, dub. præcedenti: vel aliter, inquit, suburbia dicuntur, per quæ iter est rectum ad ciuitatem. Continentia verò ædificia, quæ non præparant rectum iter ad ciuitatem. Quanta autem distantia requiratur, vt censeantur ædificia continentia, glossa dicto cap. si ciuitas. Couarr. & Nauarr. dicunt, hoc iudicandum esse arbitrio viri prudentis; Angel. verò, & Sylvest. dicunt, pensandum esse ex illa ratione dicti cap. si ciuitas. nempe ex hoc, quòd vilipendatur, vel non vilipendatur interdictum, vnde si distantia ea sit, vt populus commodè possit illuc confluere ad audienda diuina, sunt ædificia continentia, & consequenter interdicta; at verò si tanta sit, vt non possit populus illuc commodè confluere (ponit exemplum Sylvest. si distent per vnum milliare) non sunt ædificia continentia; ita Sylvest. immò P. Henrique cap. 42. num. 4. in glossa, litera S, dicit, quòd sine causa Sylvester designat distantiam vnius milliarij, vnde ipse vocat ædificia continentia, quæ sunt prope mœnia, & ego idem credo.

Præterea est aduertendum, primam conclusionem habere locum, etiam si suburbia, vel ædificia continentia ciuitatis interdictæ non sint subiecta temporaliter illi domino, propter cuius culpam ciuitas est interdicta; ita Sylvest. num. 5. Couarr. num. 8. & alij. Immò etiam conclusio habet locum, licèt non sint spiritualiter subiecta Ecclesiastico Iudici, qui interdixit ciuitatem; sic Sylvest. & Couarr. & Henrique dicto num. 4. Probant ex ratione dicti cap. si ciuitas. nam aliàs vilipenderetur interdictum ciuitatis.

Si peras, à quo ponitur interdictum in suburbiis, & continentibus ædificiis, quando non sunt subiecta spiritualiter Prælato interdicenti ciuitatem? Sit tertia conclusio, quod ponitur à iure communi in dicto cap. si ciuitas. ita Paludan. in 4. q. 8. concl. 3. Anton. suprà. & Sylvest. & Henrique dicto num. 4. in glossa, litera L.

Hinc sequitur, quòd quando Episcopus ponit interdictum locale generale in aliqua ciuitate, vel villa, omnes Ecclesiæ alias exemptæ à iurisdictione Episcopi, vt Ecclesiæ Religionum, & ordinis diui Ioannis, manent interdictæ; sic P. Henrique dicto num. 4. & Nauarr. in Manual. Hispano, cap. 27. num. 80. qui ait, ita decretum fuisse Salmanticæ propter rationem dicti cap. si ciuitas. quod corollarium iam est certum omninò post Tridentinum sess. 25. de regularibus. cap. 12. iuncto c. 21.

Aduerte tamen, certum esse, quòd Episcopus non potest ponere interdictum locale speciale in huiusmodi Ecclesiis exemptis, vnde licèt speciali interdicto interdicat singulas vrbis Ecclesias, non extenditur ad Ecclesias exemptas; sic P. Henrique dicto num. 4.

Quarta conclusio. Interdicta aliqua Ecclesia interdicto generali, vel speciali, etiam manet interdicta Capella, & cœmeterium eidem Ecclesiæ contigua, id est, si extrema se contingant; sic Tabien. verb. interdictum. 5. num. 9. & est determinata in dicto cap. si ciuitas.

Quinta conclusio. Quando generaliter interdicitur terra alicuius domini, intelligitur de tota terra propria, & de omni alia, in quam habet iurisdictionem temporalem, quamuis ei sit data in feudum, vel emphyteosim, vel dotem vxoris, vel vsumfructum, & perseuerat interdictum, quamuis vendat, & alienet eam, quia transit cum sua onere; deberet tamen Iudex ob hanc solam causam relaxare interdictum. Et hæc omnia intelliguntur, siue omnes istæ terræ sint coniunctæ, siue in diuersis locis, non tamen intelligitur de terra data in pignus, quia non habet dominium, nec vsumfructum talis terræ. Verum est, quòd si Iudex diceret, Interdico quamcumque terram à tali domino possessam, comprehenderetur. Similiter non intelligitur de terra acquisita post impositum interdictum, nisi Iudex dicat, Interdicimus quamcumque terram ab isto possessam, vel possidendam. In his omnibus conueniunt Anton. 3. p. tit. 26. cap. 3.

Sylueſt. verb. interdictum. 2. num. 3. & P. Henrique cap. 42. num. 2. addit tamen Sylueſt. quòd quando interdicitur terra alicuius domini, tale interdictum extenditur ad terram illorum, qui participant cum eo in eodem crimine; ſed hoc falſum eſt, vt ait P. Henrique dicto num. 2. in gloſſa, litera H, & aliqui viri docti. Et probatur: nam cùm ex vi verborum non extendatur, nec ſit textus, in quo fundetur talis extenſio, non eſt admittenda.

DVBITATVR quartò, quæ perſonæ cenſeantur interdictæ per interdictum perſonale, generale, vel ſpeciale?

Prima concluſio. Quando interdicitur aliquis populus, (ſeu, quod idem eſt, ciues alicuius oppidi) ſingulares perſonæ illius oppidi cenſentur interdictæ, quamuis non dederint cauſam culpabilem interdicto. cap. ſi ſententia. de ſentent. excomm. in 6. Vnde nec in illo oppido, nec in alio poſſunt audire diuina, niſi transferant domicilium ad aliam communitatem non interdictam: tunc enim ſi non dederunt cauſam culpabilem interdicto, ceſſat interdictum talium perſonarum, ſecùs ſi dederunt; ita Sylueſt. verb. interdictum. 2. num. 10. P. Henrique cap. 32. num. 2. & latè Couarr. dicto §. 1. num. 7. Quæ concluſio intelligitur, licèt huiuſmodi ciues ſint abſentes tempore, quo ponitur interdictum, nec dederint cauſam culpabilem interdicto; ſic P. Henrique dicto num. 2. Hæc concluſio partim eſt contra Hoſtienſem citatum à Sylueſtro, dicentem, quòd quamuis iſtæ perſonæ non dederint cauſam culpabilem interdicto, quocumque transferant domicilium, etiam interdictæ. Et poteſt probari: nam, vt diximus dubio præcedenti, in quinta concluſione, quando interdicitur terra alicuius domini, quamuis alienetur, manet interdicta, ergo ſimiliter in præſenti.

Nihilominùs tenendum eſt, quod diximus, & ad argumentum reſpondetur, diuerſam eſſe rationem: nam quando interdicuntur perſonæ ob alienam culpam, mitiùs eſt agendum, quàm cùm interdicitur terra, quæ eſt quid inanimatum. Præterea reſpondetur iuxta dicta concluſione quarta.

Si petas, à quo abſoluuntur illi, qui transferunt domicilium ad communitatem non interdictam? Reſpondeo, ab imponente interdictum, qui tantùm intendit ligare ciues huius populi, quamdiu ciues illius ſunt, niſi fortè Iudex aliud exprimat.

Secunda concluſio. Interdicta communitate, omnes, qui ſubeunt onera talis communitatis, vel ſaltem fruuntur priuilegiis, manent interdicti, quamuis ſint Magnates, & Marchiones, vel Duces, niſi conſuetudine, vel priuilegio eximantur. ita Sylueſt. num. 10. Anton. 3. p. tit. 26. cap. 3. in fine. P. Henrique num. 3. Et multùm fauet gloſſa dicto cap. ſi ſententia. dicens, quòd comprehenduntur Patricij, & Senatores.

Tertia concluſio. Quando interdicitur totus populus, interdictæ cenſentur omnes perſonæ habitantes in ſuburbiis, vel continentibus ædificiis, immò etiam illi ciues, qui continuò habitant extra ciuitatem, vel ſuburbia, vel continentia ædificia; ſic Anton. cap. 3. citato, in fine. & Sylueſt. num. 15. qui citat Calderinum. Patet, quia iſti verè ſunt partes ciuitatis.

Quarta concluſio. Si aliquis, qui non erat de communitate tempore, quo talis communitas fuit interdicta, fiat poſteà de illa communitate, transferendo illuc ſuum domicilium, relicto primo domicilio, eo ipſo ſubiicitur interdicto communitatis; ita Sylueſt. num. 10. P. Henrique num. 2. & alij: populus enim comparatur aquis fluminis ſibi ſuccedentibus, quæ reputantur vna & eadem aqua.

Nec obſtat, quod diximus dubio præcedenti, in prima concluſione; de terra acquiſita poſt impoſitum interdictum, non, inquam, obſtat: nam, vt rectè ait Paludan. in 4. d. 18. q. 8. art. 1. §. quantùm ad ſecundum. in fine §. terra, vt eſt res ſingularis, afficitur interdicto, non vniuerſalitas. Dixi, *relicto primo domicilio*: nam ſi aliquis

aliquis ciuis communitatis non interdictæ, retento hoc domicilio, fiat simul ciuis alterius communitatis interdictæ, non manet interdictus; ita Sylueſt. verb. interdictum. 2. num. 13. & P. Henrique num. 2. contra Calderinum. Et probatur: nam cùm iſte ſit pars duarum communitatum, quarum vna eſt interdicta, altera non, æquum eſt, vt potiùs declinemus in partem fauorabilem, quàm odioſam.

Quinta concluſio. Interdicta communitate non manent interdicti infantes non habentes vſum rationis, nec amentes. Verum eſt, quòd eis negatur ſepultura, quia omne cadauer eſt rationis expers; ſic P. Henrique num. 2. de quo latiùs infrà. nec etiam manent interdicti illi, qui non ſunt partes talis communitatis, nec ciues, ſed exteri; ſic P. Henrique, Sylueſt. num. 14. & apertè colligitur ex dicto cap. ſi ſententia. ibi, *Singulares ex eo populo perſonæ.*

Sexta concluſio. Interdicto populo non cenſetur interdictus clerus, nec è contrà, niſi aliud exprimatur in ſententia; ita Sylueſt. num. 9. Nauarr. num. 167. Couarr. dicto §. 1. num. 7. & eſt determinata dicto cap. ſi ſententia. Ratio eſt, quia nomine Clericorum non veniunt laici, nec nomine populi veniunt Clerici: Clerici enim non ſunt populares: nam ex accommodatione vſus, populus ſtat pro laicis. Vtrùm verò nomine Clericorum intelligantur non ſolùm habentes aliquem ordinem maiorem, vel minorem, aut primam tonſuram, ſed etiam Religioſi, & Religioſæ, etiam laici, ſeu conuerſi.

Doctores conueniunt in hoc, quòd in fauorabilibus iſti omnes intelliguntur nomine Clerici, vnde quando interdicitur populus, ſicut manent liberi Clerici, ita etiam manent liberi Religioſi, & Religioſæ, etiam laici; at verò quando interdicitur clerus, Nauarr. num. 167. tenet, quòd etiam comprehenduntur Religioſi, & Religioſæ; idem tenet Couarr. dicto §. 1. num. 8. corollar. 5. vbi allegat Calderinum, & Anton. & dicit eſſe communem; tenet etiam Germinianus dicto cap. ſi ſententia. quia ita ſunt ad Eccleſiam tranſlati, quòd non poſſunt dici de populo.

Sit ſeptima concluſio. Probabilius iudico, quòd non comprehenduntur, niſi habeant dignitatem; ſic Angel. verb. interdictum. 5. num. 9. Armill. verb. interdictum. num. 10. P. Henrique num. 3. & Sylueſt. num. 17. nec contradicit his, quæ dixerat num. 9. nam ibi loquutus fuit in fauorabilibus, in num. autem 17. loquitur in odioſis, vnde ibi remittit ſe ad titulum Clericus, vbi dixit, quòd in fauorabilibus nomine Clerici intelliguntur etiam Religioſi, non tamen in odioſis. Et hæc ſit probatio noſtræ concluſionis: vel dico, quòd in num. 9. loquutus fuit recitatiuè tantùm, & in hac concluſione loquimur etiam de interdicto poſito ab eo, qui eſt ſuperior Clericis, & Religioſis, vt quando ponitur à Papa: nam ſi ponatur ab Epiſcopo, qui non eſt ſuperior Religioſis exemptis, certum eſt apud omnes, quòd non comprehenduntur interdicto cleri.

Octaua concluſio. Interdicta familia alicuius domini, etiam cenſentur interdicti Clerici de tali familia; ita Sylueſt. num. 17. Angel. verb. interdictum. 1. num. 8. P. Henrique num. 3. Armill. num. 11. Probatur, quia familia eſt nomen commune ad Clericos, & laicos. Vbi notandum eſt, quòd interdicta familia, qui tempore interdicti erant de tali familia, licèt recedant ab ea, perſeuerant interdicti, qui tamen de nouo venit, non fit interdictus; ſic Paludan. q. 8. art. 1. & P. Henrique num. 3. Probatur: nam interdictum familiæ eſt ſpeciale, quod primò per ſe, & immediatè reſpicit perſonas ſingulares, ſecùs eſt de interdicto populi: nam cùm ſit generale, primò, & per ſe reſpicit ipſam communitatem, & ſecundariò tantùm reſpicit perſonas ſingulares.

Nona concluſio. Si interdicantur Doctores ciuitatis, vel Academiæ, etiam comprehenduntur Doctores Clerici. Hæc eſt contra Angelum verb. interdictum. 1. num. 9. & Sylueſtrum num. 17. qui pro ſe allegant gloſſam dicto cap. ſi ſententia. Sed

certè nihil tale gloſſia, vt rectè ait Tabien. verb. interdictum. 1. num. 9. in fine. vbi tenet noſtram concluſionem, quam etiam tenet Armill. n. 11. P. Henrique n. 3. & aliqui Magiſtri. Et ratio eſt, quia hoc nomen *Doctor*, non eſt minùs commune laicis, & Clericis, quàm hoc nomen *familia*.

Quæſitum eſt à me, vtrùm interdicto populo ſcholares Academiæ, qui non ſunt ibi oriundi, nec domiciliarij, cenſeantur interdicti?

Sit decima concluſio, quòd meo iudicio non cenſentur interdicti, niſi in tali ciuitate ſit ſtatutum, quòd ſcholares habeantur tamquam ciues. Probo: nam vt quis comprehendatur interdicto populi, requiritur, quòd ſit ciuis, & pars illius populi, dicto cap. ſi ciuitas. ſed vt prædicti ſcholares dicantur ciues, requiritur, quòd ſit prædictum ſtatutum, vt dicunt Syluest. verb. ciuitas. in fine. Angel. & Tabien. verb. ciues. ergo. item: nam cùm hæc pœna ponatur ob alienam culpam, non eſt extendenda.

Similiter dico, quòd habitantes in hac curia Limenſi etiam per multùm tempus, non tamquam ciues, ſed ad proſequendas lites in Regio Prætorio, non comprehenduntur interdicto populi. Et quod diximus in tertia concluſione, intelligendum eſt, niſi talia ſuburbia, vel ædificia continentia faciant diuerſum populum; ſic Henrique num. 4 in fine. Armill. num. 9. quia iſti non ſunt partes populi interdicti, verbi gratia, *del Cercado*, ſecùs erit, meo iudicio, loquendo de interdicto locali: credo enim, quòd interdictum ciuitatis Limenſis extenditur ad populum *del Cercado*, quia ibi viget ratio cap. ſi ciuitas. Scilicet ne vilipendatur Eccleſiaſtica cenſura, quæ ratio non viget in interdicto perſonali: non enim vilipenditur interdictum populi Limenſis per hoc, quòd non extendatur ad perſonas oppidi *del Cercado*; & hoc eſt conforme dicto cap. ſi ſententia. & menti Doctorum, qui quando loquuntur de interdicto perſonali, requirunt, quòd perſonæ ſint partes talis communitatis, quod tamen non requirunt in interdicto locali, immò extendunt illud ad ædificia continentia, quæ tamen non ſunt partes vrbis.

DVBITATVR quintò, vtrùm interdictum comprehendat ponentem illud, vel ſuperiorem, aut æqualem?

Prima concluſio affirmatiua. Quando interdictum eſt locale, & ideò ſi non ſeruent illud, incurrunt pœnas iuris; ſic Armill. num. 35. Nauarr. num. 165. P. Henrique cap. 50. num. 1. nam obligatio ſeruandi interdictum ſemel poſitum, non oritur ex ferente illud, ſed ex ipſo iure communi taxante effectus talis interdicti, & ſimili ratione diximus in materia de excommunicatione, cap. 6. diſput. 9. dub. 1. quòd omnes Chriſtiani, etiam ipſe Prælatus excommunicans, tenentur vitare excommunicatum.

Secunda concluſio. Quando interdictum eſt perſonale, licèt ſit generale, non comprehendit ponentem illud, nec ſuperiorem, nec æqualem, quia nullus habet iuriſdictionem coactiuam in foro exteriori, niſi in ſibi ſubditos.

DVBITATVR ſextò, vtrùm interdictum perſonale generale comprehendat Epiſcopos? Concluſio negatiua, Niſi de illis fiat expreſſa mentio; ſic Nauarr. num. 165. & eſt textus cap. quia periculoſum. de ſentent. excomm. in 6.

DISPVTATIO II.

De cauſa efficienti, & materiali interdicti.

De quo Syluest. verb. interdictum. 3. Anton. 3. p. tit. 26. cap. 2. §. 3. Couarr. ſuprà. §. 2. num. 6. Soto d. 22. q. 3. art. 1. concl. 2. Nauarr. num. 168. P. Henrique lib. 13. de excommunic. cap. 51.

SIT prima concluſio. Omnes Prælati Eccleſiarum cathedralium, vel collegiatarum

giatarum possunt interdicere tam personas quàm locum, idem etiam potest Concilium generale, & capitulum sede vacante. Vtrùm verò capitulum sede non vacante possit interdicere? Standum est consuetudini, vt ait Couuarru. dicto num. 6. quædam enim capitula hoc habent ex consuetudine, vt ait P. Henrique num. 2. minores autem Prælati, vt Prælati religionum, quamuis possunt personas sibi subditas interdicere (nam hoc minus est quàm excommunicare) & colligitur ex cap. cùm ab Ecclesiarum, de officio ordinarij. at verò non est in consuetudine, quòd interdicant Ecclesiam vel locum, nisi in aliquod oppidum vel castrum habeant iurisdictionem ecclesiasticam in foro exteriori; ita Soto concluſ. 2. citata. Henrique num. 1. & aliqui viri docti. Præterea notandum est cum P. Henrique num. 1. & Armil. num. 35. quòd solus Papa potest imponere interdictum olim strictissimum, cæteri verò Prælati tenentur seruare ius commune.

Secunda conclusio. Omnes illi, qui ex commissione possunt excommunicare, possunt interdicere. Videte prima parte de censuris in communi, dubio 6. vbi ostendimus, vtrùm laicus vel fœmina possint imponere censuras?

Dvbitatvr secundò, vtrùm Prælati possint ponere interdictum extra proprium territorium? Prima conclusio. Loquendo de interdicto locali certum est, quòd non possunt interdicere locum sibi non subiectum, quia non habent iurisdictionem in talem locum.

Secunda conclusio. Loquendo de interdicto personali, idem omninò dicendum est, quod de suspensione diximus disput. 4. dub. 1. concl. 2.

Dvbitatvr tertiò, vtrùm Prælatus excommunicatus, vel suspensus à iurisdictione, vel interdictus, possit interdicere? Prima conclusio. Si excommunicatus vel suspensus à iurisdictione non sit nominatim denunciatus, vel notorius percussor clerici, peccat quidem ponendo interdictum, sed erit validum, & ideò seruandum est. Patet, quia iste ob publicum bonum non est priuatus iurisdictione, vt constat ex dictis in materia de excommunicatione; at verò si sit non toleratus, non solùm peccat ponendo interdictum, sed etiam est nullum, quia continet errorem intolerabilem ob defectum iurisdictionis.

Secunda conclusio. Qui non est excommunicatus, nec suspensus, sed tantùm interdictus, quamuis nominatim denunciatus, potest validè & licitè ponere interdictum. Probatur, quia interdictum non priuat iurisdictione in foro exteriori, vt dicemus disputat. 4. sed interdictum pertinet ad solam iurisdictionem in foro exteriori, ergo.

Dvbitatvr quartò, vtrùm possit aliquis seipsum, vel superiorem, vel æqualem interdicere? Quod dubium, vt verba sonant, procedit de interdicto personali. Conclusio est negatiua, loquendo de potestate ordinaria, vt patet ex dictis in materia de suspensione, disput. 4. dub. 1. conc. 4. nam interdicere pertinet ad iurisdictionem coactiuam in foro exteriori.

Hinc sequitur, quòd quando Episcopus interdicit omnes, qui sunt de tali ciuitate, ipse non manet interdictus. Nec contrarium dicit Nauar. cap. 27. nu. 165. quia tantùm loquitur de interdicto locali, vt patebit attentè legenti ipsum; sed contrà: nam quando Papa vel Episcopus concedunt indulgentias, etiam ipsi consequutiuè fruuntur illis, quamuis concessio indulgentiarum sit actus iurisdictionis. Respondetur negando consequentiam: nam concessio indulgentiarum est actus iurisdictionis gratiosæ & fauorabilis; at verò sententia interdicti est actus iurisdictionis odiosæ & coactiuæ.

Sed notandum est, quòd persona, quæ ponit interdictum personale, tenetur illud obseruare, sicut alij clerici non interdicti. Verbi gratia, non potest celebrare coram illis personis interdictis, nec eos admittere ad Officia diuina, nisi velit illis relaxare interdictum, alias incurret

pœnas

pœnas contra violantes interdictum, sicut cæteri clerici. sic Armill. numero 35. & Nauarr. supr. & deducitur ex c. cùm ab Ecclesiarum, de offic. ordinarij. Et probatur, nam obseruatio interdicti est de iure communi. Agendum est iam de causa materiali.

DVBITATVR quintò, quis possit interdici. Prima conclusio. Omnes personæ baptizatę, excepto Papa, possunt interdici; ita Nauarr. num. 168. Et probatur: nam omnes habent superiorem in foro exteriori, etiam quoad iurisdictionem coactiuam.

Secunda conclusio. Licèt locus non possit excommunicari, nec suspendi, potest tamen interdici, vt patet cap. si ciuitas. de sentent. excommunicat. in Sexto.

Tertia conclusio. Communitas potest interdici etiam immediatè, vt patet ex materia de suspensione. disput. 3. dub. 2. & confirmatur ex diuisione interdicti personalis in speciale & generale.

Quarta conclusio. Semel interdictus potest iterum interdici, vt patet in materia de excommunicatione. cap. 4. disput. vnica. dub. 8.

Quinta conclusio. Defunctus non potest interdici directè, bene tamen indirectè, scilicet declarando, quòd decessit personaliter interdictus, & quòd deneganda est illi ecclesiastica sepultura.

Sexta conclusio. Defunctus interdictus, si decessit cum signis pœnitentiæ, potest saltem indirectè ab interdicto, de quo latiùs dicemus infrà.

DISPVTATIO III.

De causa & occasione propter quam imponitur interdictum, & de modo seruando in imponendo eo.

DVBITATVR primò, propter quam causam possit interdictum poni. Prima conclusio. Certum est, quòd non potest poni pro culpa propria vel aliena. Probatur, est pœna, ergo necessariò respicit culpam.

Secunda conclusio. Interdictum locale siue generale, siue speciale, rectè potest poni ob culpam alienam, scilicet vniuersitatis, vel communitatis, vel alicuius habentis dominium temporale supra talem locum, sic Soto d. 22. q. 3. art. 1. post 3. concl. Nauarr. nu. 168. Couarru. §. 1. num. 4. & habetur c. si sententia. de sententia excommunicat. in Sexto. & cap. non est vobis. de sponsalibus. imò etiam potest poni huiusmodi interdictum ob culpam alicuius habentis iurisdictionem spiritualem in talem locum, quamuis non habeat temporalem; ita Couarru. numero 5. vbi allegat alios Doctores; & multùm facit ei sanè. el 2. de offic. delegati. vbi dicitur, quòd propter contumaciam Episcopi contra delegatum Papæ potest delegatus supponere interdicto terram subiectam iurisdictioni Episcopi, & licèt Cardinalis, & P. Henrique num. 3. intelligant hunc textum de Episcopo habente iurisdictionem temporalem, communiùs tamen intelligitur de quocunque Episcopo, vt testatur Couarruuias.

Tertia conclusio. Quod dictũ est de omni interdicto locali, idem dicendum est de interdicto personali generali. Ita videntur supponere Doctores citati, & clariùs P. Hẽrique c. 50. n. 2. & Nauar. n. 169. Et multùm facit dictum c. si sententia. vbi manifestè supponitur, quòd interdicto personali generali possunt ciues interdici propter dominum puniendum in eis.

Quarta conclusio. Interdictum personale speciale potest poni pro culpa aliena, verbi gratia, vxor propter culpam mariti; ita Richar. in 4. d. 18. ar. 3. q. 3. ad 5. & P. Henrique num. 2.

Sed est argumentum id probandum, quòd interdictum personale non potest poni pro aliena culpa, quia nullus innocens potest licitè puniri. Confirmatur: nam saltem hoc videtur certum in pœna spirituali, quæ nulli debet infligi, nisi propter culpam propriam.

Ad

Ad argumentum respondetur, quòd huiusmodi interdictum respectu populi non est propriè pœna, sed afflictio, vt rectè ait Castro lib. 1. de lege pœnali. cap. 3. respectu autem domini est propriè pœna, quia dominus punitur in populo, afflictio autem rectè infligi potest nulla existente culpa, dummodò adsit iusta causa, iuxta regulam iuris in Sexto, *Sine culpa, sine subsit causa, causa, nullus est puniendus,* vbi significatur, quòd existente causa potest aliquis puniri, non quidem punitione, quæ sit propriè pœna, sed quæ sit afflictio.

Ad confirmationem respondet Couarr. interdictum non esse pœnam spiritualem, quia non priuat communibus Ecclesiæ suffragiis; & ideò non afficit directè ipsam animam, sed probabilius est, esse pœnam spiritualem. sic glossa cap. si sententia. de sentent. excommunicat. in 6. verbo interdicti. & aliqui Magistri. Probatur: nam est censura, sed censura est priuatio bonorum spiritualium, ergo: Per bona autem spiritualia intelligimus bona supernaturalia, licèt corporalia sint, cuiusmodi sunt sacramenta, ingressus Ecclesiæ, ecclesiastica sepultura, & alia huiusmodi.

Respondetur ergo, quòd licèt in bonis spiritualibus interioribus nullus possit puniri nisi propter culpam propriam, bene tamen in bonis spiritualibus externis, quæ sunt adminicula externa spiritualia.

Quinta conclusio. Nullus præter Papam, vel de eius expressa commissione, potest ponere interdictum generale personale, nec locale propter culpam priuatæ personę. ita Soto sup. Sylvest. ver. interdictum. 3. quæst. 5. P. Henri. nu. 3. & Couarru. nu. 4. vbi citat multos Et addit, quòd hæc commissio magna cum difficultate solet concedi, & quando conceditur, est in hunc modum, vt primò decernatur interdictum in Ecclesia parochiali delinquentis, & simul in aliam Ecclesiam Parochialem, vel Collegiatam: secundò, durante contumacia in duo monasteria, vel Ecclesias Collegiatas: tertiò, in totam diœcesim; ac tandem delinquente indurato, interdicitur Ecclesia Cathedralis.

DVBITATVR secundò, vtrùm ad ponendum interdictum requiratur culpa mortalis?

Prima conclusio. Quando interdictum est locale, siue sit generale, siue speciale, & quando est personale generale, non potest poni nisi propter peccatum mortale illius, cuius causa ponitur, imò vt licitè ponatur, requiritur grauius peccatum, quàm ad ferendam excommunicationem; ita Soto art. 1. concl. 3. P. Henriq. cap. 5. nu. 2. & Magistri. Prima pars de se patet, secunda verò probatur: nam licèt excommunicatio sit grauior pœna intensiuè; at verò interdictum locale, siue generale, siue speciale, & interdictum personale generale est grauius extensiuè, quia comprehendit communitatem, etiam si sint innocentes. Excommunicatio autem solùm comprehendit personam singularem delinquentem, propter quam fertur.

Secunda conclusio. Si interdictum personale speciale ponatur pro aliena culpa, debet esse peccatum mortale; at verò, quãdo ponitur ob culpam propriam, potest poni pro veniali. Prima pars est communis, secunda verò est contra nonnullos, sed eam tenet Caieran. verbo, interdicti violatio. & P. Henriq. num. 2. Probatur: nam minor excommunicatio est maior pœna, siquidem priuat electione passiua ad beneficium, & receptione omnium sacramentorum; interdictum autem non priuat electione passiua, nec omnibus sacramentis, quia non priuat sacramento pœnitentiæ; sed minor excommunicatio ponitur pro veniali, ergo etiam interdictum, de quo loquimur, potest poni pro veniali.

Contrà; Interdictum priuat auditione diuinorum Officiorum, & ecclesiastica sepultura, quibus non priuat minor excommunicatio, ergo hæc est leuior pœna. Respondetur, hoc argumentum solùm probare, quòd habent se tanquàm excedens & excessum; imò cùm excommunicatio

minor excedat in eo, quod est principalius, scilicet in receptione sacramentorum, videtur simpliciter & absolutè grauior pœna.

DVBITATVR tertiò, vtrùm propter debitum pecuniarium possit interdictum poni? Prima conclusio. Interdictum locale generale non potest poni propter debitum pecuniarium, in quacunque sit quantitate, nisi de speciali licentia Papæ expressa per literas patentes, & aliter positum erit nullum. Hæc expressè decernitur in Extrauag. prouidè. de sènten. excommunica. inter communes, per quam limitatur capit. ex præscripto. de iureiurando.

Sed est difficultas, vtrùm hæc Extrauagans intelligatur tantùm de interdicto locali generali, an etiam de speciali? Anton. 3. p. tit. 26. cap. 3. colum. 3. Ioannes Andreas, Calderinus, & Felinus relati à Couarru. §. 1. num. 5. intelligunt eam de generali tantùm. Idem tenet Nauar. n. 168. vbi ponit exemplum in interdicto totius Parochiæ, quoniam apud illum est generale, vt sup. vidimus. Idem apertè significat P. Henri. c. 50. n. 3.

Sit secunda conclusio. Probabilius mihi est, prædictam Extrauagantem etiam habere locum in interdicto locali speciali; ita Couarru. num. 5. citato. idem videtur sentire Soto art. 1. citato. post 3. concl. vbi ait, quòd propter debitum pecuniarium non debet interdici locus; locus autem æqualiter comprehendit locum generalem & specialem, & expressiùs Ledesm. Mexica difficult. 3. de interdicto. concl. 2. vbi dicit, Nullus locus interdicēdus est pro debito pecuniario. Idem tenent aliqui Magistri; Probatur ex dicta Extrauag. vbi dicitur, ciuitas, villa, locus, territorium, &c. locus autem & territorium æqualiter comprehendunt locum & territorium generale & speciale; concedo tamen cum Syluestro ver. interdictum 3. quæst. 5. in hoc standum esse consuetudini; vnde si alicubi sit contraria consuetudo, seruanda est.

Sed rursus inquiris, vtrùm interdictum personale possit poni propter debitum pecuniarium. Tertia conclusio. Interdictum personale generale non potest poni propter debitum pecuniarium. Hanc conclusionem clarè videntur tenere Soto, & Mexica locis allegatis, vbi dicunt, quòd nec locus, nec populus possunt generaliter interdici propter debitum pecuniarium, nisi de licentia Papæ. & Angelus ver. interdictum. 3. nu. 3. & Tabien. eodem ver. nu. 1. qui dicunt, quòd non potest aliquis interdici propter debitum pecuniarium, & P. Henri. idem insinuat, num. 3. vbi solùm ait, quòd interdictum speciale personale potest poni. Et probo ratione: Interdictum personale generale non est leuius, imò videtur grauius interdicto locali, ergo quando prædicta Extrauagans prohibuit poni locale, consequenter prohibuit personale generale.

Quarta conclusio. Interdictum personale speciale bene potest poni autoritate ordinaria ob debitum pecuniarium. Sic P. Henri. modò citatus.

Sed contrà: Non potest poni locale speciale, ergo nec personale; negatur consequentia: nam locale speciale comprehendit generaliter omnes in illo loco, at verò personale de se non petit comprehendere plures, sed vnica persona contentum est.

Vltimò aduertendum est, interdictum non temerè, nec passim, sed maturè & moderatè imponendum esse, vt aduertit Couarru. num. 5. & Soto art. 1. citato. post tertiam conclusionem.

DVBITATVR quartò, quis modus obseruandus sit in imponendo interdictum? Prima conclusio. Modus seruandus in ferenda suspensione positus in materia de suspensione disput. 3. dub. 1. idem omninò seruandus est in ponendo interdictum, vnde non habet verba determinata, debet ferri in scriptis, & instrumentum debet dari interdicto intra mensem, si petatur, alias peccabit Iudex, & erit suspensus per mensem ab ingressu Ecclesiæ; & quando ponitur ob contumaciam, debet

bet præcedere monitio, non tamen quando fertur propter delictum; ita Nauarr. num. 165. Et probatur ex cap. Romana. de sentent. excomm. in 6. vbi cùm facta esset mentio interdicti, suspensionis, & excommunicationis, deinde de sola excommunicatione dicitur, nunquam esse ferendam sine monitione, vnde interdictum potest poni ob delictum merè præteritum.

Secunda conclusio. Sententia interdicti lata post competentem appellationem est nulla; at verò si sententia interdicti præcedat, non suspenditur per sequentem appellationem; ita Nauarr. num. 165. & est textus cap. adhæc quoniam. de appellationibus.

Tertia conclusio. Si Iudex ferat interdictum contra participantes cum interdictis à se, debet monere ipsos participantes nominatim tribus monitionibus, vel vna pro tribus cum interuallo competenti, aliàs erit nullum; ita Sylvest. verb. excommunicatio. 2. §. 1. casu 9. Nauarr. num. 165. & est textus expressus cap. statutum. de sentent. excomm. in 6. de quo plura diximus in materia de excommunicatione, cap. 6. disput. 10. dub. 5. Et generaliter dicimus cum Nauarr. num. 187. sententiam interdicti in eisdem casibus esse nullam, in quibus sententia excommunicationis est nulla, quos recensuimus cap. 6. de excommunic. disput. 1. dub. 1. Videte P. Henrique cap. 49. num. 3.

Excipio vnum casum, scilicet quando nulla præcessit monitio: tunc enim excommunicatio erit nulla, vt vidimus cap. 5. disput. 1. dub. 9. at verò interdictum si feratur propter delictum, non requirit monitionem, vt vidimus hîc in concluſ. 1. P. Henrique suprà ponit hunc casum, quando interdictum fertur contra receptos in filios speciales Papæ, citat cap. 1. de verbor. signif.

Sed notandum est, quòd hic textus eodem modo loquitur de excommunicatione, atque adeò talis excommunicatio etiam erit nulla; reducitur tamen ad tertium casum positum in materia de excommunicatione, scilicet quando fertur contra tenorem priuilegiorum. In quibus autem casibus impositum sit interdictum in iure, videte Anton. 3. p. tit. 26. cap. 2. per totum. Angelum, & Sylvestrum verb. interdictum. 4. & P. Henrique cap. 43. num. 3.

Disputatio IV.

De effectibus, & proprietatibus interdicti.

Hæc disputatio est potissima huius materiæ, de qua tractant Anton. 3. p. tit. 26. cap. 4. Angel. Sylvest. & Tabien. verb. interdictum. 5. Couarr. 2. p. citata. §. 4. P. Henrique cap. 43. & 44.

Et in primis supponendum est, quòd sententia interdicti iniusta, sed valida, & quando est iusta secundùm allegata, & probata, tamen ille, cuius causa fertur, est innocens, licèt talis sententia liget in foro exteriori, non tamen in interiori, nihilominùs erit seruanda ratione scandali, iuxta ea, quæ in simili diximus de excommunicatione, cap. 6. disput. 1. dub. 1. & 2. Solùm excipio vnum casum, scilicet quòd Religiosi tenentur sub excommunicatione seruare interdictum, etiamsi nullum sit, si obseruetur à matrice, vt dicam. disput. 5. dub. 3.

Secundò supponendum est, effectus interdicti non esse connexos, sicut effectus excommunicationis, sed posse limitari etiam ab Episcopo ad hunc, vel illum effectum. Sic P. Henrique cap. 2. de excommunic. num. 3. Videte etiam illum lib. 13. cap. 43. num. 6. & Nauarrum num. 183.

Tertiò supponendum est, omnes effectus interdicti reduci ad tres, nempe priuare ab aliquibus Sacramentis, & omnibus officiis diuinis, & Ecclesiastica sepultura. Primus effectus habetur ex cap. quod in te. de pœnit. & remissionibus. Secundus habetur ex cap. responso. de sentent. excomm. & in cap. alma mater. eodem tit. in 6. habentur isti duo effectus.

Tertius habetur in dicto cap. quod in te. & in cap. si ciuitas. de sentent. excomm. in 6.

Quartò, supponendum est, aliter esse loquendum de his effectibus, stando in iure nouo, cap. alma mater. quàm stando in iure antiquo, vnde sciendum est, quòd in dicto cap. alma mater. Bonifacius VIII. tria indulsit tempore interdicti, quæ iure antiquo erant prohibita. Primum est, circa Sacramentum Pœnitentiæ, quòd possit ministrari non tantùm infirmis, verumetiam sanis; apponit tamen duas exceptiones, vel limitationes. Prima est excommunicatorum, quibus tantùm in articulo mortis vult Pontifex ministrari hoc Sacramentum. Secunda exceptio est illorum, qui dederunt causam culpabilem interdicto, vel qui suo consilio, auxilio, vel fauore concurrerunt ad illud delictum, propter quod lata est sententia interdicti. Secundum est, quòd possint celebrari Missæ, & alia officia diuina in singulis Ecclesiis, & Monasteriis, ianuis clausis, voce submissa, exclusis excommunicatis, interdictis, non pulsatis campanis. Tertium est, quòd in quatuor præcipuis festiuitatibus anni, nempe Natalis Domini, Paschæ, Pentecostes, & Assumptionis Virginis Mariæ celebrentur officia diuina solenniter, ianuis apertis, alta voce, pulsatis campanis, excommunicatis prorsus exclusis, interdictis verò admissis, ita tamen vt illæ personæ interdictæ, propter quarum excessum impositum est interdictum, non appropinquent altari. In reliquis autem omnibus, his tribus exceptis, vult Papa, antiqua iura manere in suo robore, quantùm ad obseruantiam interdicti, non obstantibus quibuscumque priuilegiis Ecclesiarum, Monasteriorum, Ordinum, Religionum, concessis à Sede Apostolica quibuscumque personis tam secularibus, quàm regularibus etiam exemptis. Quibus suppositis, vt hæc omnia clariùs explicentur, disputationem hanc in tres diuidam sectiones, iuxta tres prædictos effectus interdicti.

Sectio prima.

De primo effectu, scilicet de priuatione Sacramentorum.

Dvbitatvr primum præambulum reliquis dubiis huius disputationis, quid intelligatur nomine diuinorum officiorum? Angel. verb. interdictum. 5. num. 4. ait, ea omnia, & sola esse officia diuina, quæ continentur in Missali, & Breuiario. Hæc autem sententia falsa est, quia multa continentur ibi, quæ non sunt officia diuina, & aliqua, quæ non continentur ibi, sunt officia diuina, & continentur in Pontificali. Vnde sit

Prima conclusio. Illa dicuntur officia diuina, quæ sunt ordinata per Ecclesiam ad vsum Ordinum, vel Sacramentorum, vel sacramentalium, vel ad Horas canonicas; ita Nauarr. num. 172. Vnde officia diuina sunt, celebratio Missæ, quamuis sicca sit sine consecratione; ita Nauarr. num. 177. & Sylvest. q. 3. in fine. & dicit, quòd ita interpretatur consuetudo; præterea collatio Ordinum etiam minorum, benedictio nuptiarum, intellige de solenni, vt ait Sylvest. verb. interdictum. 5. q. 4. p. 5. benedictio fontis baptismalis, quæ fit in Sabbato sancto, confectio Chrismatis in Cœna Domini; benedictio aquæ, vel eam publicè fundere cũ Asperges; benedictio solennis Episcopi, vt infrà dicemus; præterea benedicere Abbatem, vel Abbatissam, vel Corporalia, vel alia ornamenta ad dicendum Missam, vel Monialium vela, vel candelas in die Purificationis, vel ramos in Dominica Palmarum; præterea professio solennis in Religione, & Litaniæ dictæ cum Ecclesiastica solennitate, scilicet cum Cruce elevata, & superpelliceis, & ordine procedendi, & præterea canere publicè Horas canonicas.

Secunda conclusio. Multa sunt, quæ licèt prima facie appareant officia diuina, tamen reuerà non sunt, & consequenter licita erunt tempore interdicti. Huiusmodi sunt, benedictio mensæ, benedictio fructuum,

fructuum, benedictio baculi, & peræ ad peregrinandum, benedictio vestium ingredientis Religionem; benedictio, quam solet impendere Episcopus, & Abbas, dum iter agunt; quod intelligendum est de simplici benedictione, non de solenni, quæ fit cum baculo, & versu, *Adiutorium nostrum*, &c. simplex enim benedictio non est officium diuinum, quamuis petatur ratione ordinis; contra Sylvest. q. 4. p. 5. vbi ait, quòd quando non petitur ratione sanctitatis, vel ratione ætatis, sed ratione ordinis, est officium diuinum. Cæterùm, quod diximus, est tenendum, cum aliquibus Magistris. Huiusmodi etiam sunt recitatio salutationis Angelicæ, quæ fieri solet ad signum campanæ, manè, meridiè, & vesperi; & declaratio sacræ Scripturæ, & prædicatio, & dare, vel accipere aquam benedictam in ingressu Ecclesiæ, vnde possent Sacerdos aspergere aqua ingredientes Ecclesiam. Præterea cantus laicorum, licèt cantent Litanias, vel Psalmos in suis Confraternitatibus, vel etiam intra Ecclesiam, immò etiamsi Litaniæ cantentur à Sacerdotibus, vel à regularibus publicè intra, vel extra Ecclesiam, dummodò absque solennitate Crucis, & absque superpelliceis, & non seruato ordine procedendi, & sine *Dominus vobiscum*: nam hic versus est deputatus alicui ordini, sed eius loco dicendum est, *Domine, exaudi orationem meam*, quod est conforme regulæ Breuiarij Pij V. verb. de oratione. vbi dicitur, quòd ante orationem præmittatur *Dominus vobiscum*, nisi qui recitat, non habuerit ordinem saltem Diaconatus.

Hinc infertur, quòd etiam in præsentia laicorum possunt Clerici dicere Litanias, & Psalmos pœnitentiales, & alias orationes pro infirmis, & legere Euangelium, dummodò non dicatur *Dominus vobiscum*. De his videte Nauarr. cap. 27. num. 176. Huiusmodi etiam est introducere puerperam in Ecclesia ad reddendum gratias Deo, etiamsi Sacerdos faciat eam dicere confessionem generalem, dummodò sit absque stola, & ornatu sacerdotali, & præterea confessio generalis, quam laici solent facere Sacerdoti. Immò etiam dico, quòd tempore interdicti licet absolutio generalis, quam faciunt Clerici: quamuis enim sit officium diuinum, tamen est quid annexum Sacramento Pœnitentiæ, quod quidem nunc licitum est tempore interdicti, conferre infirmis, & sanis: nam absolutio generalis ordinatur ad delenda peccata. Hoc tenent aliqui Magistri, & est de mente Sylvestri verb. interdictum. 5. q. 7. parum post principium, Huiusmodi etiam est, secundùm Nauarrum, recommendatio animarum defunctorum. Dico, *secundùm Nauarrum*, quia Sylvester verb. interdictum. 5. q. 4. p. 6. tenet, esse officium diuinum. Idem tenet P. Henrique cap. 46. num. 1. Tabien. verb. interdictum. 5. §. 11. in fine. Angel. verb. interdictum. 6. num. 26. vbi citat Calderinum, cum hoc tamen concedunt Sylvester, & Angelus, esse licitam tempore interdicti, quia est quid annexum absolutioni factæ in Sacramento Pœnitentiæ, quod, vt diximus, non est prohibitum tempore interdicti. Et quamuis nonnullis Magistris placeat ratio Nauarri, mihi tamen ratio Sylvestri, & aliorum magis placet: nam huiusmodi recommendationes à solo Sacerdote fiunt, quamuis alij adiuuent, & ideò videntur deputatæ ordini sacerdotali. Videte de his omnibus Sylvestrum verb. interdictum. 5. ferè per totum. & Nauarrum à num. 171. vsque ad numerum 178. qui in num. 177. in fine, aduertit, quòd ea, quæ [illegible] Sacramenta, licèt sint officia diuina ad facienda sacramentalia, quamuis non liceant publicè, licent tamen modò ianuis clausis, vt posteà dicemus. Huiusmodi etiam est exercitium iurisdictionis, vt excommunicare, absoluere ab excommunicatione. Quod vt exactiùs intelligatur,

DVBITATVR secundò, vtrùm per interdictum priuetur quis vsu Ecclesiasticæ iurisdictionis exterioris?

Prima conclusio negatiua. Sic Abbas cap. vlt. de excessibus Prælatorum, quem sequitur Sylvest. verb. interdictum. 8. q. 4.

Armill. verb. interdictum num. 18. Nauarr. cap. 27. num. 176. cum Caldetino, & Innocentio. Et ratio est, quia per interdictum solùm prohibentur officia diuina, Sacramenta, & Ecclesiastica sepultura; sed ad nullum istorum pertinet actus exterioris iurisdictionis, ergo.

Hinc infert Abbas, quòd interdictus etiam nominatim denunciatus potest excommunicare, & absoluere ab excommunicatione, & à fortiori id poterit facere non interdictus tempore interdicti; quod Abbas & Nauarrus limitant, dummodò faciat sine solennitate sacerdotali, nempe sine stola, & hymnis, quia tunc iam pertineret ad officium diuinum. Cæterùm, hæc limitatio generaliter sumpta non placet. Vide sit

Secunda conclusio. Clericus personaliter interdictus non potest absoluere cum prædicta solennitate; at verò si ipse non sit interdictus, bene poterit tempore interdicti; ita Sylvest. suprà q. 6. excep. 3. in fine. Angel. verb. interdictum. 7. num. 7. Prima pars probatur: nam Clericis personaliter interdictis non permittitur celebrare officia diuina. Secunda verò pars probatur: nam absolutio ab excommunicatione absolutè permittitur etiam tempore interdicti, quia est præambula ad absolutionem peccatorum, quæ tunc temporis permittitur, ergo licitum est eam impendere cum consueta solennitate cap. à nobis. el 2. de sentent. excomm. Probatur consequentia: nam cum aliquid permittitur, intelligendum est permitti secundùm quod ius disponit, & vsus obseruat: intelligo autem hoc cum moderatione cap. alma mater.

Tertia conclusio. Quamuis per interdictum non priuetur quis vsu iurisdictionis, vt dictum est, priuatur tamen, si violet interdictum, vt dicemus disput. 5 Deuenientes iam ad Sacramenta,

Supponendum est ex dictis disput. 1. dub. 2. quòd quando aliquis locus est interdictus, si personæ illius loci non sunt interdictæ, nec dederunt causam culpabilem interdicto, possunt in alio loco recipere, & administrare Sacramenta, sicut & audire officia diuina.

Secundò supponendum est, quòd in illis effectibus, in quibus fuerit de iure nouo aliqua mutatio, loquemur primò, secundùm ius antiquum, & deinde secundùm nouum. Quibus suppositis

DVBITATVR tertiò, de Sacramento Pœnitentiæ, de quo, loquendo secundùm ius antiquum, sit

Prima conclusio. Sacramentum Pœnitentiæ licitè poterat administrari decedentibus è vita, & non aliis, vt habetur c. 9. non est vobis. de sponsalibus. cap. responso. de sentent. excomm. & c. quod in te. de pœnit. & remissionibus.

Secunda conclusio. Etiam licebat olim tempore interdicti ministrare Sacramentum Pœnitentiæ recipientibus signum Crucis, & aliis peregrinis, dicto cap. quod in te. Vocantur autem recipientes signum Crucis, seu Cruce signati illi, qui vouebant peregrinari in Terram sanctam, & in signum peregrinationis assumebant signum Crucis, & gestabant in pectore, vt deuotio nota esset omnibus terræ Orientalis; iuxta cap. magnæ. de voto. Videte Couarr. p. 2. §. 2. num. 7.

Sed circa primam conclusionem est difficultas, vtrùm per decedentes è vita solùm intelligendi sint illi, qui sunt in articulo mortis propriè, & strictè sumpto, scilicet qui iamiam animam agunt, vel etiam illi, qui sunt in periculo mortis latè sumpto, scilicet in probabili mortis periculo.

Tertia conclusio. Quòd intelliguntur illi, qui sunt in probabili periculo mortis, siue sit ex infirmitate, siue ex alia extrinseca causa; ita Couarr. suprà, §. 3. num. 2. Armill. num. 47. quamuis enim isti Autores, & alij ab eis allegari, loquantur de Eucharistia secundùm ius nouum, tamen quia de iure nouo nulla est facta mutatio circa Eucharistiam, quod licitum est modò, & erat olim de illa, idem à fortiori licitum erat de Sacramento Pœnitentiæ, quod est magis necessarium.

Quarta

Quarta conclusio. Iam nunc licitum est ministrare sacramentum pœnitentiæ non solùm infirmis, sed etiam sanis quoties libuerit. Sic habetur dicto cap. alma mater. apponuntur tamen ibi duæ limitationes. Prima est excommunicatorum, quibus non vult Pontifex conferri hoc sacramentum, præterquàm in mortis articulo. Secunda est illorum, propter quorum culpam, dolum, vel fraudem impositum est interdictum, vel qui præbuerunt consilium, auxilium, vel fauorem ad perpetrandum delictum, propter quod interdictum est impositum: his enim non vult Pontifex, quòd hoc sacramentum conferatur, nisi priùs satisfaciant, vel idoneam dederint cautionem de satisfaciendo, si possunt, vel si, ne hanc quidem cautionem præstare potuerint, dent saltem iuratoriam de satisfaciendo, cùm primùm potuerint, adiuturósque suo consilio, auxilio & fauore, quantùm in ipsis fuerit, vt satisfactio præstetur ab his, qui illam facere possunt. Agendum est iam de reliquis sacramentis, in quibus maximè obseruandum est, nullam factam esse mutationem in c. alma mater. vnde quod iure antiquo ante c. alma mater. erat prohibitum circa illa, etiam modò prohibitum est.

DVBITATVR quartò, de Baptismo & Confirmatione?

Prima conclusio. Licitum est nunc, & erat olim ministrare Baptismum paruulis & adultis. De paruulis habetur c. non est vobis. de sponsalibus. De vtrisq; habetur c. quoniam. de sententia excommunicat. in 6. quam conclusionem intelligo de pueris & adultis etiam sanis, cum Couarru. §. 2. num. 7. versicul. verùm quæstio. post medium. P. Henrique c. 45. num. 1. & clariùs c. 53. num. 4. & Panormita. dicto c. non est vobis num. 8.

Si obiicias, quòd in dicto cap. quoniam. dicitur, *propter moræ periculum*. Respondetur, quòd hoc dicitur propter aquæ penuriam, quæ posset contingere tempore necessitatis, si vsque ad illam differretur Baptismus. Sic colligo ex Couarru. in princ. versiculi citati.

Secunda conclusio. Hæc ministratio Baptismi facienda est modò, & erat olim cum solita solemnitate Catechismi, Exorcismi, & Vnctionis, Oleo & Chrismate, ita Sylues. ver. interdictum. 5. q. 7. part. 1. Nau. num. 178. & habetur ex dicto cap. quoniam. Probatur: nam eo ipso quòd datur licentia ad Baptismum, consequenter datur, vt administretur modò à iure præscripto, imò Sylu. suprà dicit, esse obligationem sic administrandi, siquidem in ca. accepisti. de consecrat. d. 4. præcipitur, quòd Baptismus administretur hoc modo, & in dictis capitibus non est vobis. & quoniam. non exprimitur aliud.

Tertia conclusio. Confirmatio licita est modò, & erat olim non solùm pueris, sed etiam adultis; ita Sylues. & Nauarr. locis citatis. & habetur dicto cap. quoniam. Confirmatio enim pertinet ad quoddam complementum Baptismi, & aduertit P. Henrique dicto c. 45. quod potest nunc, & poterat olim ministrari publicè cum solita solemnitate, & Couarru. dicto §. 2. num. 7. cum aliis tenet idem de Baptismo & Confirmatione, & in Baptismo ita obseruat consuetudo, aduertit tamen Manuale Toletanum, vt excludantur excommunicati, & interdicti.

Quarta conclusio. Etiam est licitum conficere Chrisma in die Cœnæ Domini, dicto cap. quoniam. sed aduertite, quòd debet confici cum moderatione. cap. alma mater. scilicet ianuis clausis, non pulsatis campanis, excommunicatis & interdictis exclusis; ita P. Henrique num. 1. in gloss. litera M. Sylues. & Couarru. dicto num. 7. vbi dicit, esse communem opinionem.

DVBITATVR, quintò de Eucharistia.

Prima conclusio. Stando in iure antiquo, & etiam in nouo, solis morientibus licitum fuit, & est modò ministrare sacramentum Eucharistiæ. De iure antiquo habetur c. quod in te. de pœnit. & remissionibus. & c. permittimus. de sententia excommunicat. De iure autem nouo probatur, quia in cap. alma mater. nulla est facta

cta mutatio circa ſacramentum Euchariſtiæ, ſed tantùm circa ſacramentum pœnitentiæ: Dico, *circa ſacramentum Euchariſtiæ*, inquantùm ſacramentum eſt: nam ſi conſideretur inquantùm ſacrificium, facta eſt mutatio, quia modò poſſunt celebrari Miſſæ ſubmiſſa voce.

Sed inquires, vtrùm per morientes intelligantur ſolùm illi, qui ſunt in periculo mortis ſtrictè, vel etiam qui ſunt in probabili mortis periculo?

Secunda concluſio. Quòd etiam intelliguntur, qui ſunt in probabili, ſiue ſit ex infirmitate, ſiue ex alia cauſa extrinſeca; ita Couarru. p. 2. §. 3. num. 1. Armil. ver. interdictum. num. 45. P. Henrique cap. 45. nu. 2. & communiter iuniores. Et probatur, quoniam in iure articulus mortis & periculum mortis communiter ſumuntur pro eodem, vt ait Nau. c. 27. nu. 271. §. 7.

Ex dictis ſequitur primò, Euchariſtiam non poſſe miniſtrari leuiter infirmis. Sequitur ſecundò, miniſtrari poſſe in ſequentibus caſibus. Primò, damnatis ad mortem, etiamſi ſani ſint; ita Couarru. §. 3. citato. nu. 3. Sylueſt. ver. interdictum. 5. q. 7. partic. 4. Anton. 3. p. tit. 26. ca. 4. circa medium. P. Henrique nu. 2. citato. Secundò, mulieri propinquæ partui, quando attentis circunſtantiis, eſt in probabili mortis articulo, vt quia eſt primus partus, vel quia experta eſt partus difficiles; ſic Sylueſt. Couarru. & P. Henrique locis modò citatis. Tertiò inchoanti periculoſam nauigationem, vel intranti prælium. Sed inquiris vtrùm poſt cap. alma mater. poſſit miniſtrari Euchariſtia clericis ſanis volentibus communicare more laicorum?

Nonnulli dicunt, quòd ſicut modò poſſunt Euchariſtiam recipere celebrando, ita etiam poſſunt recipere communicando more laicorum. Sic Angelus ver. interdictum. 6. nu. 22. Sylueſt. ver. interdictum. 5. q. 7. partic. 4.

Tertia concluſio. Extra periculum mortis non licet Euchariſtiam miniſtrare clericis volentibus communicare more laicorum; ita Couarru. §. 3. citato. nu. 1. vbi allegat plures Doctores: tenet etiam Nauar. nu. 179. P. Henrique l. 7. de indulgentiis. cap. 13. nu. 4. & c. 55. citato num. 2. vbi citat multos, & communiter id tenent Magiſtri. Probatur, ſecundùm ius antiquum Euchariſtia ſolùm concedebatur morientibus, & in cap. alma mater. & tantùm excipitur, quòd poſſint ſacerdotes celebrare, ergo communio more laicorum remanet in diſpoſitione iuris antiqui.

Quarta concluſio. In caſibus, in quibus licitum eſt miniſtrare ſacramentum Euchariſtiæ, licitum eſt illud adminiſtrare cum ſolemnitate conſueta, nempe cum campanula & lumine, aliis aſtantibus, & clericus in via non poteſt recitare Horas Canonicas, nec aliud Officium diuinum, quia non poſſunt dici publicè tempore interdicti, ſed poterit dicere aliquos Pſalmos & Hymnos, & in reditu ab infirmis licebit Euchariſtiam oſtendere populo, quia per interdictum non prohibetur videre Euchariſtiam: niſi tempore Miſſæ. Hanc concluſionem tenet Sylueſter parti. 4. citata. Nauarr. nu. 178. P. Henrique n. 2. addit Anton. 3. p. tit. 26. cap. 4. poſt medium, & Armill. n. 45. hanc adminiſtrationem Euchariſtiæ poſſe fieri etiam in præſentia perſonarum interdictarum ſi fortè adſint. Dico præterea, quòd in reditu ab infirmo poſſunt concedi ſolitæ indulgentiæ, quia conceſſio indulgentiarum non eſt Officium diuinum, ſed pertinet ad iuriſdictionem fori exterioris.

DVBITATVR ſextò de ſacramento matrimonij.

Prima concluſio. Licitum eſt modò, & erat olim, miniſtrare ſacramentum matrimonij, quantùm ad eius ſimplicem contractum; ita Sylueſt. verb. interdictum. 5. q. 7. partic. 5. Nauarr. nu. 178. & Couarru. dicto §. 2. nu. 7. P. Henrique c. 45. nu. 3. Probatur, quia matrimonio priùs conuenit ratio contractus ciuilis, quàm ratio ſacramenti, & præterea quia ad rationem ſacramenti, quæ reperitur in matrimonio, non requiritur actus ordinis.

Secunda concluſio. Non ſolùm eſt licitum

tum ministrare sacramentum matrimonij tempore interdicti, sed etiam potest ministrari personis specialiter interdictis; ita Sylvest. Nauar. & P. Henri. locis citatis. Probatur ratione tradita. Dixi in prima conclusione, *quantùm ad simplicem contractum*: nam de benedictione

Sit tertia conclusio, quòd iure antiquo non erat licita. Sic omnes Doctores, vno excepto Angelo. Probatur: nam hæc benedictio connumeratur inter Officia diuina, & secundùm ius antiquum generaliter erant prohibita omnia Officia diuina, per cap. quod in te. de pœnit. & remissionibus. præterquàm Horæ Canonicæ, quæ tantùm erant permissæ in Ecclesiis conuentualibus, & præter quædam Officia diuina annexa aliquibus sacramentis, quæ etiam tunc temporis licebant, scilicet Baptismus & Confirmatio, erat etiam licita vna Missa singulis hebdomadibus pro renouanda Eucharistia.

Hinc sequitur, quòd licèt vxorati haberent priuilegium audiendi ea Officia diuina, quæ tunc temporis licebant, non tamen poterant recipere benedictiones nuptiarum.

Dixi, *vno excepto Angelo*, qui videtur generaliter affirmare, quòd semper fuit licita benedictio nuptiarum: nam ratio eius est generalis, nempe quòd concesso principali, conceditur accessorium, sicut concesso Baptismo, conceditur eius solemnitas. Verùm hæc ratio tantùm habet vim, quando accessorium solet immediatè associari principali, vt contingit in Baptismo, qui extra necessitatem nunquàm administratur sine prædicta solemnitate: nam hæc solemnitas pertinet ad decentem administrationem ipsius substantiæ Baptismi, at verò solemnis benedictio nuptiarum non est annexa matrimonio tanquàm quid præuium, vel immediatè subsequens, nec est introducta ad decentem celebrationem contractus, sed tanquàm quid posteà subsequens, vnde multo tempore solet subsequi post contractum matrimonium.

Quarta conclusio. Stando in iure nouo licita est hæc benedictio in loco interdicto cum moderatione cap. alma mater. scilicet ianuis clausis, voce submissa, excommunicatis & interdictis exclusis. Probatur, quia in isto cap. permittuntur omnia Officia diuina cum prædicta moderatione.

Ex dictis sequitur primò, quòd qui modò habent priuilegium assistendi diuinis Officiis, poterunt recipere solemnes benedictiones cum moderatione prædicta.

Sequitur secundò, quòd si coniugati sint interdicti specialiter, vel etiam generaliter, quamuis possit illis ministrari contractus matrimonij, vt dictum est, non poterunt recipere solemnes benedictiones, quia iam non seruaretur conditio c. alma mater. scilicet exclusis interdictis, & idem est, si alter tantùm coniugum sit interdictus. ita Calderinus p. 2. §. sed potest quæri. probat ex cap. vt priuilegia. de priuilegiis.

Sequitur tertiò, quòd tempore interdicti possunt fieri huiusmodi benedictiones publicæ apertis ianuis, alta voce, in illis festiuitatibus, in quibus speciali priuilegio licet celebrare Officia diuina solemniter, dummodò non sit tempus, in quo benedictiones huiusmodi specialiter interdicuntur. sic Anto. 3. p. tit. 26. cap. 4. Couarr. cap. alma mater. p. 2. §. 5. num. 6. verficul. 11. Vnde corollarium hoc tantùm habebit locum in festo Assumptionis beatæ Virginis, Corporis Christi, & Pentecostes, non tamen in festo Natalis Domini, Paschæ Resurrectionis, & Conceptionis beatæ Virginis, quia istis temporibus sunt specialiter interdicti: nam post Concilium Tridentinum solùm prohibentur ab Aduentu ad Epiphaniam, & à feria 4. Cinerum ad Octauam Paschæ inclusiuè.

DVBITATVR septimò de sacramento Extremæ Vnctionis?

Conclusio. Nec olim, nec modò licitum est, stando in iure communi, illud ministrare in loco interdicto infirmis etiã existentibus in extremo mortis articulo,

quamuis sint clerici vel Religiosi non interdicti, & quamuis obseruent interdictum locale. Sic Angelus verb. interdictum. 6. num. 25. & Sylvest. ver. interdictum. 5. quæst. 7. in princ. qui expressè loquitur de Religiosis. Nauarr. num. 168. P. Henri. num. 4. vbi citat alios. Probatur ex cap. quod in te. de pœnit. & remissionibus. vbi sic dicitur, quòd vnctio & sepultura tempore generalis interdicti omnibus denegatur; concedimus tamen ex gratia, vt clerici decedentes, qui tamen seruauerint interdictum, in cæmeterio Ecclesiæ cum silentio tumulentur. sed in ca. alma mater. nulla est facta mutatio circa Vnctionem Extremam, ergo remanet in dispositione iuris antiqui.

Dixi, *stando in iure communi*: nam Religiosi Mendicantes habent priuilegium recipiendi Extremam Vnctionem, vt patet ex Compendio Minorum. ver. Vnctio Extrema. vbi hoc priuilegium extenditur ad certas quasdam personas. Idem priuilegium habent Religiosi Societatis, vt patet ex eorum compendio, verbo, Extrema Vnctio. De priuilegio autem Bullæ infrà dicemus.

Dvbitatvr octauò de sacramento Ordinis? Prima conclusio. Nec olim, nec modò licitum est illud ministrare in loco interdicto; ita Sylvest. qu. 7. citata. in fine. Couarru. p. 2. §. 3. num. 4. Nauarr. num. 179. P. Henri. cap. 45. num. 8. & communiter omnes Doctores. Probatur efficaciter ex cap. non est vobis. de sponsalibus. vbi solùm permittuntur sacramentum pœnitentiæ, & sacramentum Eucharistiæ, sed in cap. alma mater. nulla est facta mutatio circa hoc, ergo. Circa quam conclusionem duo sunt notanda.

Primum, sic esse intelligendam, vt non liceat ministrare hoc sacramentum etiam cum moderatione cap. alma mater. ita Couarru. sup. illatio. 10. & probatur: nam per cap. alma mater. solùm permittuntur Officia diuina cum illa moderatione, ergo non est sacramentum.

Secundò notandum est cum P. Henri. sup. conclusionem etiam habere verum, quamuis locus sit interdictus ab ipso Episcopo ordinante: debet enim interdictum tollere, vel suspendere ad istum actum, & ratio est, quia interdictum locale habet suos effectus ex iure communi, in quo non potest Episcopus dispensare.

Sed est difficultas, vtrùm conclusio habeat verum etiam imminente necessitate ordinandi ministros ecclesiasticos, vt si in aliqua Prouincia tempore pestis non esset copia ministrorum ad celebranda Officia diuina, vel ad ministranda sacramenta, quæ permittuntur tempore interdicti, & suppono, quòd non sit alius locus non interdictus, in quo possint commodè fieri ordines?

Ad hoc Couarru. sup. corollatio 5. respondet negatiuè, & hoc iudicat verius Sylvest. quæst. 7. in fine. idem videtur sentire Armil. nu. 14.

Secunda conclusio. Oppositum est verius, quod tenet Panormit. dicto cap. non est vobis. colum. vlt. Angel. ver. interdictum. 6. num. 8. Villadiego tracta. de irregularitate. cap. 5. de interdicto. num. 3. propendet Enr. cap. 45. circa fin. Probatur ratione Panormitani: nam cùm aliquid conceditur, eo ipso censetur concedi omne illud, sine quo id non potest poni in esse, aliàs illa concessio esset inutilis, sed ius concedit tempore interdicti Officia diuina, & aliqua sacramenta, ergo consequenter concedit ordinationem ministrorum, qui ad hoc fuerint necessarij. Confirmatur ex cap. quoniam. de sententia excommunicat. in 6. vbi dicitur, quòd ex quo Baptismus & Confirmatio conceduntur tempore interdicti, manifestè deducitur, licitum esse in die Cœnæ Domini conficere Chrisma; vnde glossa ibi ponit regulam generalem, quòd permisso vsu rei in tempore prohibito, intelligitur esse permissa creatio illius rei.

Tertia conclusio. Etiam extra locum interdictum non debet ministrari sacramentum Ordinis, si ordinans vel ordinandus sint

sint personaliter interdicti; ita Nauarr. num. 179. vbi citat Panormitanum, & Calderinum, & patet ex dictis suprà.

Circa dicta est vltimò notandum, quòd hæc Sacramenta, quæ diximus posse ministrari in loco interdicto, possunt ministrari etiam in loco specialiter interdicto; ita Sylvest. verb. interdictum. 5. q. 7. p. 1. Nauarr. num. 178. Couarr. p. 2. §. 2. num. 7. P. Henrique cap. 45. num. 1. in fine. qui citat alios. Addit tamen ipse de mente aliorum Doctorum, quòd esset valdè decens, vt ea Sacramenta, quæ commodè possent alibi ministrari, non ministrarentur in Ecclesia spiritualiter interdicta.

De priuilegio autem Bullæ Cruciatæ breuiter dicendum est, quòd habens illam potest tempore interdicti recipere omnia Sacramenta, etiam Ordinis, debet tamen illa recipere à proprio Pastore, vt inquit P. Henrique lib. 7. de indulgentiis, cap. 13. num. 4. nam Bulla solùm intendit tollere impedimentum prouenients ratione interdicti, non tamen intendit dispensare in iure præcipiente, ne Sacramenta recipiantur nisi à proprio Pastore, vel de eius licentia; item cùm iurisdictio Pastorum sit ordinaria, est fauorabilis in iure, ergo in dubio non censetur derogata. Et hæc de primo effectu, per quæ manet explicata prima concessio facta in cap. alma mater.

Sectio II.

De secundo effectu, qui est priuare omnibus diuinis officiis.

DVBITATVR primò, quæ officia diuina fuerint licita iure antiquo tempore interdicti?

Prima conclusio. Concessum erat Clericis, vt in Ecclesiis Conuentualibus sine cantu, & submissa voce (vt non audirentur à non habentibus priuilegium) dicerent Horas canonicas bini & bini, & simul tres, ianuis clausis, excommunicatis, & interdictis exclusis; textus est cap. quod in te. de pœnit. & remissionibus. Vbi notandum est, quòd licèt ex cortice literæ huius textus posset aliquis colligere, quòd olim poterant Clerici, faciendo duos choros, in Ecclesia recitare Horas canonicas, dummodò in quolibet choro solùm essent bini, vel ad summum tres, & in vtroque choro essent quatuor, vel ad summum sex; at verò textus tantùm intendit, quòd poterant recitare vel duo simul, vel ad summum tres, vt colligitur ex ipso textu: dicit enim, *vel tres simul*, vbi maior numerus designatus à textu est ternarius.

Secunda conclusio. Etiam erat licitum Clericis, vt duo, vel tres simul recitarent Horas canonicas extra Ecclesiam, dummodò cauerent, ne audirentur à non habentibus priuilegium; ita Sylvest. verb. interdictum. 5. q. 5. Couarr. §. 2. num. 7. & Nauarr. num. 175. Probatur: nam ius permittens Clericis recitare Horas canonicas in Ecclesiis, vbi communiter solent laici concurrere ad audienda diuina, à fortiori videtur id permittere, vt in domo, vel in agro recitentur cum eadem cautela, scilicet ne audiantur à non habentibus priuilegium; (nisi fortè per transitum, quod pro nihilo reputatur) sic P. Henrique cap. 44. num. 3. maximè quòd præcipua ratio prohibendi officia diuina tempore interdicti est, ne à laicis audiantur. Et hac ratione mouetur Nauarrus ad asserendum, quòd etiam intra Ecclesiam potest quis solus apertis ianuis recitare Horas canonicas voce ita submissa, vt non audiatur ab vllo laico, immò & quòd duo, vel tres idem facere possunt in aliquo sacello eiusdem Ecclesiæ, vel certè ita separati à populo, vt à nemine audiantur. Aduertendum est tamen, doctrinam traditam in his conclusionibus solùm habere verum in loco generaliter interdicto; at verò in Ecclesia specialiter interdicta non licebat Clericis recitare Horas canonicas, etiamsi ianuæ Ecclesiæ essent clausæ. Contrarium tenet Sylvest. suprà, & P. Henrique cap. 44. num. 3. &

aliqui moderni. Sed quod diximus, probatur: nam cap. alma mater. secundùm communem Doctorum, intelligitur solùm de interdicto locali generali, vt videbimus dub. 3. ergo etiam dictum cap. quod in te. Et confirmatur: nam in hoc cap. quod in te. dicitur, *non enim est maior ratio de vno capite, quàm de altero*; vnde glossa cap. alma mater. verb. Ecclesiis. explicans ipsum cap. solùm de loco generaliter interdicto, citat ad idem dictum cap. quod in te. Et confirmatur: nam in hoc cap. quod in te. dicitur, *cùm & regularibus sit indultum, vt cùm generale interdictum terræ fuerit*, &c. & cap. quod nonnullis. de priuilegiis. dicitur, *quod nonnullis est Religiosis indultum, vt cùm commune terræ interdictum fuerit*, &c. Vnde nonnulli moderni, qui explicant prædictum cap. quod in te. de loco etiam specialiter interdicto, multùm laborant in explicando, cur cap. alma mater. est intelligendum solùm de loco generaliter interdicto.

Tertia conclusio. Licitum erat in iure antiquo Ecclesiarum ministris tempore interdicti semel in hebdomada, non pulsatis campanis, voce submissa, ianuis clausis, excommunicatis, & interdictis exclusis, Missarum solennia celebrare causa conficiendi Eucharistiam, quæ decedentibus cum pœnitentia non negabatur; sic decernitur cap. permittimus. de sentent. excomm.

Pro cuius explicatione notandum est primò cum P. Henrique cap. 44. num. 3. quòd licèt textus solùm videatur id concedere Ecclesiæ ministris, scilicet Parochis, bene tamen poterant Parochi committere aliis vices suas, vt id facerent, quia nomine ministrorum Ecclesiæ etiam intelliguntur omnes Clerici habentes vices Parochi.

Secundò notandum est cum Iauarr. num. 174. & P. Henrique num. 3. citato, quòd vt minimùm concedebatur celebrare in hebdomada vnam Missam, ad renouandam Eucharistiam, quæ reseruabatur infirmis; at verò si necessitas infirmorum ita vrgeret, vt non sufficerent formulæ in illa Missa consecratæ, licitum erat alias Missas celebrare, prout necessitas id exposceret; & hanc conclusionem intelligo etiam in Ecclesia specialiter interdicta, quia textus absolutè loquitur tempore interdicti, non restringendo ad interdictum locale generale, & etiam quia ratio conclusionis æqualiter militat in interdicto speciali locali, sicut in generali.

Quarta conclusio. Reliqua omnia officia diuina (præter ea, quæ diximus licita esse iure antiquo) non licebant tempore interdicti, nisi ex priuilegio. Probatur ex cap. responso. de sentent. excomm. vbi generaliter dicitur, nullum officium diuinum celebrandum esse tempore interdicti, & idem supponitur clarè in cap. permittimus. eodem tit. ergo cùm iure antiquo ante cap. alma mater. nulla alia facta fuerit concessio circa hoc, prætet eas, quas hucusque retulimus, sequitur, quòd nullum aliud diuinum officium fieri, vel audiri poterat.

Dixi, *nisi ex priuilegio*: nam aliqua erant priuilegia generalia in iure concessa, & etiam specialia concessa aliquibus personis, nempe Episcopis, & Religiosis, vt patet ex cap. quod in te. de pœnit. & remissionibus. & cap. quod nonnullis. de priuilegiis.

DVBITATVR secundò, quæ officia diuina sint licita iure nouo, scilicet. post cap. alma mater.

Pro cuius resolutione recolenda sunt verba cap. alma mater. suprà relata, in quibus continetur secunda concessio, scilicet quòd possint celebrari Missæ, & alia officia diuina in singulis Ecclesiis, & Monasteriis cum quatuor moderationibus. Prima, ianuis clausis; secunda, voce submissa; tertia, exclusis excommunicatis, & interdictis; quarta, non pulsatis campanis. Ex quibus verbis, iuncta doctrina tradita in dubio præcedenti, facilè patet, factam esse ampliorem concessionem per hoc cap. circa officia diuina, quàm erant antea: nam antea solùm in

Ecclesiis

Ecclesiis Conuentualibus permittebantur officia diuina, & in his ad summum permittebantur tres simul. Cæterùm, in hoc cap. permittuntur officia diuina in omnibus Ecclesiis, & ad dicendum officium, poterunt simul conuenire, quotquot Clerici voluerint, quia nullus designatur numerus; & præterea: nam ibi præcipitur, quòd non dentur solitæ distributiones Clericis, qui non interfuerint. Circa intelligentiam huius secundæ concessionis aliqua sunt examinanda. Vnde

DVBITATVR tertiò, vtrùm hæc secunda concessio intelligenda sit de interdicto locali tantùm, vel etiam de personali; item de locali, vtrùm sit intelligenda de generali tantùm, vel etiam de speciali.

Prima conclusio. Concessio hæc tantùm intelligitur de interdicto locali, non de personali: nam persona interdicta non potest celebrare officia diuina etiam cum prædicta moderatione; ita Sylvest. verb. interdictum. 5. q. 1. p. 2. Nauarr. num. 174. Couarr. p. 2. §. 4. num. 3. & Doctores communiter.

Secunda conclusio. Concessio hæc intelligenda est de interdicto locali generali, non de speciali; ita Sylvest. q. 1. citata, p. 1. Nauarr. num. 173. in fine. Villadiego tract. de irregularit. cap. 5. de interdicto. qui citat Calderinum. Couarr. §. 4. citato. num. 1. vbi adducit quamplures Doctores, & dicit esse communem. Idem tenet glossa in dicto cap. alma mater. verb. Ecclesiis. & Magistri communiter, vnde in Ecclesia specialiter interdicta non licet Clericis recitare simul Horas canonicas, nec alia officia diuina, licebit tamen semel in hebdomada celebrare vnam Missam, quia hoc etiam iure antiquo licebat, vt vidimus dub. 1. concl. 3. & in cap. alma mater. dicitur, quòd in rebus, quæ ibi non innouantur, seruetur ius antiquum. Hanc secundam conclusionem probat glossa verb. Ecclesiis. ex illis verbis, *terris, seu locis*, iuncto cap. quod in te. de pœnit. & remissionibus. & cap. quod nonnullis. de priuilegiis. ibi, *cùm commune terræ fuerit interdictum.*

Tertia conclusio. Quod conceditur per hanc secundam concessionem in Ecclesiis, & Monasteriis, etiam habet verum in Hospitalibus; ita Couarr. dicto §. 4. num. 2. vbi id limitat ad Hospitalia erecta Episcopi autoritate, quæ dicit comprehendi nomine Ecclesiæ in fauorabilibus, in aliis autem Hospitalibus, & generaliter in aliis locis, quæ nec sunt Ecclesia, nec Monasteria, dixerat num. 1. in fine. non posse celebrari officia diuina etiam cum moderatione cap. alma mater. sicut nec poterant ante prædictum cap. Sed nos dicimus, quòd non solùm in Hospitalibus (quamuis non sint erecta Episcopi autoritate) licitum est celebrare officia diuina cum prædicta moderatione, sed etiam in omnibus aliis locis aliàs priuilegiatis, in quibus extra tempus interdicti possent celebrari diuina. Vnde qui extra tempus interdicti haberet licentiam celebrandi Missam in oratorio priuato approbato per ordinarium, vel de eius licentia, poterit etiam ibi tempore interdicti Missam celebrare, & per consequens possunt Clerici duo, vel tres, vel plures recitare Horas canonicas in domo, vel in agro, ita tamen, vt non audiantur à secularibus non priuilegiatis; ita Nauarr. num. 157. P. Henrique cap. 46. num. 1. & multi Magistri. Probatur, iure antiquo duo, vel tres Clerici poterant in domo, vel in agro recitare diuinum officium, ita tamen, vt non audirentur à secularibus non priuilegiatis, ergo idem possunt modò multi Clerici: nam quod ius antiquum concedebat duobus, vel tribus Clericis, idem concedit nouum pluribus.

Sed circa verba relata ex cap. alma mater. aliqua notanda restant. Primò, circa illud verbum Missæ, notandum est, non esse necessarium, quòd tempore interdicti celebretur Missa iuxta officium institutum pro tali die, sed poterit etiam dici de alio Sancto; ita Sylvest. suprà, p. 2. Couarr. dicto num. 3. & communiter

Doctores contra Ioannem Monachum.

Circa illud verbum, *& alia officia diuina*, notandum est, quòd omnia officia diuina permittuntur tempore interdicti cum moderatione cap. alma mater. non tamen sine illa; ita Nauarr. num. 177. Probatur: nam licèt cap. alma mater. non concedat generaliter omnia Sacramenta, sed aliqua, vt vidimus, concedit tamen omnia officia diuina, quæ non sint Sacramenta; & quod dixi, *non tamen sine illa*, intelligendum est, exceptis quibusdam festiuitatibus, de quibus infrà.

Tertiò notandum est, quòd Clerici in sacris, licèt sint personaliter interdicti, tenentur recitare diuinum officium, priuatim tamen; sic P. Henrique cap. 43. num. 1. iuxta ea, quæ diximus cap. 6. de excommunic. disput. 4. dub. 6. orationes tamen priuatas bene poterunt dicere coram aliis, vt dum pulsatur ad salutationem Angelicam.

Circa duas primas moderationes, scilicet, *ianuis clausis, & voce submissa*, notandum est quartò, quòd vox debet esse ita submissa, vt moraliter loquendo non possit audiri ab existentibus extra Ecclesiam; hoc tamen non tollit, quin officia ita clarè dicantur in choro, vt officiantes mutuò se audiant; sic Nauarr. num. 174. in fine. Vnde licèt aliqua curiosi auscultantes per parietes Ecclesiæ audiant, officiantes tamen manent excusati, cùm id fiat præter illorum intentionem, & sufficientem adhibuerint cautelam, ne moraliter loquendo auditentur à laicis existentibus extra Ecclesiam. Vbi aduertite cum Medina in Summa, lib. 1. cap. 18. §. 13. quòd si officia non dicuntur in communi, sed à duobus tantùm, non requiritur claudere ianuas, satis est curare, quòd non audiantur à non priuilegiatis; quod etiam est de mente Nauarri citati dub. 1. concl. 2. circa tertiam moderationem, scilicet, *exclusis excommunicatis, & interdictis.*

Notandum est quintò, in cap. alma mater. nihil concedi personis interdictis, præterquam in quatuor festiuitatibus, vnde debent se gerere, sicut ante prædictum cap. vt patet ex prima conclusione huius dubij. Sed occasione huius moderationis videndum est, qui sint illi, qui possunt admitti ad officia diuina. Vnde

DVBITATVR quartò, vtrùm omnes non excommunicati, nec interdicti, siue sint Clerici, siue laici, possint admitti?

Prima conclusio. Quamuis textus solùm exprimat, excludendos esse excommunicatos, & interdictos, nihilominùs tamen etiam sunt excludendi laici non habentes priuilegium, quamuis non sint excommunicati, nec interdicti; sic glossa cap. licèt. de priuilegiis. in 6. Couarr. §. 4. num. 4. qui dicit esse communem. & Nauarr. num. 174. vbi dicit, conclusionem esse adeò veram, vt prædicti seculares non debeant admitti ad oblationem, quæ fieri solet ad medium Missæ, nec ad Pacem, nec debet aperiri eis aliqua fenestra, vel foramen, per quod intueantur corpus Christi, dum eleuatur in Missa. Rationem huius conclusionis assignat glossa, dicto cap. alma mater. verb. interdictis. quia dum interdicitur aliquis locus, prohibitum est omnibus non habentibus priuilegium audire officia diuina in tali loco. Et pro hac conclusione est optimus textus in dicto cap. licèt. vbi habetur, *Licèt sit vobis concessum, vt tempore interdicti celebretis officia diuina ianuis clausis*, &c. *neminem tamen debetis admittere, qui non habeat priuilegium, etiamsi aliunde veniat.*

Contrà modò standum est cap. alma mater. sed in hoc cap. solùm dicitur, *exclusis excommunicatis, & interdictis*, ergo ij solùm sunt excludendi, non obstante cap. licèt. quod est antiquius. Respondetur, quòd quamuis in cap. alma mater. non dicatur expressè excludendos esse laicos non habentes priuilegium, dicitur tamen virtualiter, & implicitè in illis verbis, *ianuis clausis, & submissa voce*: hoc enim eo fine dicitur, vt laici non habentes priuilegium non admittantur intra Ecclesiam, & quòd extra Ecclesiam non audiant officia diuina, quæ intrà celebrantur. Specialiter autem

autem posita sunt illa verba, *exclusis excommunicatis & interdictis*, ad denotandum quòd isti licèt aliàs haberent priuilegium ad audienda diuina tempore interdicti, non tamen sunt admittendi, quia cùm sint personaliter interdicti, non gaudent tali priuilegio.

Secunda conclusio. Laici habentes Bullam Cruciatæ licitè possunt admitti ad Officia diuina tempore interdicti, dummodò non dederint causam culpabilem interdicto, quæ conclusio patet ex ipsa Bulla.

Tertia conclusio. Omnes clerici non excommunicati, nec interdicti, & qui non dederunt causam culpabilem interdicti, si coniugati non sint, quamuis solùm habeant primam tonsuram, possunt celebrare & audire Officia diuina in loco generaliter interdicto cum moderatione cap. alma mater. Quæ conclusio etiam habet verum in clericis, qui sunt alterius Ecclesiæ, & in Religiosis tam viris, quàm fœminis etiam nouitiis. Sic tenet Angelus verb. interdictum. 6. numer. 4. circa finem. Sylvest. ver. interdictum. 5. q. 1. partic. 3. Nauar. cap. 25. numer. 95. & cap. 27. numer. 175. & P. Henrique cap. 44. numer. 6. Probatur, in cap. alma mater. conceditur, vt Officia diuina celebrentur, ergo eo ipso id censetur concedere omnibus ministris Ecclesiæ, quandiu non limitat, cùm hoc sit proprium Officium illorum, sed omnes clerici, etiam primæ tonsuræ, sunt Ecclesiæ ministri, ergo. Quòd verò etiam intelligatur conclusio de Religiosis etiam nouitiis, probatur: nam in fauorabilibus appellatione clericorum veniunt Religiosi etiam nouitij, vt ait Sylvest. ver. clericus. 1. num. 1. & patet ex Canon. duo sunt. 21. q. 1. vbi duo tantùm numerantur gratia Christianorum, scilicet clericorum & laicorum.

Quarta conclusio. Clerici coniugati etiam cum vnica, eáque virgine, quamuis habeant tonsuram & habitum clericalem, non possunt interesse Diuinis tempore interdicti absque alio speciali priuilegio; sic Nauarr. cap. 27. numer. 174. Couarru. §. 4. num. 5. illatio. 10. P. Henrique cap. 94. num. 1. Probatur; nam isti quantùm ad hoc reputantur seculares: solùm enim gaudent duplici priuilegio, scilicet fori & Canonis, vt constat ex c. 1. de clericis coniugatis. in 6. & quantùm ad alia censentur merè laici, vt dicunt communiter Doctores; imò post Concilium Trid. sess. 23. cap. 6. de reformatione. requiruntur aliæ conditiones ad hoc, vt gaudeant priuilegio fori. Aduerte tamen, quòd hæc conclusio non habet verum in illis clericis coniugatis, qui sunt adscripti alicui Ecclesiæ, iuxta Concil. Trident. isti enim possunt interesse diuinis Officiis; ita Emanuel Rodriguez in Bulla. §. 5. numer. 4. & est de mente Soti d. 22. q. 3. art. 1. post 4. concl. versicu. igitur extra. Et patet: nam ratio quare clerici coniugati perdunt priuilegium assistendi diuinis Officiis est, quia iam non sunt ministri altaris, nec Ecclesiæ, vt inquit Sotus, ergo quando sunt deputati ministri Ecclesiæ, gaudent hoc priuilegio. Et fauet Concilium Trident. sess. 23. cap. 7. de reformat. dicens, quòd si ministeriis quatuor minorum Ordinum exercendis clerici cælibes præstò non erunt, suffici possint coniugati, dummodò non bigami, & iuxta hoc intelligendum est cap. vnicum. de clericis coniugatis. in Sexto.

DVBITATVR quintò, vtrùm infantes & amentes sint excludendi ab Ecclesia tempore interdicti, quando celebrantur Officia diuina; Partem affirmatiuam tenet Nauar. num. 168. quia sine culpa propria potest aliquis interdici.

Prima conclusio. Pueri nondum habentes vsum rationis non comprehenduntur interdicto, vnde possunt admitti ad Officia diuina; ita Couarru. §. 4. numer. 5. illat. 12. P. Henrique cap. 49. numer. 2. & communiter moderni. Probatur primò, quia non sunt capaces præcepti ecclesiastici, imò nec naturalis. Secundò probatur: nam isti non dicuntur assistere diuinis Officiis, si quidem non assistunt moraliter,

realiter, & quando Ecclesia tempore interdicti prohibet laicis, ne assistant diuinis Officiis, prohibet assistentiam moralem. Et hæc ratio probat, conclusionem non solùm habere verum in interdicto personali generali, sed etiam in locali, vnde licèt terra sit interdicta, non sunt infantes excludendi, quamuis contrarium teneat Emanuel in Bulla. §. 5. dub. 2. num. 14. atque adeò non peccant, qui illos introducunt; nec contrarium huius conclusionis tenet Sylvest. ver. interdictum. 2. partic. 17. vt malè citatur à quibusdam: loquitur enim de pueris doli capacibus.

Secunda conclusio. Pueri, qui post septennium non habent omninò rationis vsum, quamuis possint aliquo modo percipere Officia diuina fieri in diuinum cultum, possunt admitti ad diuina. Hæc conclusio est contra Couarru. & Emanuelem supr. & contra alios, tamen eam tenent aliqui Magistri, & ratio quæ me mouet est, quòd isti nõ sunt capaces alicuius præcepti, siquidem non possunt peccare ne venialiter quidem: nam defectus libertatis quando prouenit ex parte facultatis, & non solùm ex parte exercitij, sicut excusat à mortali, ita etiam excusat à veniali, vt docet D. Tho. 2. 2. q. 89. art. 6. & ibi Caiet. & per consequens excusat ab omni obligatione præcepti.

Tertia conclusio. Quod dictum est de pueris, idem omninò dicendum est de amentibus siue à natiuitate, siue casu aliquo.

Quarta conclusio. Adulti sui compotes quamuis sint cæci & surdi, si non habeant priuilegium, non sunt admittendi ad Officia diuina tempore interdicti, sic P. Henrique supr. Probatur, quia sunt capaces præcepti, & dicuntur moraliter assistere diuinis Officiis, vnde tenentur audire Missam diebus festis.

Quinta conclusio. Pueri etiam carentes rationis vsu non debent sepeliri in loco sacro tempore interdicti, ita Couarru. sup. Emanuel nu. 14. citato. Corduba in Sum. q. 60. dicto 3. P. Henrique cap. 42. num. 4. circa finem. & cap. 44. num. 3. & alij communiter. Probatur: nam per interdictum locale Ecclesia redditur quodammodò incapax, vt corpus humanum sepeliatur in illa.

Et hinc sequitur differentia inter prohibitionem sepulturæ & diuinorum Officiorum: nam Officia diuina directè prohibentur ipsis interdictis, ne audiant illa, & ideò ex vi huius prohibitionis requiritur in illis vsus rationis, at verò prohibitio sepulturæ non solùm prouenit ex parte interdictorum, sed etiam ex parte Ecclesiæ, in qua sepeliendi essent.

Sed quid, si interdictum est personale generale, & tamẽ locus nõ est interdictus? Credo, quòd non possunt sepeliri. Hoc necessariò concedet Nauar. Et probo, quia licèt interdictum personale non comprehendat infantes, quantùm ad effectus requirentes vsum rationis, bene tamen quantùm ad hunc effectum, qui non requirit: nam quantùm ad hunc effectum, tam expers rationis est cadauer adulti, sicut infantis.

Ad fundamentum Nauar. respondetur, quòd licèt non requiratur propria culpa, vt alicui interdicatur auditio diuinorum Officiorum, requiritur tamen rationis vsus.

DVBITATVR sextò, vtrùm laici habentes priuilegium audiendi Officia diuina tempore interdicti, teneantur audire Missam diebus festis?

Prima opinio affirmat, ita Soto in 4. d. 13. q. 2. art. 1. circa finem. Nauar. cap. 21. num. 3. Medina in Sum. lib. 1. Emanuel in Bulla. §. 5. dub. 1. num. 6. P. Henrique cap. 48. num. 5. & quàm plurimi ex Magistris. Probatur primò, iste potest audire, ergo tenetur. Secundò, respectu huius iam non est interdictum, ergo tenetur, sicut antequàm poneretur interdictum. Tertiò, si detento in carcere concedatur licentia, vt eat ad audiendam Missam, tenetur audire, ergo etiam in nostro casu.

Secunda opinio est negatiua. Hanc tenuit Victoria & Cano, & aliqui viri docti, Quæ

cti. Quæ probatur primò, quia nemo obligatur vti priuilegio sibi concesso: nam priuilegium non conceditur inuito. Secundò, tempore interdicti est obligatio laicis non audiendi diuina, ergo qui habet Bullã, bene potest se conformare huic præcepto, si velit, præcipuè cùm sit valdè conforme intentioni Ecclesiæ, quòd omnes se conforment huic præcepto, vt sic ecclesiasticæ censuræ non admittant suum vigorem.

Sit prima conclusio. Omnes clerici & Religiosi, qui secundùm ius commune habent licentiam audiendi Officia diuina, tenentur diebus festis audire Missam. In hac conclusione vtraque opinio conuenit. Probatur, clerici secundùm ius commune non sunt prohibiti ab audiendis vel celebrandis diuinis Officiis tempore interdicti, seruata moderatione c. alma mater. ergo non est vnde excusentur diebus festis ab audienda Missa, atque adeò licèt communiter soleat concedi, quòd clerici secundùm ius commune habent priuilegium audiendi diuina tempore interdicti, verius tamen & propriùs dicitur, quòd hoc non est illis prohibitum, quàm quòd habent priuilegium.

Secunda cõclusio Opinio secunda semper visa est mihi probabilior, & præter rationes factas probatur: nam si diceretur Missa in aliqua Ecclesia in tali distantia, quòd non comprehendatur intra continentia mœniorum, quamuis distantia non sit tanta, vt deobligaret homines ab audienda Missa, quando non est interdictum, non tenentur homines illuc ire tempore interdicti ad audiendum Missam.

Ad primum argumentum primæ opinionis respondetur, quòd quamuis habeat præceptum audiendi Missam, & possit audire, non tenetur, quia est aliud præceptum in contrarium, cui potest se conformare si velit.

Ad secundum respondetur, quòd respectu habentis Bullam non est interdictum, quod simpliciter obliget illum, est tamen interdictum, cui, si velit, possit se conformare.

Ad tertium concesso antecedenti negatur consequentia: nam impedimẽtum carceris est impedimentum ipsius personæ, sicut est impedimentum infirmitatis, & ideò illo cessante currit obligatio audiendi Missam, at verò impedimentum interdicti est impedimentum iuris.

DVBITATVR septimò, quando aliquis habet priuilegium audiendi vel celebrandi Officia diuina tempore interdicti, vtrùm possit adducere secum in Ecclesiam suos familiares domesticos?

Prima conclusio. Quando aliquis habet priuilegium audiendi vel celebrandi Officia diuina tempore interdicti, voce submissa, ianuis clausis, potest secum adducere suos familiares domesticos, vt simul audiant Officia diuina, dummodò eius culpa vel fraude non fuerit latum interdictum, nec suo consilio, auxilio, vel fauore dederit causam delicti, propter quod impositum est interdictum: talis enim non gaudet hoc priuilegio. Hæc est Soti dist. 22. q. 3. art. 1. post 4. concl. Nauar. num. 180. Couarr. p. 2. §. 4. num. 5. illatio. 11. & habetur expressè in cap. licèt vobis. de priuilegiis in 6.

Sed tota difficultas est, quid intelligatur in prædicto c. per familiares domesticos?

Pauci quidam iuniores tenent, quòd etiam in hac materia nomine familiarium, intelliguntur vxor, filij, nepotes, serui, & famuli ei subiecti, qui ratione potestatis paternæ vel dominij degunt cum eo. Nauarr. autem num. 181. ait, quòd licèt in aliis materiis omnes isti intelliguntur nomine familiarium, cæterùm in proposito omnes & illi soli dicuntur familiares domestici, qui eum comitari solent.

Sit secunda conclusio. Probabilior est sententia Nauar. quod etiam tenet P. Henrique lib. 7. de indulgentiis. cap. 13. num. 3. Emanuel in Bulla. §. 5. num. 5. & eam clarè videtur amplecti Soto d. 22. q. 3. art. 1. post 4. concl. dicens, quòd priuilegiatus per diploma Pontificis, potest familiam suam, quæ eum comitatur, in Ecclesiam secum ducere. Eandem videtur tenere Auchara-

nus & Geminia. dicto capit. licèt. & eandem sequuntur moderni communiter. Ra-
Ratio conclusionis est: nam finis extendendi hoc priuilegium ad familiares est, ne alioquin priuilegium redderetur inutile illis, qui non possunt decenter incedere sine comitatu, sed hæc ratio solùm currit in illis familiaribus, qui solent comitari priuilegiatum, ergo illi soli sunt intelligendi. Sed circa conclusionem hanc aliqua sunt notanda.

Primò, quòd per familiares domesticos intelliguntur etiam illi famuli, qui non habitant domi, dummodò comitari soleant priuilegiatum.

Secundò notandum est, conclusionem esse intelligendam de familiaribus illis, qui non sunt recepti in fraudem interdicti. ita Soto, Nauar. num. 180. Emanuel §. 5. num. 5. P. Henrique num. 3. citato. Probatur ex capit. fin. de verborum significat. in 6. vbi dicitur, illum vocari clericum alicuius, qui sine fraude ab eo susceptus est, & continuè in eius familia assistit sustentatus eius sumptibus.

Tertiò notandum est, quòd si familiares illi, qui talem priuilegiatum comitari consueuerant, sint absentes vel infirmi, poterit priuilegiatus totidem alios assumere, vt illum in Ecclesiam comitentur. Probatur ratione sup. tradita, quòd alioquin priuilegium redderetur inutile.

Quartò notandum est, huiusmodi familiares debere assistere diuinis simul cum *domino*, vnde si dominus habeat multos familiares, & cum aliquibus eorum audiuit Missam, non possunt reliqui familiares audire aliam Missam absente domino; imò verò glossa dicto capit. licèt. ait, quòd non potest dominus audire aliam Missam, quam audiant reliqui familiares, qui anteà fuerunt absentes. Quod ego tantùm admittam in casu, quòd dominus audiat aliam Missam hoc solo intuitu, quòd isti familiares eam audiant, secus si ex deuotione velit aliam audire.

Supereſt alia difficultas, quid intelligatur in dicto ca. licèt. per priuilegium conceſſum ſingulari perſonæ?

Nonnulli moderni dicunt, intelligi priuilegium particulare, quod vni soli conceditur, & non aliis simul, & ideò dicunt, quòd priuilegium iuris communis conceſſum clericis, & priuilegium Bullæ Cruciatæ conceſſum omnibus illam sumentibus, non dicitur conceſſum ſingulari perſonæ. Ex quo inferunt, quòd dictum cap. licèt. non concedit huiusmodi priuilegiatis facultatem ducendi secum in Eccleſiam ſuos familiares tempore interdicti. Et quantùm ad priuilegium iuris communis conceſſum clericis, fundant ſe iſti moderni in hoc, quòd iſtud non eſt propriè priuilegium.

Sit tamen tertia concluſio. Priuilegium iuris conceſſum clericis, & priuilegium Bullæ Cruciatæ etiam comprehenduntur ſub priuilegio conceſſo ſingulari perſonæ. ita multi viri docti. Et quantùm ad priuilegium Bullæ, id tenet apertè Soto diſt. 22. q. 3. artic. 1. poſt 4. concluſio. verſ. igitur. & P. Henrique cap. 48. circa finem. Probatur concluſio: nam in dicto cap. licèt. priuilegium conceſſum ſingulari perſonæ diſtinguitur contra priuilegium conceſſum Conuentui, aut Collegio, vel alteri communitati collectiuè, per quod non poſſunt familiares admitti ad diuina, vt dicitur in eodem cap. Ideò autem dicitur conceſſum communitati collectiuè, quia nulli de tali communitate prodeſt, niſi quatenus eſt pars talis communitatis, quâ ſi deſerat, non gaudet priuilegio. At verò priuilegium conceſſum pluribus diſtributiuè, dicitur conceſſum ſingulari perſonæ, quia vnicuique ſuſcipienti primam tonſuram, vel Bullam independenter ab aliis conceditur, quòd diuinis aſſiſtant, & poſſint ſecum ducere ſuos familiares. Confirmatur: nam ratio tradita, ſcilicet ne alioquin priuilegium reddatur inutile, æqualiter currit in priuilegiato per Bullam, vel clericatum. Hæc autem ratio non currit in Collegio, vel Conuentu, quia nec indigent comitatu, nec miniſtro externo ad celebranda Officia diuina, cùm ipſi

ſint

sint plures, quorum aliqui id munus commodè præstant. Et hæc est ratio, quæ mouit Pontificem in dicto cap. ad ponendum discrimen inter priuilegium concessum communitati collectiuè, & quodlibet aliud priuilegium concessum vel vni tantùm, vel pluribus distributiuè, vt habetur ex glossa ibidem. Verum est, quòd si reliqui omnes de tali Collegio præter vnum ægrotarent, vel essent absentes, posset iste celebrare cum laico sibi ministrante, si nón esset alius priuilegiatus. ita glossa dicto cap. licèt. Angel. ver. interdictum. 6. numer. 6. P. Henrique cap. 48. in fine. Syluest. verb. interdictum. 5. q. 1. partic. 4. vbi citat alios. Ratio est, ne istud priuilegium reddatur inutile.

Ad fundamentum autem contrariorum quantùm ad priuilegium iuris communis concessum clericis respondetur, quòd licèt non sit propriè priuilegium, tamen habet quandam rationem priuilegij, inquantùm ex vi illius concessionis possunt interesse diuinis.

Ex dictis sequitur primò, quòd sacerdos, quamuis non habeat Bullam ex vi concessionis iuris communis, potest secum ducere solitum comitatum, & per consequens potest secum ducere ministrum laicum, qui ei ministret sacro. Et quamuis Couarru. p. 2. §. 4. num. 5. limitet hoc ad famulum receptum ante interdictum, tamen extendendum est cum Nau. num. 181. etiam ad receptum post interdictum. Præterea, si famulus ægrotet, vel sit absens, poterit sacerdos assumere alium. ita Emanuel in Bulla. §. 5. nu. 5. Imò dico hoc esse verum, quamuis non assumat vt famulum, sed solùm ad hoc, vt ei ministret sacro, si non potest facilè inuenire alium priuilegiatum. Probo: nam aliàs priuilegium redderetur inutile.

Sequitur secundò, quòd habens Bullam Cruciatæ posset adducere secum suos familiares ad audienda diuina, quamuis Bulla non contineret expressè hanc clausulam.

Et notandum est primò, quòd concessionem Bullæ audiendi diuina tempore interdicti intelligo de interdicto generali locali, non de speciali, iuxta dicta dub. 3. ita P. Henrique lib. 7. de indulgentiis. c. 13. nu. 3. Et probo ex verbis Bullæ Latinæ, quæ sic dicit: *In Ecclesiis, in quibus aliàs diuina Officia interdicto durante quomodolibet celebrari permissum fuerit.*

Secundò notandum est, Bullam etiam concedere facultatem, quòd possit in Oratorio celebrare, vel facere celebrare in præsentia sua, & suorum familiarium, & cognatorum. Nomine autem cognatorum intelliguntur vxor, filij, nepotes, & reliqui intra quartum gradum. Sic Emanuel §. 5. numer. 5. Sed circa has duas concessiones Bullæ est difficultas, de quibus familiaribus sint intelligendæ? Nonnulli enim moderni dicunt, primam concessionem, scilicet audiendi diuina in Ecclesia, intelligi solùm de familiaribus, qui talem priuilegiatum communiter solent comitari, non de cognatis: nam hoc sufficit ad hoc, vt hæc concessio non reddatur inutilis. At verò secunda concessio intelligitur de familiaribus & cognatis: nam ad hoc, vt hæc concessio non reddatur inutilis, requiritur, quòd admittantur omnes domestici, tam famuli, quàm cognati, siquidem indecentiùs possent excludi cognati, quàm famuli, & idem clarè videtur tenere Emanuel numer. 5. allegato. Cæterùm P. Henrique lib. 7. de indulgentiis. cap. 13. num. 3. ait, quòd etiam potest deferre secum in Ecclesiam consanguineos, & huic sententiæ fauent verba Bullæ tam Hispanæ, quàm Latinæ. fauet etiam: nam aliàs quantùm ad hoc nihil daret mihi Bulla præter id, quod concessum est in dicto cap. licèt. Verum est, quòd P. Henrique ibi, & lib. 13. de excommunicat. cap. 48. circa finem. quantùm ad hoc, quod est ferre secum cognatos in Ecclesiam, solùm intelligit vxorem, & cognatos in primo gradu, sed cùm lex generaliter loquitur, generaliter est intelligenda, maximè quòd eisdem verbis loquitur de celebratione vel auditione Missæ coram cognatis in Ecclesia, & in Oratorio.

Circa eandem concessionem Bullæ est certiò notandum, quod habens Bullam, debet esse præsens celebrationi Missæ, vnde illo absente non poterunt familiares & cognati Missam audire. Sic Emanuel num. 5.

Quartò notandum, quòd licèt Bulla dicat, quòd tũc astantes in Oratorio fundant aliquas preces, nõ ponitur tanquàm conditio sine qua non liceat celebrare, vel facere celebrare. ita Enr. cap. 48. num. 4. in fine.

Quintò notandum est, qeòd qui fecit celebrare vnam Missam in Oratorio, quã audiuit cum aliquibus familiaribus, aliis tamen absentibus, non poterit facere celebrare aliam, & audire illam, vt familiares, qui anteà fuerunt absentes, eam audiant, ita glossa dicto cap. licèt. quæ sententia non est ita certa, quin oppositum sit satis probabile.

Quarta conclusio. Licèt ex vi priuilegij concessi alicui communitati collectiuè, nõ possint eius familiares assistere diuinis Officiis, vt dictum est, tamen aliquibus Religionibus est concessum, vt tempore interdicti possint celebrare diuina coram suis familiaribus, qui eis inseruiũt, de quo vide Armill. verb. interdictum. nu. 40. Aliquibus etiam Religionibus concessum est, vt possint ea celebrare coram suis Confratribus, quod de illis tantùm Confratribus est intelligendum, qui mutato habitu seculari, adhuc in seculo manentes, eorum Ordini sunt oblati, vel si non mutant habitum, tamen seipsos & bona sua monasterio dederunt per donationem inter viuos, retẽto sibi vsufructu, quandiu vixerint. Sic Angelus verb. interdictum. 6. num. 7. Sylu. verb. interdictum. 5. q. 1. partic. 5. Nauar. num. 188. & Couar. par. 2. §. 2. num. 8. & est textus in cap. vt priuilegia. de priuilegiis. qui recte declaratur à Couarru. Et hæc de tertia moderatione. Quarta moderatio est, *non pulsatis campanis*, de qua

DVBITATVR octauò, quomodo sit intelligenda? Respondetur, quòd tempore interdicti, exceptis quibusdam festis, de quibus infrà, non possunt pulsari campanæ magnæ, nec paruulæ ad aliquod diuinum Officium, vnde non licebit in Missa pulsare tintinnabulum ad Sanctus, vel cùm eleuatur Hostia. ita Sylu. vera. interdictum. 5. q. 5. part. 6. Nauarr. num. 177. Couarru. p. 2. §. 4. num. 5. illat. 13.

Hinc sequitur, non licere campana magna vel parua etiam longè ab Ecclesia distante vocare sacerdotes ad dicendas Missas, vt dicit Anton. 3. p. titul. 26. cap. 4. non longè à fine. P. Henrique cap. 46. num. 1. nam vocare ad dicendas Missas, est vocare ad Officia diuina, vnde ad vocandum ministros & populum ad diuina, vtendum est signo tabulæ, scilicet cum matraca & tuba. Dixi, *ad aliquod diuinum Officium*: nam ad ea, quæ non sunt Officia diuina, licitum est pulsare campanas, verbi gratia, ad salutationem Angelicam, ad concionem, ad ostendendas Reliquias pro aduentu Regis aut Prælati, & etiam ad conuocandum populum, vt comitetur Eucharistiam, cùm defertur ad infirmos. Salmanticæ est consuetudo pulsandi campanas, ad notificandum interdictum horis, quibus finienda erat pulsatio ad Primam & Vesperas, quæ consuetudo licèt ibi excuset, non tamen licet eam alibi de nouo introducere: nam est manifesta fraus contra interdictum, vt dicunt Nauar. nu. 177. & P. Henrique c. 46. num. 1. Et hæc de secunda concessione.

Tertia concessio dicti c. alma mater. est, quòd in quatuor præcipuis festiuitatibus anni, scilicet Natalis Domini, Paschæ, Pentecostes, & Assumptionis Virginis Mariæ, celebrẽtur Officia solemniter ianuis apertis, alta voce, pulsatis campanis, excommunicatis prorsus exclusis, interdictis verò admissis, ita tamen vt illæ personæ interdictæ, propter quarum excessum impositum est interdictum, non appropinquent altari. De qua concessione

DVBITATVR nonò, quomodo sit intelligenda? Pro quo notandum est primò, concessionem hanc solùm intelligi pro ipsis

ipsis diebus festis, non pro Octauis. sic Anton. 3.p.tit.26.cap.4. Sylvest. verb. interdictum. 5.q.2.partic.2. Naua. num.182. glossa dicto cap. alma mater. & communiter Doctores, & est vsu receptum.

In explicando autem, quid intelligatur nomine festi, est difficultas. Anton. enim sup. Sylvest. sup. P. Henri. c.47. nu.1. in fine. tantùm intelligunt primos dies Paschatum, non reliquos.

Sed probabilius est, intelligi etiam omnes dies Paschatum; ita Soto d.22.q.3. art.1.conc.4. & aliqui Magistri. Probo. Ca. alma mater. dicit, *In festiuitatibus verò Natalis Domini, Paschæ, ac Pentecostes*, sed secundùm communem vsum loquendi festiuitas Paschæ, Natalis Domini, durat per quatuor dies, & reliquarum Paschatum durat per tres, ergo.

Secundò notandum est, concessionem hanc extensam esse per alios Pontifices ad alias solemnitates. Primò enim extensa fuit per Martinum V. ad festum Corporis Christi, & ab Eugenio IV. per totam Octauam eiusdem festi. Secundò extensa est per Leonem X. ad festum Conceptionis B. Virginis, & ad eius Octauam; ita Sylvest. verb. interdictum. 5. quæst. 1. partic. 1. Nauarr. num.182. Couarruu. §.5. numer. 1. Aduertunt autem hi Doctores, extensionem ad festum Conceptionis solùm habere locum in Ecclesiis, in quibus celebratur Officium Conceptionis ordinatum per quendam Protonotarium, cuius Missa incipit, *Egredimini*; sed consuetudine obtentum est, vt extensio habeat locum, quamuis non dicatur prædictum Officium: ita P. Henrique. cap.47. num.4. Tertiò extensa est per varia Pontificum priuilegia ad festiuitates diuersarum Religionum, vt latè Nauar. in Hispa. cap. 27. num.183. & P. Enr. cap.48. num.1. vbi addit non esse reuocata per Concilium Tridentinum. Solùm est aduertendum cum Sylvest. sup. quæst.5. partic.7. hanc extensionem non esse intelligendam de priuilegiis concessis ante cap. alma mater. nisi postea sint confirmata, vel renouata, sed de concessis postea, cuiusmodi est secundùm Sylvestrum priuilegium Prædicatorum, & Minorum, huiusmodi etiam est priuilegium ordinis D. Benedicti in Hispania, cùm fuerit concessum à Leone X. qui fuit post Bonifacium VIII. autorem cap. alma mater. Quo priuilegio gaudent omnes Mendicantes per facultatem illis concessam per aliquos Pontifices communicandi omnibus priuilegiis aliarum Religionum Mendicantium, & non Mendicantium, vt ait Nauar. loco modò citato. Quòd verò hæc extensio solùm habeat locum in priuilegiis concessis post cap. alma mater. probatur ex ipso textu, in illis verbis, *non obstantibus quibuscunque priuilegiis, &c.* Et Angelus verb. interdictum. 6. num. 7. & Couarr. sup. num. 5. aduertunt, hoc esse verum, licèt tale priuilegium habeat simplicem derogationem futuræ cõcessionis, aut constitutionis. Sed de huiusmodi derogatione videte omnino Armill. verb. interdictum, num.40. Præterea, aduertit Sylvest. partic.7. citata. circa priuilegia collata Religiosis, quòd si sint data personaliter, verbi gratia, *Concedimus vobis, quòd possitis celebrare*, tales Religiosi non poterunt alios admittere ad celebrandum, bene tamen si sint data impersonaliter, verbi gratia, *Concedimus, vt in vestris Ecclesiis celebretur*; & ad idem allegat Sylvest. Innocentium, Hostiensem, & alios. idem tenet P. Enr. c. 48. n.1. lit. L.

* Quartò ait Couarr. num. 4. extendendam esse huiusmodi concessionem ad aduentum Regis in aliquam ciuitatem interdictam, saltem pro primo die aduentus, vel pro die proximè sequẽti, & quamuis de hoc nihil habeatur in iure, videtur tamen satis rationabile.

Vltimò notandum est, huiusmodi concessionem tantùm habere locum in interdicto locali generali, non in speciali; sic P. Henriqu. cap.47. num.2. & alij. Probatur, in hoc §. in festiuitatibus conceditur, vt in prædictis quatuor festiuitatibus Officia diuina publicè celebrentur, in loco in quo in præcedenti §. concessum erat, vt in

quolibet die anni celebrarentur cum moderatione, sed in quolibet die anni solùm conceditur celebratio in loco generaliter interdicto, vt vidimus dub.3. ergo idem dicendum est de celebratione solemni in prædictis festiuitatibus.

Supposito quòd ista concessio intelligitur pro istis diebus festis, vt explicatum est, DVBITATVR decimò, à qua parte diei incipiunt huiusmodi festiuitates, & in qua finiuntur?

Nonnulli tenent, quòd incipiunt à primis Vesperis Vigiliæ, & finiuntur in secundis Vesperis festi, ita vt non liceat dicere Completorium cum solemnitate. Ita videtur tenere Anton.3.p.tit.26.cap.4. & pro hac opinione refert Couarru.§.5.nu. 5. Ancharanum, & glossam in dicto cap. alma mater. quæ sententia probatur ex cap.2.de feriis. vbi dicitur, quòd festiuitates incipiunt à primis Vesperis, & finiuntur in secundis.

Prima cõclusio. Si excipiamus tria Paschata, omnes Doctores conueniunt, quòd festiuitates (quantùm ad præsens attinet) incipiunt à primis Vesperis Vigiliæ. ita Soto dist. 22. quæst.3. artic.1. post 4. concl. Nauar. num. 184. Couarru. num.5. citato. vbi allegat multos. Dixi, *si excipiamus tria Paschata*: nam Soto dicit, quòd in festo Resurrectionis incipit hęc cõcessio amissa, vigilia saltem ab initio gloriæ; idem tenet Emanuel in Bulla §.5.num.44. & inquit ita fuisse determinatum per Doctores Salmanticenses post magnam consultationem. Idem tenet Palud. in 4.dist.18. quæst.8. artic.2. principali, conclus.7. Et probat, quia Officium solemnitatis Paschæ & gaudia incipiunt ab hac Missa, & propter eandem rationem idem tenet de Missa Vigiliæ Pentecostes, & Natalis Domini, quoniam ab illis incipit Officium sequentis festi, & hoc videtur amplecti Armilla, verb. interdictum. num.43.

Secunda conclusio. Hæc sentẽtia est vera quantùm ad Pascha Resurrectionis, & probabilis quantùm ad Pascha Pẽtecostes, falsa tamen quãtùm ad Pascha Natiuitatis.

Primum probatur ex cap. 2. de feriis, vbi dicitur, quòd quamuis scriptum sit, *à Vespere in Vespere celebrabitis Sabbata vestra*, per quod denotatur, festa à Vesperis incipere, & terminari, nihilominùs principium & finis festorum iuxta ipsorum qualitatem & diuersarum regionum consuetudinem, debet attendi, sed solemnitas Resurrectionis incipit à Missa, quæ dicitur in Vigilia, imò ipsa Missa est noctis Resurrectionis. Vnde dicitur in ea, *Deus qui hanc sacratißimam noctem*; sed hanc Missam imbecillitas humana impatiens tanti ieiunij anticipauit, vt inquit Nauarr.cap.25.num.88. Secundum probatur. nam in Missa Vigiliæ Pentecostes legitur Præfatio Spiritus sancti, in quo dicitur, *Qui hodierna die Spiritum sanctum in filios adoptionis effudit*; & legitur communicanda, in qua dicitur, *Diem sacratißimum Pentecostes celebrantes*. Tertium verò probatur, quia in Missa Vigiliæ nec ponitur Præfatio festi, nec alius ex quo colligatur, celebrari tunc festum Natiuitatis, imò contrarium colligitur ex Introitu, in quo legitur, *Hodiè scietis, quia veniet, &c. & manè videbitis gloriam eius*.

Tertia conclusio. Huiusmodi festiuitates finiuntur in vltimo Completorio festi inclusiuè. sic Autores citati pro prima conclusione. Probatur: In his diebus licet solemniter celebrare omnia Officia diuina, sed Completorium est pars Officij eiusdem diei, ergo. Et nota cum Medina in Summa. lib.1. capit. 10. §.3. quòd quando dicimus, festiuitates terminari in vltimo Completorio, intelligendum est secundùm diuersum modum recitandi diuersarum Ecclesiarum; vnde si in aliqua Ecclesia dicatur Completorium, postquàm finitum est in Cathedrali, & ibi pulsatum est ad interdictum, rectè poterit dici cum solemnitate, dummodò procedatur bona fide, & non differatur hora Completorij in fraudem interdicti.

DVBITATVR vndecimò, quænam Officia diuina permittantur celebrari publicè

blicè & solemniter in huiusmodi festiuitatibus?

Prima conclusio. In prædictis quatuor festiuitatibus non solùm licet celebrare Officia diuina propria illius diei, sed etiam quæcunque alia, & Missas votiuas. ita Sylvest. verb. interdictum. 5. q. 2. partic. 1. Nauarr. num. 185. Couarru. sup. §. 5. nu. 5. Et communiter probatur, ibi absolutè conceditur, quòd in huiusmodi festiuitatibus celebrentur solemniter Missæ & alia Officia diuina, sicut in §. præcedenti absolutè dixerat, quòd Officia celebrentur sine solemnitate, sed omnia Officia diuina possunt celebrari sine solemnitate quolibet die tempore interdicti, ergo. Itaque licitum est celebrare publicè & solemniter ea omnia, quæ sectione 1. dub. 1. diximus esse Officia diuina; excipio tamen benedictiones nuptiales pro illo tempore, quo sunt specialiter interdictæ, iuxta dicta sectio. 1. dub. 6. Hæc conclusio partim est contra Couarru. §. 5. num. 6. dicentem, in huiusmodi festiuitatibus non esse licitam solemnem benedictionem fontis baptismalis, nisi in festo Paschæ. Probo: Tempore interdicti non licet benedictio fontis baptismalis etiam cum moderatione. cap. alma mater. ergo nec licebit solemnis benedictio in illis festiuitatibus. Probatur antecedens: nam ad Baptismum non est necessaria benedictio fontis. Sed contrarium est tenendum. Probatur, tempore interdicti est licita solemnis administratio Baptismi, vt diximus sectio. 1. dub. 4. sed ex instituto Ecclesiæ Baptismo solemni annexa est benedictio fontis baptismalis, ergo est licita tempore interdicti, & per consequens in illis festiuitatibus erit licita cum omni solemnitate.

Secunda conclusio. Sicut licitum est celebrare solemniter omnia Officia diuina illis quatuor festiuitatibus, ita etiam licitum erit in festo Corporis Christi, & Conceptionis Beatæ Virginis cum suis Octauis, & in aliis festis, in quibus per specialia priuilegia concessum est, Officia diuina solemniter celebrari tempore interdicti. ita Nauar. num. 186. & 177. vbi fatetur, se olim tenuisse contrarium.

Tertia conclusio. Quando interdictum suspenditur à Iudice ad aliquod tempus determinatum, omne & solum illud licebit, ad quod suspenditur; verbi gratia, si tantùm suspenditur quoad sepulturam, vel quoad certam Missam, vel certum Sacramentum, id tantùm licebit, & non amplius. ita Nauar. nu. 183. & ait, hoc sæpe contingere Salmanticæ.

DVBITATVR duodecimò, vtrùm in huiusmodi solemnitatibus liceat recipere Sacramenta tempore interdicti?

Prima conclusio. Non est facta mutatio circa Sacramenta, vnde ea solùm licent in his festiuitatibus, quæ licent extra illas tempore interdicti. ita Couarru. §. 5. nu. 6. vers. illud tamen. vbi dicit esse communem.

Hinc sequitur primò, quòd quamuis currat præceptum ecclesiasticum de communicando in Paschate, non licet communicare. ita Sylvest. verb. interdictum. 5. quæst. 2. partic. 3. & alij communiter, quia tale præceptum intelligendum est secluso interdicto.

Sequitur secundò, quòd non potest sacerdos de manu aliena sumere Eucharistiam. ita Couarr. §. 5. circa finem. corollario 12. P. Henriq. lib. 7. de indulgentiis. c. 13. num. 4. litera Q.

Sed contrà: nam in his solemnitatibus aufertur interdictum. Respondetur, quòd non aufertur, sed suspenditur, vt patet ex glossa cap. vt priuilegia. de priuilegiis. verbo, semel in anno. & hæc suspensio non est quoad omnia, sed solùm quoad celebrationem diuinorum Officiorum, vt patet ex cap. alma mater.

Secunda conclusio. Quando aliquis in huiusmodi festiuitatibus communicat ex priuilegio, populus bene poterit interesse sumptioni Eucharistiæ. Ita Soto dist. 22. quæst. 3. artic. 1. post 4. conclusionem, & Magistri.

Vtrùm verò in his festiuitatibus liceat

Eccle

ecclesiastica sepultura? Dicemus infrà. De alia particula dicti ca. alma mater. scilicet, *interdictis admissis*, notandum est, omnes interdictos, quamuis specialiter sint interdicti, & nominatim denunciati, admittendos esse in omnibus his festiuitatibus ad Officia diuina: nam textus generaliter loquitur de interdictis, & solùm excipit excommunicatos. Alia verò particula, scilicet *illi, propter quorum excessum positum est interdictum, non appropinquent ad altare*, non solùm est intelligenda, quòd nó accedant ad suscipiendum Eucharistiam: hoc enim etiam aliis, scilicet non interdictis, prohibetur, vt vidimus, sed intelligenda est, quòd secundùm situm localé non appropinquent ad altare, nec ad orandum, nec ad faciendam oblationem, sed remaneant remoti ab altari, sicut de manifestis vsurariis decernitur in cap. quia in omnibus. de vsuris. sic Armil. ver. interdictum. num. 43.

Sectio III.

De tertio effectu interdicti, qui est prohibitio ecclesiasticæ sepulturæ.

De quo tractat P. Henrique cap. 44. num. 4. & 5.

Dvbitatvr primò, quomodo sit intelligendus?

Supposito quòd interdictum vnum est personale, alterum locale, sit prima conclusio. Omnes illi, qui sunt personaliter interdicti, carent ecclesiastica sepultura, siue laici sint, siue clerici. ita Sylvest. verb. interdictum. 5. q. 2. partic. 4. & habetur cap. is cui. de sentent. excommunicat. in 6. vbi generaliter dicitur, *Is, cui est interdictus ingressus Ecclesiæ, si durante interdicto accedat, non debet in Ecclesia, vel cœmeterio ecclesiastico, nisi pœnituerit, sepeliri*; vbi notandum est, quòd si non sit interdictus simpliciter, sed tantùm ab ingressu Ecclesiæ, nulla requiritur absolutio, ne indirecta quidem. ita tenet Philippus Francus, & clariùs Ancharanus dicto cap. is cui. & Couarru. §. 1. versic. hic autem. & P. Henrique lib. 13. de excommunicat. c. 32. num. 2. quamuis contrarium significet Ioannes Andreas, & clarè teneat Geminia. dicto c. is cui. Rationem huius reddit Couarru. nam eo ipso quòd decessit cùm pœnitentia, mãsit absolutus, quia hoc interdictum ab ecclesiastica sepultura positum fuit, *nisi pœnituerit*, qua conditione impleta sublatum manet, ne tanta ignominia afficiatur post mortem ob culpam non adeò grauem.

Si verò sit simpliciter interdictus, requiritur absolutio, nempe indirecta. sic Anto. 3. p. tit. 26. c. 4. non longè à fine. Sylvest. sup. quæst. 8. part. 1. Palud. in 4. quæst. 8. art. 16. art. 4. principalis. & Emanuel in Bulla. §. 5. num. 11. Probatur: Hæc est vera censura, & non inuenitur textus, qui dicat hoc interdictum esse conditionale, ergo requiritur absolutio.

Secunda conclusio. Qui non sunt personaliter interdicti, nec dederunt causam culpabilem interdicto, possunt modò, & potuerunt olim sepeliri in loco sacro non interdicto, licèt sint parochiani Ecclesiæ parochialis specialiter interdictæ, & hoc licèt tale interdictum sit positum ad puniendum populum. Quæ conclusio partim est contra Sylvestrum quæst. 8. partic. 5. Tabien. verb. interdictum. 5. numer. 11. Anton. sup. dicentes conclusionem hanc tantùm habere verum, quando talis Ecclesia est specialiter interdicta propter peccatum clericorum, non tamen si positum fuit ad puniendum populum, quia scilicet peccauit magna pars populi, quãuis aliqui sint innocentes: tunc enim laici non poterunt sepeliri in alia Ecclesia non interdicta; sed probatur nostra sententia, isti non sunt interdicti, ergo poterunt sepeliri alia Ecclesia non interdicta, siquidem nullum est impedimentum, nec ex parte personæ, nec ex parte loci.

Dvbitatvr secundò, de interdicto locali?

Sit prima conclusio. Stando in iure antiquo

tiquo prohibita erat laicis ecclesiastica sepultura in loco sacro generaliter vel specialiter interdicto. ita Sylvest. q. 8. part. 1. Nauar. num. 176. probatur ex ca. quod in te. de pœnit. & remissionibus. vbi primùm denegatur omnibus ecclesiastica sepultura, & deinde excipiuntur clerici cum certis conditionibus. Circa quam conclusionem notandum est primò, quòd non solùm est intelligenda de sepultura in Ecclesia, sed etiam in cæmeterio. sic Antoni. 3. p. tit. 26. cap. 4. circa finem. & P. Henri. numer. 4. Probatur: nam hæc etiam dicitur, & est ecclesiastica sepultura. Appellatur autem cæmeterium (quantùm ad propositum attinet) non quilibet locus deputatus ad sepulturam, quamuis non sit benedictus, sed locus ad vsum sepulturæ per Episcopum benedictus. sic Antoni. & P. Henri. locis modò allegatis. & probatur ex cap. nemo. de consecrat. d. 1.

Secundò notandum est, hanc conclusionem etiam habere verum in paruulis decedentibus ante vsum rationis, vt latiùs dictum est suprà.

Secunda conclusio. Laici bene poterãt sepeliri in loco interdicto, dummodò non esset locus sacer. sic Nauar. numer. 176. P. Henri. dicto num. 4. & alij. Probatur: nam hæc sepultura non est ecclesiastica, & per interdictum non prohibetur omnis sepultura, sed tantùm ecclesiastica; verùm notandum est, quòd hoc debet fieri sine Officio diuino. sic P. Henri.

Præterea est aduertendum, quòd iste qui sepultus est extra locũ sacrum, debet sublato interdicto exhumari, & in loco sacro sepeliri. ita Sylvest. Nauar. P. Henri. & alij. Quòd si laicus, qui non est interdictus, nec dedit causam culpabilem interdicti, sepultus est illicitè in loco sacro interdicto, non debet exhumari, vt tradatur loco prophano. ita Sylvest. quæ. 8. partic. 1. P. Henri. n. 5. & Nau. n. 176.

Tertia conclusio. Clerici, qui non sunt interdicti, nec dederunt causam culpabilem interdicti, & seruauerunt interdictum, sepeliendi sunt in cæmeterio Ecclesiæ cum silentio sine pulsatione campanarum, & absque solemnitate; sic habetur dicto cap. quod in te. iuxta regulam illam, *Cui communicamus viuo, possumus communicare defuncto.*

Circa quam conclusionem notandum est primò, quòd licèt ibi dicatur, *in cæmeterio*, nihilominùs licitum est illos in Ecclesia sepeliri. ita Couarru. dicto §. 2. num. 7. vers. clericis etiam. P. Henri. dicto num. 4. Ideò autem textus dicit, *in cæmeterio*, quia olim fideles sepeliebantur in cæmeterio; intra Ecclesiám verò tantùm sepeliebantur personæ insignes, ita P. Henri. & habetur ex c. nullus. 13. q. 2.

Secundò notandum est, hanc conclusionem habere verum, quamuis Ecclesia sit specialiter interdicta. ita Sylvest. dicta q. 8. part. 5. Couarru. dicto nu. 7. P. Henri. dicto num. 4. verum est, quòd Panormitan. dicto cap. quod in te. quem sequuntur Sylvest. q. 8. part. 4. Couarru. versicu. citato. P. Henri. num. 4. limitat respectu clericorum illius Ecclesiæ: nam clerici Ecclesiarum non interdictarum non possunt sepeliri in Ecclesia specialiter interdicta, secus verò si reliquæ Ecclesiæ essent interdictæ: tunc enim bene poterunt sepeliri in Ecclesia etiam specialiter interdicta. Ego verò dico, quòd in rigore possunt sepeliri in aliena Ecclesia specialiter interdicta, quamuis propria Ecclesia non sit interdicta, quia textus nullam ponit limitationem, ergo nec nos ponere debemus. Dixi, *in rigore*: nam decentius esset, quòd sepelirentur in propria Ecclesia non interdicta, & fortè hoc tantùm intendunt Autores citati, præcipuè Sylvester.

Tertiò notandum est, limitationem illam, *cum silentio sine pulsatione campanarum, & absque solemnitate*, licèt Antoni. dicto cap. 4. circa finem teneat, illam non prohibere Officium defunctorum, nec Missam, pro qua sententia nonnulli citant Sylvestrum art. 1. ad finem 4. concl. probabilius tamen est, quòd prohibet. sic Angel. ver. interdictum. 6. numer. 31. Sylvest. quæst. 8. part. 4. P. Henri. numer. 4.

in glossa, litera B. Et ratio est: nam ante cap. alma mater. vtrumque prohibitum erat, scilicet sepultura ecclesiastica, & Officium diuinum, ergo quando clericis conceditur sepultura cum silentio, solùm conceditur nuda sepultura in loco sacro, non Officium defunctorum. At verò post cap. alma mater. omnes qui sepeliuntur in loco sacro, possunt sepeliri cum Missa & Officio defunctorum, seruata moderatione dicti cap. sic Angelus sup. Sylvest. & Armil. verbo, interdictum. num. 48. Tabien. ver. interdictum. 5. numer. 12. §. 11. P. Henri. cap. 53. num. 4. in glossa, litera E, & Soto sup. qui immeritò citatur pro sententia Antonini: nam reuerà loquitur secundùm cap. alma mater.

Quartò notandum est, quòd nomine clericorum intelliguntur omnes clerici etiam primæ tonsuræ, & Religiosi, ac Moniales, vt patet ex dictis sectio. 2. dub. 4. concl. 3.

Sed petis, vtrùm tertia conclusio sit etiam intelligenda de clericis coniugatis? Respondetur, quòd non.

Vnde sit quarta conclusio. Clerici coniugati tempore interdicti localis non possunt sepeliri in loco sacro, nisi consuetudo sit in contrarium. ita Nauar. num. 176. P. Henri. cap. 44. dicto num. 4. & alij. Prima pars probatur: nam isti solùm gaudent duplici priuilegio, fori scilicet, & Canonis; vt vidimus dicto dub. 4. Secunda verò pars probatur: nam vbi est consuetudo, quòd huiusmodi clerici, si non sint bigami, assistant diuinis Officiis, qualis est in Aragonia, etiam est consuetudo, quòd sepeliantur in loco sacro, vt dicunt Nauarr. & P. Henri. Et idem dico de illis clericis coniugatis, qui sunt adscripti alicui Ecclesiæ, iuxta Tridentinum, vt patet ex eodem dub. 4. concl. 4.

DVBITATVR tertiò, vtrùm in illis festiuitatibus, in quibus suprà diximus licitum esse assistere diuinis Officiis, liceat etiam absque speciali priuilegio sepelire laicos in loco sacro?

Prima opinio est affirmatiua. Hanc tenet Angelus ver. interdictum. 5. numer. 35. Antoni. cap. 4. circa finem. Sylvest. verb. interdictum. 5. quæst. 2. part. 4. Couarru. §. 5. num. 6. vbi refert Calderinum, & alios; tenet P. Henri. cap. 44. num. 5. Soto d. 22. quæst. 3. art. 1. post 4 concl. qui addit, quòd possunt sepeliri publicè & solemniter, quod vt credo, tanquàm certum supponunt reliqui omnes citati pro hac opinione. Fundamentum huius opinionis est, quòd ecclesiastica sepultura est fere quoddam Officium diuinum.

Secunda opinio est negatiua, quam tenet Paludanus in 4. d. 18. q. 8. art. 2. principali, concl. 10. glossa Clem. 1. de sepulturis. verbo, à iure. Pro eadem refert Couarru. Immolam, Abbatem, Villadiego, & multos alios, ita vt dicat esse communem, & eam sequuntur multi recentiores, & hæc videtur mihi probabilior, & iuri conformior. Quod probo efficaciter ex c. cùm & plantare. §. quòd si Templarij. de priuilegiis. vbi decernitur, quòd si Templarij & Hospitalarij accesserint ad Ecclesiam interdictam semel in anno, celebrentur Officia diuina publicè apertis ianuis ob eorum iucundum aduentum, vt explicatur cap. vt priuilegia. §. illud. eodem tit. Et tamen dicit textus, quòd non sunt sepelienda corpora defunctorum, intellige laicorum, vt habetur ex glossa dicto cap. cùm & plantare, verbo, defunctorum. ergo idem dicendum est de illis festiuitatibus. Secundò probatur: nam ecclesiastica sepultura non est idem, quod Officium diuinum, siquidem qui tempore interdicti sepeliret laicum in illo sacro absque vllo Officio diuino, violaret interdictū, & per hoc patet ad fundamētum primæ opinionis. Tertiò probatur: nam ex oppōsita sententia sequeretur: quòd extra illas festiuitates liceret ecclesiastica sepultura sine aliquo speciali priuilegio cum moderatione cap. alma mater. sed consequens est contra vsum communem, ergo sequela probatur: nam in illis festiuitatibus solùm conceditur in illa tertia concessione publicè & solemniter, quod in secundà concessio

cessione fuerat concessum cum illa moderatione, vnde quod in illis festiuitatibus fit solenniter, extra illas fieri potest cum moderatione. Ex dictis sequitur, quòd in cap. alma mater. nihil est innouatum circa sepulturam Ecclesiasticam, quia nulla fit mentio de illa, & per consequens relinquitur dispositioni iuris antiqui, & hoc intelligitur, quantùm ad substantiam sepulturæ: quantùm ad modum enim facta est mutatio: nam sepultura fit modò cum Missa, & officio funerali, quod anteà non licebat, vt vidimus.

DVBITATVR quartò, vtrùm laici habentes priuilegium, vt tempore interdicti possint assistere diuinis officiis, & recipere Sacramenta, possint etiam sepeliri in loco sacro, quamuis tale priuilegium nullam mentionem faciat sepulturæ?

Sit prima conclusio affirmatiua. Ita Sylvest. dicta quæst. 8. partic. 4. & à fortiori idem tenent Doctores citati pro prima opinione dubij præcedentis, & eamdem tenent aliqui recentiores. Probatur: nam, vt inquit Sylvest. verb. interdictum. 5. quæst. 2. part. 4. & Tabien. eodem verb. §. 11. circa medium, sepultura negatur propter duo. Primò, ratione diuini officij annexi; secundò, ratione dependentiæ ad ordinem sacrum, propter consecrationem Ecclesiæ; vnde nec in loco sacro sine officio diuino, nec extra locum sacrum cum officio diuino fieri potest, ergo quando vtrumque eorum licet ex priuilegio, consequenter licebit sepultura. Probatur consequentia: nam cui communicamus viuo, possumus communicare defuncto.

Sed maior difficultas est, quando priuilegium solùm est ad officia diuina, & non ad Sacramenta: nam prima opinio negat, quòd tunc possit sepeliri in loco sacro; ita Fredericus citatus à Nauarro num. 181. Secunda opinio est affirmatiua, quam tenet Nauarr. & citat Calderinum, & Angelum; eamdem tenet Armill. verb. interdictum. num. 49. & hæc tamquam benignior est amplectenda. Probat Nauarr. quia possumus considerare officium diuinum tamquam principale, & sepulturam tamquam accessorium. Verùm hæc controuersia non habet locum in Bulla Cruciatæ, quæ expressè concedit sepulturam cum pompa moderata. Vbi notandum est cum Cordub. lib. 5. de indulgentiis. quæst. 40. dub. 4. quòd circa moderatam pompam hæc seruatur consuetudo in Hispania, vt publicè in tono cantandò, & cum solitis clamoribus deferatur, sepeliatúrque cadauer, ianuis Ecclesiæ apertis, secundùm quod habetur in ordinario sine Missa, nisi ad Missam aliqua alia concessio habeatur; vide Emanuel. §. 5. num. 12. Nota, quòd si seruaretur moderatio cap. alma mater. bene posset dici Missa, vt patet ex dub. 2. not. 3. circa 3. concl.

Sed contra dicta est argumentum apparens: dictum est enim, quòd habens priuilegium audiendi officia diuina, licèt nullam faciat mentionem sepulturæ, potest in loco sacro sepeliri, ergo eadem ratione in illis quatuor festiuitatibus, in quibus conceduntur officia diuina publicè, etiam conceditur sepultura Ecclesiastica. Negatur consequentia, & ratio disparitatis est: nam cap. alma mater. ponit restrictionem, nempe quòd exceptis concessionibus ibi expressis, quantùm ad reliqua omnia, ius commune maneat in suo robore; at verò priuilegia specialia, de quibus loquimur, non habent talem restrictionem, vt supponimus. Et hæc de Ecclesiastica sepultura. Sed pro maiori intelligentia effectuum interdicti,

DVBITATVR quintò, vtrùm interdictum semper habeat eosdem effectus, & si non habet, quomodo cognoscemus, quos effectus habeat?

Prima conclusio. Interdictum non semper habet eosdem effectus, vt patebit ex dicendis.

Secunda conclusio. Interdictum, siue sit locale, siue personale, si ponatur absolutè, & sine vlla restrictione, habet omnes

suos effectus circa locum, vel personam. Vnde si locus interdicatur absolutè, prohibita sunt in tali loco Sacramenta, officia diuina, & Ecclesiastica sepultura; si verò persona interdicatur absolutè, & sine vlla restrictione huius, vel illius effectus, tali personæ prohibita sunt omnia, quæ per interdictum possunt prohiberi, vnde si sit laicus, manet interdictus à Sacramentis, ab officiis diuinis, & ab Ecclesiastica sepultura; si verò sit Clericus, vltra hoc censetur interdictus ab omni actione clericali, & si sit Episcopus, censetur interdictus à Pontificalibus. Hæc habetur ex Nauarr. num. 170. Et probatur: nam cùm verba sint generalia, non est maior ratio, cur limitetur magis ad vnum effectum, quàm ad alium.

Tertia conclusio. Interdictum locale, regulariter loquendo, ponitur absolutè, & consequenter prohibita sunt in tali loco Sacramenta, officia diuina, & Ecclesiastica sepultura, vt latiùs P. Henrique cap. 44. per totum.

Quarta conclusio. Quando interdictum personale non ponitur absolutè, sed determinatè ab aliqua actione, ab illa manet interdictus, & ab omni alia, quæ in ea includitur, vel quæ sine illa non potest exerceri, non tamen ab illa, quæ in ea non includitur, & quæ sine illa potest exerceri; ita Sylvest. verb. interdictum. 4. quæst. 4. part. 2. Nauarr. num. 170. P. Henrique cap. 43. num. 6. & alij. Exemplum primæ partis. Interdicitur quis ab officio sacerdotali, iste non potest exercere aliquem actum contentum sub officio sacerdotali, nec actum pertinentem ad officium Pontificale, quia hoc non potest exerceri sine officio sacerdotali, vt patet ex cap. ex literis. de excessibus Prælatorum. Similiter qui est interdictus à receptione minorum Ordinum, etiam est prohibitus ascendere ad superiores, sicut qui est suspensus ab executione minorum Ordinum, etiam manet suspensus ab executione maiorum; sic Sylvest. Est tamen differentia, quantùm ad hoc, inter suspensionem & interdictum: nam interdictus à receptione minorum Ordinum, interdictus manet à receptione maiorum, vt dictum est; at verò suspensus ab executione minorum, non manet suspensus à receptione maiorum, quia suspensio tantùm impedit executionem Ordinum, non receptionem; & hoc intelligo, quando in receptione Ordinis maioris non debet interuenire executio eiusdem Ordinis.

Exemplum secundæ partis. Interdicitur quis ab Altaris ministerio, iste bene poterit exercere absolutionem sacramentalem.

Ex dictis sequitur, quid iudicandum sit de eo, cui est interdictus ingressus Ecclesiæ, de quo aliquid diximus disput. 2. de suspensione. dub. 1. concl. 13.

Sit quinta conclusio. Iste non potest intra Ecclesiam celebrare, nec audire officia diuina, nec in loco sacro sepeliri. Conclusionem hanc, quantùm ad officia diuina, tenet Couarr. suprà, p. 2. §. 1. num. 3. & Clement. si furiosus. p. 1. §. 1. num. 1. in fine. Angel. verb. suspensio. 3. num. 5. Sylvest. verb. interdictum. 6. quæst. 5. Nauarr. num. 170. vbi dicit, esse communem contra Calderinum. Quantùm verò attinet ad Ecclesiasticam sepulturam, habetur cap. is cui. de sentent. excomm. in 6. & quando dico, *intra Ecclesiam*, etiam intelligo intra cœmeterium. Probo, quia non potest celebrare in Ecclesia, quamuis tantùm sit benedicta, vt ait Ledesma Mexica. difficult. 8. de interdicto. & P. Henrique lib. 13. cap. 32. num. 2. Præterea: nam sine vllo priuilegio potest celebrari Missa in cœmeterio, ergo non poterit iste in cœmeterio sepeliri; at verò extra Ecclesiam, vt subdiu, vel in tentorio, vel etiam in Oratorio priuato, non erecto autoritate Episcopi, poterit iste celebrare; ita Nauarr. num. 170. Couarr. §. 1. num. 3. citato. P. Henrique dicto num. 2.

Præterea nota, quòd bene poterit iste intra Ecclesiam exercere iurisdictionem in foro exteriori, quia non est priuatus huius iurisdictione, vt ait Couarr. dicto num.

num. 3. & Nauarr. num. 161. & probant ex cap. sacro. de sentent. excomm. qui; textus optimus est, iuncta glossa, verb. interdictum. Dixi, *in foro exteriori*, quia non poterit absoluere sacramentaliter: nam est actus Ordinis.

Præterea circa officia diuina notanda est differentia quædam inter auditionem diuinorum, & celebrationem: nam si celebret intra Ecclesiam, fit irregularis, cap. is cui. de sentent. excomm. in 6. at verò si tantùm audit diuina, licèt peccet mortaliter, non tamen fit irregularis; ita Couarr. dicto num. 3. & communiter Doctores dicto cap. is cui.

Sed inquiris, vtrùm Presbytero celebrante intra Ecclesiam, Subdiaconus, vel Diaconus, cui est interdictus ingressus Ecclesiæ, possit extra Ecclesiam canere Epistolam, vel Euangelium? Calderinus, & Geminian. dicto cap. is cui. num. 7. Francus ibidem. Anton. 3 p. tit. 26. cap. 2. §. 2. Sylvest. verb. interdictum. 6. §. 6. respondent, quòd non potest, & si canat, fit irregularis, quia lectio Epistolæ, vel Euangelij accedit actui principali Missæ, quæ fit in Ecclesia, & totum est vnum officium; quòd si è contrario iste Diaconus, cui est interdictus ingressus Ecclesiæ, canat Euangelium intra Ecclesiam in Missa, quam Presbyter facit extra Ecclesiam, Doctores citati dicunt, quòd est irregularis, quia licèt interpretatione iuris videatur canere extra Ecclesiam, tamen de facto canit intra.

Sed mihi videtur magis consequenter dici, si teneamus, quòd in primo casu non fit irregularis; & idem tenet P. Henrique cap. 43. num. 3. in glossa, litera K; in secundo autem casu fit irregularis. Præterea, si Presbyter, cui est interdictus ingressus Ecclesiæ, celebret extra illam, quamuis Diaconus intra illam canat Euangelium, Presbyter non fit irregularis; sic P. Henrique num. 3. modò citato.

Petis rursus, vtrùm interdictus ab ingressu Ecclesiæ, possit intra illam recipere Sacramenta?

Partem negatiuam tenet glossa can. præsenti. 5. q. 2. vbi generaliter dicitur, quòd cui interdicitur Ecclesia, interdicta sunt Sacramenta Ecclesiæ. Tenet etiam Angelus verb. suspensio. 3. num. 4. Sylvest. verb. suspensio. q. 5. circa finem. & aliqui iuniores.

Sit sexta conclusio. Pars affirmatiua est mihi probabilior, quam tenet P. Henrique lib. 13. cap. 32. num. 2. & videtur de mente Calderini, quem referunt, & sequuntur Ancharanus, Geminianus, & Francus dicto cap. is cui. & de mente Nauarri, num. 161. in quantùm dicunt, quòd interdictum ingressus Ecclesiæ solùm respicit officia diuina.

Sit septima conclusio. Bene poterit iste ingredi Ecclesiam, & ibi orare priuata oratione tempore, quo non celebrantur officia diuina; ita Couarr. num. 3. citato. & Nauarr. num. 170. contra Sylvest. verb. interdictum. 5. q. 6.

Præterea, dico cum Nauarr. quòd poterit transire per Ecclesiam tempore, quo celebrantur officia diuina, *y hazer oracion de passo*.

Vltimò notandum est, quòd licèt suspensio ab ingressu Ecclesiæ non sit propriè suspensio, sed magis est interdictum ab ingressu Ecclesiæ, (nam si esset propriè suspensio, non priuaret auditione diuinorum officiorum) nihilominùs differunt hæc duo: nam interdictum ab ingressu Ecclesiæ non solùm comprehendit Clericos, sed etiam laicos, vt patet ex cap. latorem. 33. q. 2. & potest imponi pro aliena culpa; at verò suspensio ab ingressu Ecclesiæ imponitur tantùm Clericis, & pro culpa propria; sic P. Henrique cap. 32. num. 2. citato. in glossa, litera M. Et propter hanc differentiam aliquando vocatur in iure interdictum, vt in cap. sacro. de sentent. excomm. & cap. is cui. eodem tit. in 6. aliquando autem vocatur suspensio ab ingressu Ecclesiæ, vt cap. cùm medicinalis. eodem tit. in 6. prout latiùs explicat Nauarr. consil. 1. de verbor. signif.

Disputatio V.

De participatione cum personis interdictis, & de pœnis, quas incurrunt violantes interdictum, & de causis, quibus aliquis excusatur ab interdicti obseruatione.

Dvbitatvr primò, vtrùm teneamur vitare interdictos?

Sit prima conclusio. In humanis nec laici, nec Clerici tenentur vitare interdictos etiam nominatim denunciatos; ita P. Henrique lib. 13. cap. 5. num. 5. & cap. 43. num. 7. Probatur, quia interdictum solùm prohibet res Ecclesiasticas, scilicet officia diuina, Sacramenta, & sepulturam.

Secunda conclusio. Laici ex vi præcepti Ecclesiastici non tenentur vitare interdictos, etiam non toleratos, etiam in diuinis, præterquam in sepultura; sic Anton. 3. p. tit. 26. cap. 4. in fine. Sylvest. verb. interdictum. 6. q. 4. p. 3. Caietan. verb. interdicti violatio circa finem. Armill. verb. interdictum. num. 57. in fine. P. Henrique num. 7. & Magistri. Probatur, quia in toto iure non inuenitur præceptum obligans laicos ad vitandum interdictos, sicut inuenitur præceptum obligans eos ad vitandum excommunicatos non toleratos: præceptum enim solùm imponitur Clericis, vt interdictos repellant à rebus sacris. Ratio autem huius differentiæ videtur esse, quòd omnibus, quibus priuat excommunicatio, est in quantùm sunt quædam communicatio cum fidelibus, interdictum autem non.

Hinc fit, quòd licèt Sacerdos, qui dicit Missam, scienter admittat aliquos interdictos nominatim, reliqui laici non tenentur exire, & idem esse de Clerico, qui ibi audiret Missam tamquam purè laicus; immò idem dico, cum quibusdam iunioribus, quando Sacerdos, qui dicit Missam, est interdictus nominatim, quòd laici non tenentur exire, prout in simili casu de suspenso tenet P. Henrique cap. 5. num. 5. & cap. 33. num. 3. Dixi, *ex vi præcepti Ecclesiastici*: nam aliunde potest contingere, quòd laici teneantur vitare interdictum denunciatum, vt quando ex eo, quòd non vitent, cooperantur peccato illius, vel actui iurisdictionis inualido, vt quia absolutio sacramentalis data ab interdicto denunciato est nulla. Videte quæ in simili casu de suspenso dixi disput. 2. de suspensione, dub. 4. illa enim habent locum in præsenti. Dixi, *præterquam in sepultura*: hanc enim sub excommunicatione tenentur non tribuere interdictis nominatim, vt constat ex Clement. 1. de sepulturis.

Tertia conclusio. Clerici sub mortali tenentur vitare interdictos nominatim in illis rebus sacris, à quibus sunt interdicti; ita Soto art. citato, concluſ. 5. P. Henrique num. 3. citato. & alij. Sed nota, quòd hæc conclusio solùm intelligitur de Clericis celebrantibus officia diuina, vel de permittentibus illa celebrari, quia illis commissum est regimen talis Ecclesiæ. Probatur ex cap. non est vobis. de sponsalibus. vbi dicitur, *Ne celebretis, nec aliquem celebrare permittatis*; secùs est, si non permittant, quia non est illis commissum regimen Ecclesiæ, sed solùm audiant diuina: tunc enim habent se tamquam laici, vt diximus. Dixi, *interdictos nominatim*, quia post Concilium Constantiense nullus tenetur vitare interdictum, nisi nominatim denunciatum; ita Nauarr. num. 187. & communiter Doctores, & constat ex dictis in materia de excommunicatione, cap. 6. dub. 5. disput. 2. Vnde Clericus celebrans, quamuis sciat esse in Ecclesia aliquos interdictos generaliter tantùm, vt quia Prælatus interdixit fautores, vel receptatores Petri, non tamen sunt nominatim denunciati, non peccat celebrando coram eis, quia non tenetur vitare toleratos seipsos offerentes.

Sed est aduertendum, quòd quando aliqua communitas publicè interdicitur, quilibet

quilibet de illa communitate censetur nominatim denunciatus. ita P. Henrique cap. 43. num. 5. vbi citat Sylvestrum & Tabienam. Probatur: nam vt aliquis dicatur nominatim interdictus, non requiritur, quòd interdicatur nomine proprio, sed sufficit nomine officij, vel alio signo declarante talem personam in particulari, vt sub nomine Prætoris vel Rectoris; sed nomen ciuis talis ciuitatis, vel Collegæ talis Collegij sufficienter declarat omnes personas in particulari, scilicet omnes ciues, vel Collegas, ergo. Verum est, quòd Sylvester ver. interdictum. 6. q. 4. vocat hos quasi nominatim interdictos, sed noster modus loquendi (quòd absolutè dicantur nominatim interdicti) frequêtior est apud Doctores; & proportionaliter dicendum est de interdicto locali, quòd quando imponitur ipso iure, vel per sententiam comminatoriam, non tenemur illud obseruare, nisi denuncietur per Iudicem. Sic P. Henrique lib. 13. cap. 5. in fine. & c. 46. num. 4.

DVBITATVR secundò, quomodo obliget præceptum seruandi interdictum?

Nota, quòd possumus loqui de interdicto personali, vel de locali, & in ordine ad clericos, vel in ordine ad laicos. Caietan. verbo, interdicti violatio. multa dicit, quæ ad quatuor capita possunt reduci. Primùm dicit, quòd interdictum solùm obligat clericos, & hoc non in omnibus, sed ne exerceant aliquem actum certo ordini deputatum. Secundò, quòd si prædicti violent interdictum, quamuis tale peccatum videatur esse mortale ex irregularitate, & alijs grauioribus pœnis, quas incurrunt, tamen in rei veritate hoc non sufficit ad iudicandum esse mortale, quia sunt pœnæ temporales, quas potest homo incurrere etiam meritoriè, vt patet in Iudice iustè occidente malefactorem. Tertiò, quòd laicus specialiter interdictus peccat, si ingerat se diuinis; at verò, si non sit specialiter interdictus, sed generaliter, quia est vnus de populo interdicto, non peccat mortaliter, si ex deuotione se ingerat diuinis. Quartò, quòd si laicus non est interdictus, non peccat ingerendo se diuinis, quia supposito quòd ipse non est causa, quòd ibi celebrentur diuina, melius est, quòd fructum ex illis percipiat, quàm quòd abstineat. Verùm hæc sententia ferè quantùm ad omnia est falsa.

Vnde sit prima conclusio. Qui est personaliter interdictus, siue interdicto speciali, quia dedit causam culpabilem interdicti, siue interdicto generali, quia est vnus de populo interdicto, siue sit clericus siue laicus, peccat mortaliter, violando interdictum in aliquo ex eius effectibus; verbi gratia, si est clericus celebrando vel audiendo Officia diuina, si est laicus audiendo ea. Hanc conclusionem tenet Anton. 3. p. tit. 26. cap. 4. §. 1. circa finem. Soto d. 22. q. 3. ar. 1. conclusio. 6. Nau. num. 187. P. Henrique cap. 46. num. 3. Quæ conclusio est contra Caietanum in duobus. Primò: nam Caietanus clarè videtur sentire, quòd isti clerici non peccant mortaliter. Secundò, quia de laicis, qui generaliter tantùm sunt interdicti, dicit, quòd non peccant mortaliter. Sed generaliter probatur conclusio: nam per interdictum personale, siue sit speciale, siue generale, directè remouetur persona interdicta, siue sit clericus, siue laicus, ab administratione, vel auditione diuinorum Officiorum, ab administratione, vel receptione Sacramentorum, & ab ecclesiastica sepultura, & materia est grauis, ergo tale præceptum obligat sub mortali. Confirmatur: nam hac ratione diximus secundùm omnes Doctores in materia de excommunicatione, quòd excommunicatus maiori, si se ingerat diuinis, peccat mortaliter.

Secundò, probatur specialiter quantùm ad clericos ex grauitate pœnarum, scilicet irregularitatis, quòd detrudantur in Monasterio, quòd nec possint eligi, nec postulari, & quòd possint priuari officiis & beneficiis.

Ad argumentum autem Caietani prò secundo dicto respondetur, admisso quòd irregularitas possit imponi pro veniali, de

quo

quo dicemus in materia de irregularitate, tamen in hoc casu multæ aliæ pœnæ sunt præter irregularitatem, vt vidimus.

Loquendo de interdicto locali, sit secunda conclusio. Clerici violantes interdictum locale, verbi gratia, celebrando Officia diuina, non seruata moderatione cap. alma mater. aut permittendo in propriis Ecclesiis, quòd alij clerici celebrent absque prædicta moderatione, peccant mortaliter. ita Soto concl. 5. Nauar. dicto num. 187. Et est communis ferè sententia contra Caietanum, inquantùm in secundo dicto videtur significare, huiusmodi clericos non peccare mortaliter. Sed probatur nostra conclusio: nam præceptum seruandi interdictum primò, & per se dirigitur ad clericos, vt Caieta. ipse concedit, & materia est grauis. Probatur præterea ex grauitate pœnarum relatarum, vbi

Notandum est primò, quòd licèt Sylvest. ver. interdictum. 5. q. 4. §. 1. & Soto post 5. concl. dicant conclusionem habere verum, etiam quando clericus exercet actum minoris ordinis; mihi tamen videtur non esse mortale, ob paruitatem materiæ.

Secundò notandum est, quòd in præsenti, nomine clericorum etiam intelliguntur Religiosi, licèt non habeant Ordinem, & Moniales. sic Caieta. Nauar. num. 187. §. 19. Henrique cap. 46. num. 3. Soto, & alij & est textus cap. postulastis. de clerico excommunicato ministrante. quia eis incumbit solemniter facere Officia diuina, imò etiam laici, si faciant Officium clericorum, peccant mortaliter, vt postea dicemus. Loquendo autem de laicis

Supponendum est in quinque casibus peccare mortaliter laicum, violando interdictum locale. Primò, si adsit scandalum, & hoc certissimum est apud omnes; secundò, si per vim ingrediatur audienda Officia diuina, vel si postquàm est ingressus, non obtemperat ministris Ecclesiæ volentibus eum excludere; ita Soto, & Henrique num. 3. & habetur ex Clem. grauis. de sententia excommunicat. Probatur: nam clerici tenentur sub mortali eos expellere, ergo ipsi tenentur sub mortali obedire, aliàs daretur bellum iustum ex vtraque parte. Tertiò, quando ingreditur fraudulenter, vt mentiendo se habere priuilegium vel Ordinem, aut tonsuram. ita Nauarr. numer. citato. §. 4. & aliqui iuniores, quamuis contrarium dicat P. Henri. numer. 3. Sed probatur nostra sententia: nam tale mendacium est in iniuriam clericorum, quibus competit ex officio excludere laicos non priuilegiatos; vnde tale mendacium videtur quoddam genus violentiæ, & est in re graui: nam ex hoc facilè valesceret censura interdicti. Quartò, quando est causa, quòd Officia diuina celebrentur in loco interdicto, illo præsente, verbi gratia rogando, vel præcipiendo. ita Nauar. Quintò, quando exercet ea Officia diuina in loco interdicto, quæ si clericus exerceret, violaret interdictum. ita Henrique nu. 3. & Nauar. §. 3. cum Calderino addente, quòd in tali casu potest laicus puniri per Iudicem ecclesiasticum, quia delictum est ecclesiasticum. idem tenent Magistri. Alios casus tangam circa finem dubij.

Sed tota controuersia est, vtrùm peccet laicus non interdictus, qui extra prædictos casus audit Officia diuina in loco interdicto?

Prima opinio est, quòd peccat mortaliter. sic Innocent. Panormit. & Archidiacon. citati à P. Henrique num. 3. litera D, quæ probatur ex Clement. grauis. de sententia excommunicat. Sed hæc est falsa, quia prohibitio interdicti localis directè respicit clericos, ne laicos admittant.

Secunda opinio est, quòd non peccat nec venialiter: ita Caiet. sup. & significat Nau. nu. 187. §. 18. quatenus dicit, quòd laicus non dicitur violare interdictū per hoc, quòd audiat Missā in loco interdicto. Probatur, quia nullum est præceptum in iure, quod dirigatur ad laicos, sed tantùm ad clericos, ne laicos non priuilegiatos admittant ad Officia diuina in loco interdicto, vt patet cap. responsum. de sententia

tia excommunicat. cap. non est vobis. de sponsalibus. & cap. licèt de priuilegiis. in 6. & vbi nullum est præceptum, nullum erit peccatum.

Quamuis hæc sententia sit valdè probalis, probabilior tamen est tertia opinio media, scilicet quòd peccat venialiter. ita Sylvest. ver. interdictum. 6. num. 7. Angelus verb. interdictum. 7. num. 9. quatenus dicunt, quòd non peccat mortaliter. Vbi quamuis generaliter dicant laicos violantes interdictum non peccare mortaliter, nisi id faciant in contemptum Ecclesiæ, & sic videantur contradicere primæ nostræ conclusioni, tamen solùm loquuntur, quando ipsi laici non sunt personaliter interdicti, sed audiunt Officia diuina in loco interdicto, vt constat ex casibus, quos ibi excipiunt, & hoc modo interpretatur eos Soto. Eandem tertiam opinionem tenet Henri. dicto nu. 3. & clariùs Soto concl: 6. in fine. & aliqui Magistri. Fundamentum est, quòd licèt præceptum iuris non dirigatur ad laicos, tamen ipsi faciunt contra intentionem virtualem clericorum. Et hinc patet ad argumentum secundæ opinionis.

Secundò probatur: nam Bulla Cruciatæ concedit facultatem audiendi Officia diuina tempore interdicti, dummodò non dederint causam culpabilem interdicto; at verò si laici possent licitè audire diuina, frustrà daretur priuilegium.

Ad argumentum autem primæ opinionis respondetur, quòd illa Clementina tantùm comprehendit quatuor casus, in quibus laici violantes interdictum incurrunt excommunicationem reseruatam Papæ, & consequenter peccant mortaliter. Primus est, quando dominus compellit clericum publicè & solemniter celebrare diuina in loco interdicto. Secundus, quando aliquis præsumit vocare pulsatione campanarum, vel publico præconio ad audienda Officia diuina in loco interdicto. Tertius, quando aliquis præsumit impedire, ne excommunicati, vel interdicti exeant, quando nominatim sunt admoniti à clero. Quartus est, quando ipsimet excommunicati vel interdicti moniti à clero nolunt exire. Quintum casum addo ex Clement. 1. de sepulturis. quando aliquis præsumit sepelire interdictos in cæmeterio etiam non interdicto, & hæc excommunicatio est reseruata Episcopo. sic Henrique cap. 43. num. 3. & patet ex ipso textu.

Ex dictis in hoc dubio sequitur, quòd licèt interdictum locale non comprehendat directe laicos, secus tamen est de interdicto personali.

DVBITATVR tertiò, vtrùm Religiosi teneantur obseruare interdictum? Et videtur quòd non tenentur, saltem exempti à iurisdictione Episcopi.

Sit tamen prima conclusio affirmatiua: nam obligantur ab ipso iure communi, vt patet ex Tridentino, sess. 25. cap. 12. de regularibus. statuente, quòd censura & interdicta nedum à Sede Apostolica manantia, sed etiam ab ordinariis promulgata mandante Episcopo à regularibus, in eorum Ecclesiis publicentur, atque obseruentur. Et ratione probatur: nam aliàs vilipenderetur censura interdicti, si possent fideles ad templa Religiosorum confluere, ibique audire diuina, & recipere Sacramenta.

Secunda conclusio. Regulares strictiùs tenentur seruare interdictum, quàm clerici seculares. Probatur: nam, vt constat ex Clement. 1. de sententia excommunicat. Religiosi etiam exempti tenentur sub excommunicatione latæ sententiæ seruare interdictum, quod viderint obseruari ab Ecclesia Cathedrali, vel matrice, seu Parochiali oppidi, in quo ipsi habitant, quam tamen excommunicationem non incurrunt clerici seculares, vt tenet ibi glossa. verbo, Religiosi. & Nauar. ca. 27. n. 146. Præterea probatur: nam quamuis interdictum sit nullum (vt quia impositum est post legitimam appellationem, vel alia de causa) si tamen obseruetur à matrice, tenentur Religiosi illud obseruare sub excommunicatione, vt patet ex dicta Clem.

at verò clerici seculares non tenentur illud seruare, si constet de eius nullitate. ita Nauarr. num. modò citato. & Henrique c. 46. num. 4. E contrà verò, si constet, interdictum esse legitimum, quamuis non seruetur à matrice, tenentur Religiosi illud seruare, non tamen incurrent tunc in excommunicationem huius Extrauagantis, sed in alias pœnas per alios textus impositas. c. finali. de excessibus Prælatorum. c. autoritate. ca. Episcoporum. de priuilegiis. in 6. ità Nauarr. & Henrique. & nota, quòd istud peccatum erit mortale.

Sed circa dicta DVBITATVR, vtrùm sit locus huic Clementinæ, quando in oppido non est Ecclesia Cathedralis, seu matrix, sed sint multæ Parochiales diuisæ?

Sit tertia conclusio, quòd licèt peccabùnt mortaliter, non seruando interdictum validum, etiamsi videant illud non seruari ab aliquibus Ecclesiis Parochialibus, & incurrent alias pœnas contentas in textibus modò citatis, nihilominùs non incurrent excõmunicationem huius Clementinæ, & hoc quamuis Ecclesia Parochialis, intra cuius fines situm est monasterium, obseruet illud. Primam partem, scilicet, quòd peccabunt mortaliter, tenet glossa verbo, matricem. & Nauar. num. citato. §. 6. Verum est, quòd poterunt excusari, si probabiliter putent, tale interdictum non esse legitimum, eò quòd vident non obseruari ab aliquibus Ecclesiis Parochialibus. Secundam verò partem, scilicet quòd non incurrẽt excommunicationem, tenet Syluest. verb. excommunicatio. 9. §. 92. & Nauarr. sup. qui citat alios. Sed notandum est cum Caiet. verb. excommunicatio. c. 67. & Nauar. sup. prædictam Clement. solùm habere locum in cessatione, vel interdicto generali, non in speciali.

Inquiris, vtrùm si Episcopus ponat interdictum in die Paschæ, & aliis festiuitatibus exceptis in iure, teneantur Religiosi illud obseruare? Et videtur quòd sic, nam tenentur seruare interdictum, quamuis sit nullũ, dummodò seruetur à matrice.

Nihilominùs sit quarta conclusio, quòd non tenentur. ita Henrique num. 4. Probatur: nam dicta Clement. concedit Religiosis moderationem cap. alma mater. Sed in hoc cap. excipiuntur à quolibet interdicto prædictæ festiuitates, ergo interdictum, quod Religiosis iniungitur, obseruandum est secundùm moderationem cap. alma mater. Vtrùm verò Prælatus teneatur obseruare interdictum à se positum, constat ex dictis disput. 2. dub. 4.

DVBITATVR quartò, de pœnis, quas incurrunt violantes interdictum?

Prima conclusio. Laici ex hoc, quòd violent interdictum, nullas pœnas incurrunt ipso iure, præterquàm in quinque casibus relatis in fine dubij 2. in quibus incurrunt excommunicationem, & extra hos casus non est aliqua pœna in iure contra laicos; possunt tamen & debent puniri à principe exilio ad requisitionem Ecclesiæ, vt ait Palud. in 4. d. 18. art. 18. art. 4. principalis.

Loquendo de clericis, supponendum est, quòd si interdictos sepeliant in loco sacro etiam non interdicto, incurrunt excommunicationem positam in quinto casu; in loco modò allegato.

Prætereà sit secunda conclusio. Quamuis clericus interdictus non priuetur vsu iurisdictionis Ecclesiasticæ in foro exteriori, vt diximus disputat. 4. sectio. 1. dub. 2. nihilominùs si violet interdictum, manet ipso iure suspensus à iurisdictione. Sic Palud. loco modò citato. Antoni. 3. p. tit. 26. cap. 4. §. 1. Caieta. verb. interdicti violatio. Angelus verb. interdictum. 7. q. 7. Syluest. ver. interdictum. 6. q. 3. in principio. Soto d. 22. q. 3. art. 1. concl. 5. Couarru. cap. alma mater. p. 2. §. 2. num. 2. Probatur: Omnis ecclesiastica iurisdictio vltimatè & cõpletiùs competit alicui ratione officij, vnde suspensus ab officio, manet suspensus à iurisdictione, vt dixi disputat. 2. de suspensione. concl. 3. sed clericus violans interdictum manet suspensus ab officio & beneficio, vt bene colligit Soto; & communiter doctores ex cap. tanta. de excessibus

Præla

Prælatorum. & ex cap. postulastis. de Clerico excommunicato ministrante, ergo.

Tertia conclusio. Clericus violans interdictum incurrit alias pœnas. Primò enim, si personaliter interdictus faciat alicubi actum pertinentem ad aliquem Ordinem sacrum, vel non interdictus faciat in loco interdicto, non seruando moderationem c. alma mater. incurrit irregularitatem, vt diximus ex professo in materia de irregularitate. Secũdò, si interdictus faciat alicubi, vel nó interdictus faciat in loco interdicto actum pertinẽtem ad Ordinem, vel ad officia diuina, fit ineligibilis actiuè, & passiuè, ita vt nec possit eligi, nec eligere, & fit impostulabilis; ita Syluest. verb. interdictũ. 6. q. 2. p. 2. Soto concl. 5. Henrique c. 46. n. 3. qui citant c. is qui. de sentent. excõm. in 6. & §. is verò. & c. primum. de postul. Prælat. & c. cùm inter. de elect. Quòd si sint Religiosi, detrudendi sunt in Monasterium arctius ad agendam pœnitentiam, immò si non seruent interdictum, quod viderint obseruari à matrice, incurrunt excommunicationem, vt diximus dubio præcedenti. Aliqui addũt, quòd priuantur Ecclesiastica sepultura, sed hæc priuatio non est pœna violantis interdictum, sed effectus quidam ipsius interdicti, vt patet ex dictis disp. 4.

Quarta conclusio. Clericus exemptus à iurisdictione ordinaria, qui celebrat Missam, vel officia diuina coram personis interdictis, etiam in loco non interdicto, est suspensus ab ingressu Ecclesiæ, & si durante hac suspensione celebret, (intellige intra Ecclesiam) fit irregularis. Dico, *exemptus*, quia non exemptus non incurrit has pœnas; sic Nauarr. c. 25. n. 94. vbi citat multos; tenet etiam P. Henrique c. 43. n. 3. & intellige coram interdictis nominatim. Dixi, *intra Ecclesiam*: nam quamuis P. Henrique lib. 9. de sacrificio Missæ, c. 27. n. 1. videatur oppositum dicere, tamen quod diximus, est verum, & id docet expressè Syluest. verb. suspensio. q. 6. p. 23. & patet: nam cap. Episcoporum. solùm imponit suspensionem ab ingressu Ecclesiæ, præter alias pœnas à iure statutas, sed secundùm ius suspensus ab ingressu Ecclesiæ non sit irregularis, nisi celebret intra Ecclesiam cap. is cui. de sentent. excomm. in 6. ergo. Et nota, quòd imponens interdictũ, si violet illud, incurrit pœnas, vt diximus disp. 2. dub. 4.

DVBITATVR quintò, de causis excusantibus ab interdicto? De quibus agit P. Henrique cap. 49.

Sit conclusio. Multa sunt, quæ excusant: primò enim excusat metus; secundò impotentia, iuxta dicta in materia de excommunicatione; tertiò ignorantia, de quo diximus c. 5. de excommunic. disp. 5. dub. 10. quartò priuilegium siue iuris communis, siue speciale religionis, aut Bullæ Cruciatæ, iuxta dicta disp. 4. quintò ætas, vnde infantes, & pueri nondum doli capaces, non excluduntur ab Ecclesia tempore, quo celebrantur diuina. Addit tamen Henrique num. 2. quòd si puer habeat vsum rationis, depellendus esset à custode Ecclesiæ, ipse tamen si non excludatur, aut pater eum secum deferens, non peccat, si puerum in officiis retineat, quia Ecclesia non videtur eum censuris cogere. Aducrte autem, infantes non esse sepeliendos in loco sacro, vt diximus suprà. Sextò excusat nullitas censuræ, vt si lata est post legitimam appellationem, iuxta dicta cap. 5. de excommunic. disp. 5. dub. 11. Septimò dignitas: Episcopus enim, & Prælati superiores non comprehenduntur sub generali interdicto iuris, vel hominis, nisi de illis fiat expressa mentio, cap. quia periculosum. de sentent. excomm. in 6. Sed ab excusatione septima excipiendi sunt Religiosi scientes tale interdictum (quamuis nullum) obseruari à matrice, vt vidimus dub. 3.

DISPVTATIO VI.

De relaxatione, seu absolutione interdicti.

De qua tractat Syluest. verb. interdictum. 3. Couarr. cap. alma mater. p. 2. §. 2. num. 4. Soto d. 22. q. 3. art. 1. P. Henrique cap. 51.

DVBITATVR primò, quis possit relaxare interdictum via ordinaria? Et quoniam interdictum potest dupliciter poni, primo modo ad certum tempus, verbi gratia, per mensem, vel sub conditione, verbi gratia, donec satisfeceris; secundo modo simpliciter, & absolutè sine vlla temporis limitatione, vel conditione. Sit

Prima conclusio. Quando interdictum fuit positum primo modo, adueniente termino, vel impleta conditione, cessat sine alia absolutione; ita Sylvest. suprà q. 9. p. 2. & consequenter debet esse eorum, quos citaui disput. 6. de suspensione, dub. 1. concl. 1. Vt autem tollatur ante aduentum temporis, vel conditionis, requiritur absolutio, quam non potest Episcopus dare, sed tantùm conditor canonis, stando in iure antiquo, siue tale interdictum sit impositum pro delicto, siue pro contumacia; sic P. Henrique cap. 35. num. 2. Armill. verb. interdictum. num. 33. Dixi *stando in iure antiquo*: nam post Tridentinum potest Episcopus absoluere, si fuit impositum propter delictum occultum; sic P. Henrique cap. 35. num. 2. in glossa, litera S.

Secunda conclusio. Parochus, & Confessor ordinarius non possunt via ordinaria absoluere ab interdicto, siue impositum sit à iure, siue ab homine; sic P. Henrique cap. 51. num. 3. & cap. 35. num. 2. qui citat alios. Et ratio est, quia talis absolutio non est necessaria ad absolutionem à peccatis, sicut est necessaria absolutio ab excommunicatione.

Sed contrà interdictum impedit receptionem Sacramentorum, ergo absolutio interdicti necessariò est præmittenda ante absolutionem à peccatis, & per consequens, censetur commissa cuilibet Confessori ordinario. Respondetur, quòd licèt interdictum, stando in iure antiquo, priuabat receptione Sacramentorum, atque adeò Sacramenti Pœnitentiæ, præterquam in mortis articulo; at verò post cap. alma mater. non priuat Sacramento Pœnitentiæ, vt vidimus disput. 4.

Tertia conclusio. Episcopus, & quilibet Prælatus, qui iure ordinario ligat censuris, vt Prælati Religionis, & Abbates habentes iurisdictionem quasi Episcopalem, possunt absoluere ab interdicto personali posito ob contumaciam, siue à iure communi, siue particulari, absolutè, & sine termino, & non reseruato; sic Henrique cap. 35. num. 2. & Sylvest. verb. interdictum. 3. q. 10.

Quarta conclusio. Episcopus potest absoluere ab interdicto lato à iure absolutè, & sine termino, impositio propter delictum iam præteritum etiam grauius adulterio, si non sit reseruatum Papæ, & loquor etiam stando in iure antiquo ante Tridentinum. Hæc patet ex dictis disp. 6. de suspensione, dub. 1. concl. 4. & colligitur ex Soto, qui, vt statim diceemus, ait hucusque nullum interdictum esse reseruatum Papæ.

Quinta conclusio. Ab interdicto lato ab homine, stando in iure communi, ille solus potest absoluere, qui illud imposuit, vel eius successor, vel superior; vnde Archiepiscopus, ad quem appellatum est, potest absoluere ab interdicto impositio ab Episcopo; sic Henrique cap. 51. num. 4.

Sexta conclusio. Ab interdicto reseruato ille solus poterat iure antiquo absoluere, cui tale interdictum reseruabatur, vel eius superior, aut successor; at verò post Tridentinum sess. 24. cap. 6. de reformat. Episcopus potest absoluere sibi subditos ab omni interdicto personali reseruato summo Pontifici, proueniente ex delicto occulto, nec deducto ad forum contentiosum; si autem non procedat ex delicto occulto, seruandum est ius commune; sic P. Henrique cap. 51. num. 3. Verum est, quòd, vt aduertit Soto ante 4. concluf. hucusque nullum interdictum inuenitur reseruatum Papæ, quod intelligo de reseruatione expressè facta in iure, sicut inueniuntur multæ excommunicationes reseruatæ: nam quando interdictum impositio est ad certum tempus, vel sub conditione, non potest relaxari

ab

ab Episcopo ante aduentum temporis, vel conditionis, vt diximus in secunda conclusione.

Octaua conclusio. Ab omni interdicto *locali* à iure impositio potest Episcopus absoluere, quia, vt diximus, nullum inuenitur reseruatum Papæ. Hæc est contra P. Henrique cap. 51. num. 3. vbi citat Couarr. cap. alma mater. p. 2. §. 2. num. 4. sed Couarr. tantùm dicit, Episcopum non posse concedere licentiam, vt diuina celebrentur in loco interdicto, interdicto durante, si tale interdictum non sit impositum ab ipso Episcopo. Probatur conclusio argumento cap. nuper. ibi, *Quia conditor canonis non reseruauit sibi absolutionem excommunicationis, eo ipso concessisse videtur facultatem aliis relaxandi.* Et confirmo ex glossa cap. at si Clerici. de iudiciis. verb. minora. dicente, quòd Episcopus vbicumque potest dispensare, vbi non inuenitur prohibitum.

DVBITATVR secundò, quis possit ex commissione absoluere ab interdicto?

Prima conclusio. Omnes illi, & soli, qui possunt ex commissione ponere interdictum, possunt ex commissione absoluere ab eo; qui autem sint, patet ex dictis disput. 2.

Secunda conclusio. Per Bullam Cruciatæ potest Confessarius absoluere ab interdicto personali; patet: nam Bulla dicit, quòd possit absoluere à quacumque censura; vnde per quodcumque aliud priuilegium habens similem clausulam, potest absoluere ab interdicto personali. P. Henrique cap. 35. num. 3.

DVBITATVR tertiò de eo, qui absoluendus est ab interdicto?

Prima conclusio. Absens, vel inuitus potest quis absolui ab interdicto: nam interdictum est pœna; immò addit P. Henrique cap. 51. num. 3. in fine, quòd manens in contumacia, de quo postea dicemus.

Secunda conclusio. Irretitus pluribus interdictis bene potest absolui ab vno, & non ab aliis, vt diximus de ligato multis suspensionibus, disput. 6. de suspensione, dub. 3.

DVBITATVR quartò, vtrùm interdictum possit suspendi?

Prima conclusio. Interdictum locale potest suspendi ad tempus per eum, à quo impositum est; ita Syluest. verb. interdictum. 3. q. 8. Couarr. num. 4. citato, & tunc licebit in tali loco diuina officia celebrare; immò dico, quòd potest suspendi, quantùm ad aliquos effectus, vt quantùm ad dicendam certam Missam, vel sepeliendum aliquem, & tunc tantùm potest fieri effectus ille, ad quem suspensum est interdictum, vt ait Nauarr. cap. 27. num. 183.

Secunda conclusio. Interdictum personale positum ob alienam culpam, Episcopus, qui illud posuit, potest suspendere, immò idem dicendum est, quamuis impositum sit propter culpam propriam. Primam partem tenet Sylvest. & Couarr. suprà, & P. Henrique cap. 51. num. 4. Secunda verò pars est contra Sylvestrum, sed eam tenet Couarr. & aliqui Magistri; & ratio est: nam licèt delinquens maneat in proprio delicto, possunt tamen concurrere tales causæ, quæ iustè moueant Iudicem ad suspendendum ad tempus interdictum potiùs, quàm ad tollendum omninò.

Tertia conclusio. Quando interdictum positum est à Papa, non potest Episcopus illud suspendere; ita Sylvest. & Couarr. suprà. quod intelligo, cum quibusdam Magistris, quando impositum est à Papa tamquam ab homine: nam quando interdictum impositum est à iure etiam communi, si non sit reseruatum Papæ, potest suspendi per Episcopum. Probo, potest Episcopus illud simpliciter relaxare, ergo etiam suspendere ad tempus. Primæ duæ conclusiones positæ sunt communes apud Doctores, & sunt securæ in praxi; at verò stando in puncto iuris, probabilius reputo, quòd interdictum nec locale, nec personale non potest suspendi.

Et hæc sit quarta conclusio. Hanc tenet Bernardus citatus à Sylvest. & Panormitanus cap. adhæc. de appellationibus. el postrero. vbi etiam allegat Ioannem de

Lignano. Pro cuius probatione supponendum est, ex mente eiusdem Panormitani, suspendere interdictum non esse idem, quod tollere ad tempus: nam secundum est auferre omninò ipsam censuram pro aliquo tempore; primum verò est, quòd durante ipsa censura suspendantur effectus, & separentur ab ea. Ex quo rectè infert P. Henrique suprà, quòd quando interdictum suspenditur ad tempus, redit, quamuis qui dederunt causam, plenè satisfecerint, & ratio est, quia durabat censura, vnde falluntur omninò quidam Theologi putantes, quòd suspendere interdictum, & tollere ad tempus, sunt idem.

Hoc supposito probatur conclusio, fundamento Ioannis de Lignano, explicato per Panormitanum. Censuræ secundùm ius commune secum trahunt executionem, ergo effectus censuræ non est separabilis à substantia censuræ.

Secundò probat Panormitanus. Maior est vis, & potestas appellationis in suspendendo effectum sententiæ, quàm potestas iudicantis post latam sententiam; sed appellatio post latam sententiam non potest suspendere effectum censuræ, cap. Pastoralis. de appellationibus. ergo nec Iudex. Maior probatur: nam condemnatum de furto, non potest facere Iudex, quòd non sequatur infamia, l. non potest. ff. de furtis. & tamen appellatio suspendit infamiam iam illatam per sententiam.

Si obiicias, Episcopus potest in totum, vel ad tempus tollere interdictum, ergo & suspendere? Respondeo facilè cum Panormitano, negando consequentiam: nam in primo casu agit secundùm naturam ipsius censuræ, nec ius repugnat; in secundo verò agit contra naturam censuræ, & ius ipsum repugnat: nam censuræ secundùm ius secum trahunt executionem insuspensibilem, etiam per appellationem. Et hæc intelligenda sunt de Prælatis inferioribus Papæ: nam Papa bene potest suspendere interdictum: cùm enim sit supra ius commune, cessant argumenta facta.

Dico præterea, quòd sententia communis tenens interdictum posse suspendi, meo iudicio sic defendi potest, quòd consuetudo, quam videtur supponere Nauarr. suprà, & de interdicto locali videtur clarè supponi in cap. adhæc. de appellationibus. el postrero. hæc, inquam, consuetudo tribuit hanc facultatem Episcopis per tacitum consensum Papæ.

Ex dictis facilis erit solutio alterius quæstionis, vtrùm excommunicatio possit suspendi? In qua quæstione multi tenent partem negatiuam, etiam ex his, qui dicunt interdictum posse suspendi; ita Syluest. suprà, q. 8. p. 2. & verb. interdictum. 1. num. 5. p. 2. Couarr. cap. alma mater. p. 1. §. 11. num. 6. & alij. Et probant ex cap. cùm desideres. de sentent. excomm. vbi decernitur, quòd excommunicatus nec est admittendus ad communionem aliorum, nec alij, etiam Episcopus, possunt cum illo communicare ante subsequentem absolutionem. Ergo supponit textus, quòd non potest suspendi, quantùm ad suos effectus; Nauarr. autem cap. 27. num. 165. tenet, excommunicationem suspendi posse.

Sit tamen quinta conclusio. Excommunicatio non potest suspendi; quæ conclusio certior est, quàm quarta: siquidem multi tenentes, interdictum posse suspendi, negant id de excommunicatione.

Sexta conclusio. Quamuis excommunicatio, & interdictum conueniant in hoc, quòd vtraque censura potest ad tempus tolli, quantùm ad omnes suos effectus, differunt tamen in hoc, quòd interdictum potest tolli ad tempus, quantùm ad vnum effectum, & non quantùm ad alios; excommunicatio verò non potest nisi per solum Papam. Et ratio est, quoniam omnes effectus excommunicationis sunt connexi, non autem effectus interdicti, vt vidimus disput. 4. in princip. Sed dato, quòd interdictum possit suspendi, oritur subtilis admodùm quæstio, vtrùm appellatio interposita, durante hac suspensione, suspendat effectus interdicti, etiam transacto

acto tempore suspensionis, vt sic duret suspensio vsque ad finem causæ? Partem negatiuam tenent Calderinus & Innocent. relati à Panormitano, quia hæc non est noua sententia.

Sit tamen septima conclusio. Pars affirmatiua videtur mihi probabilior; hanc tenet Ioannes Andr. quem refert & sequitur Panormita, & probat ex cap. dilectis. de appellationibus. vbi apertè significatur, quòd interdictum locale potest suspendi per ipsum promulgantem, & durante suspensione potest appellari ad effectum suspendendi executionem.

Secundò probo. Ideò appellatio post censuram latam non suspendit executionem, quia ipsa sententia secum trahit executionem, ergo si executio sit suspensa, locum habebit appellatio.

DVBITATVR quintò, vtrùm interdictum possit relaxari ad cautelam?

Pro explicatione tituli notandum est, quòd relaxare ad cautelam, non est relaxare sub conditione, nempe, *Si satisfeceris, relaxo interdictum*, vt P. Henri. cap. 51. nu. 4. & nonnulli Theologi falsò putant. Contra quos est efficax argumentum: nam certum est apud omnes Doctores, & est textus in cap. solet. de sententia excommunicat. in 6. absolutionem ab excommunicatione posse dari ad cautelam; & tamen secundùm communem opinionem non potest dari sub conditione de futuro, scilicet, *Si satisfeceris*, vt vidimus in materia de excommunicat. disput. vlt. dub. 15. quoniam absolutio non debet esse in pendenti. Vnde relaxare ad cautelam est, quando prætenditur censuram fuisse nullam, verbi gratia, quando quis asserit, se post appellationem excommunicatum, & interdictum in vxorem, familiam & terram impositum esse, & petit ad cautelam absolui ab excommunicatione, & interdictum relaxari. sic glossa cap. præsenti. de sentent. excommunicat. in 6. in princ. & verbo, ad cautelam. Quo supposito, sit

Prima conclusio. Interdictum generale locale non potest relaxari ad cautelam. ita Couarru. cap. alma mater. p. 2. §. 2. nu. 5. Sylvest. ver. interdictum. 3. quæst. 9 num. 14. Nauar. cap. cùm contingat. remedio 6. num. 7. P. Henri. cap. 51. num. 4. & decernitur in dicto cap. præsenti. vbi nota, quòd si detur talis relaxatio, erit nulla. sic glossa ibidem in fine. & probatur ex textu, ibi, *locum aliquatenus non habere.*

Secunda conclusio. Interdictum huiusmodi debet simpliciter tolli, vel remitti præstita cautione de parendo Iudici, antequàm de nullitate vel iustitia constet, ad modum simplicis absolutionis ab excommunicatione, iuxta cap. cùm contingat, de offic. delegati. ita Nauarr. & Couarru. vbi sup. & Geminia. dicto cap. præsenti. num. 6.

Tertia conclusio. Interdictum speciale locale potest relaxari ad cautelam. Hæc est contra Archidiaconum citatum à Syluestro: sed eam tenet ipse Sylvest. & Geminia. & P. Henri. & Couarru. qui dicit esse communem, & ita obseruari in Romana curia, & habetur ex dicto cap. præsenti, ibi, *generaliter promulgatas.*

Quarta conclusio. Idem dicendum est de interdicto personali speciali, imò & generali, scilicet quòd potest relaxari ad cautelam. Conclusio hæc quantùm ad interdictum speciale est communis. Eam tenet glossa dicto cap. præsenti. verbo, generaliter. Sylvest. sup. P. Henri. & alij. Rationem assignat glossa & Sylvest. quia homini specialiter interdicto denegantur omnia Sacramenta, & sic idem est quod de excommunicatione. Quantùm ad interdictum autem generale non est tam certa conclusio, sed eam tenent aliqui Magistri, & videtur tenere P. Henri. imò eam tenet Ioannes Andr. vt refert Francus dicto cap. in præsenti. num. 5. nec oppositum dicit Calderinus tractatu de interdicto. p. 1. num. 22. vers. ad 1. dico: nam ibi solùm dicit, quòd interdictum generale personale non potest poni pro debito pecuniario, quod longè differt à nostro proposito. Et probatur conclusio: secluſa prohibitione iuris, quodlibet interdictum pos-

sit

fet relaxari ad cautelam, sicut excommunicatio, sed ius tantùm prohibet in interdicto generali locali, ergo reliqua interdicta possunt ad cautelam relaxari. Confirmatur: nam sicut Doctores excipiunt locale speciale, quia textus tantùm loquitur de generali, ita licebit excipere quodlibet personale etiam generale, quia textus tantùm loquitur de locali.

Quinta conclusio. Quando interdictum est generale, si principalis delinquens, propter cuius culpam latum est, offerat satisfactionem, tolletur interdictum; at verò si fuit culpabilis, tanquam consiliarius vel auxiliarius, accipietur quidem cautio de satisfaciendo, & iniungetur pœnitentia, non tamen relaxabitur interdictum. Hanc conclusionem ponit Sylvest. ver. interdictum. 3. in fine. & pro prima parte allegat Ioannem Andr. & pro eadem faciunt Geminia. & Nauarr. statim citandi; pro secunda verò allegat cap. alma mater. de sententia excommunicat. in 6. vbi expressè continetur. Ratio autem huius secundæ partis hæc est, meo iudicio, quia interdictum non debet relaxari, si principalis delinquens perseuerat in sua pertinacia; si verò hanc relaxationem petat, qui non est in culpa, nec relaxabitur, nec petetur ab eo cautio de stando iuri, & satisfaciendi, quia hoc esset iniustum, ita Geminia. sup. & hoc idem seruandum est in casu primæ conclusionis. Et petitur non quidem relaxatio ad cautelam, sed simplex absolutio præstita cautione de parendo Iudici, quia si id petat principalis delinquens, propter cuius culpam positum est, tolletur simpliciter, antequàm de nullitate vel iustitia constet ad modum simplicis absolutionis ab excommunicatione. Ita Geminia. sup. & Nau. sup. qui allegat decisionem Rotæ.

DVBITATVR sextò, de forma seruanda in absolutione interdicti?

Prima conclusio. Non sunt aliqua verba determinata, sed sufficiunt quælibet verba expressiua intentionis.

Secunda conclusio. Papa potest solo actu interiori relaxare interdictum, sic P. Henri. cap. 51. num. 4. & cap. 47. numer. 1. vbi citat alios, & est de mente Medinæ 1. 2. quæst. 90. art. 4. dicentis, quòd lex potest reuocari per solam volũtatem interiorem Principis. Et probo: Ad validitatem censuræ requiritur voluntas interior ligandi, taliter quòd non sufficiunt signa exteriora, si desit voluntas interior, ergo quando Papa dicit, nolo quòd interdictum habeat vim, cessabit, quamuis Papa id dicat sola loquutione interiori; vnde qui egerit contra tale interdictum, peccabit quidem, quia non constat ei de interiori voluntate Papæ, sed non incurret pœnam positam contra violatores interdicti.

Contrà: nam potestas ferendi vel tollendi censuras pertinet ad forum exterius? Respondetur, concedo, sed quia etiam ligant in foro interiori, ideò dependent à voluntate interiori Prælati, taliter quòd ipsa sola sufficit ad deobligandum, non tamen ad obligandum: nam bonum ex integra causa, & quòd censura habeat suum effectum, est quoddam bonum.

Hinc sequitur, quòd eo ipso quòd Papa concedat licentiam celebrandi Officia diuina in Ecclesia à se interdicta, censetur tollere interdictum; at verò in Prælato inferiori hoc non sufficit, nisi explicet se id intendere. ita Sylvest. ver. interdictum. 3. quæst. 9. part. 1. & Henri. cap. 51. num. 4. & idem dicendum est, si Papa vel Prælatus inferior non seruet interdictum: nam in Papa erit sufficiens signum, vt interdictum censeatur relaxatum, non tamen in Prælato inferiori, quia non est supra ius, & secundùm ius absolutio interdicti debet esse verbalis, sicut impositio; sic Sylvester.

Tertia conclusio. Ad relaxationem interdicti duo requiruntur. Primùm requiritur iuramentum. sic Sylvest. sup. quæst. 8. part. 4. Panormitan. cap. adhæc. el postrero. de appellationibus. num. 3. Nauarr. cap. 27. num. 165. Henri. sup. argum. tex. cap. venerabili. de sententia excommunicat. Quæ conclusio intelligenda est in delictis grauioribus, prout significat P. Henri. & nos diximus ca. 7. de excommunicat.

disput.

disp. 3. dub. 1. Secundum requiritur satisfactio vel cautio, iuxta cap. alma mater. de sententia excommunic. in 6. addit Henri. quòd si fuerunt multi lædentes, & pauci ex illis satisfecerint, non manent absoluti, donec omnes satisfaciant, & absoluantur; digni tamen sunt, vt pro eis relaxetur interdictum. Et quoniam ad interdictum locale reducitur quodammodò Ecclesiæ violatio, ideò sit

Disputatio VII.

De violatione Ecclesiæ.

De qua tractat Sylu. ver. consecratio. 2. num. 5. & 6. Tabien. eodem verbo. à n. 4. vsque ad 10. *Ang. ver. consecratio. 1. Ant. 3. p. tit.* 12. *c. 6. à §. 4. per sequentes. Soto d. 3. q. 2. art. 3. circa ad 2. argumentum. dicto 4. Nau. c. 27. à nu. 251. P. Henri. lib. 13. de excommunic. c. 51. num. 5. & latiùs lib. 9. de Missa. cap. 27. à num. 5.*

Dvbitatvr primò, à quo imponatur Ecclesiæ violatio, & quot casibus contingat?

Prima conclusio. Nunquàm imponitur ab homine, sed tantùm à iure. sic Henriq. dicto c. 51. num. 5.

Secunda conclusio. In quinque casibus contingit Ecclesiæ violatio. Primus est, quando intra eam effunditur sanguis iniuriosè. cap. proposuisti. de consecrat. Ecclesiæ, &c. Et ponderanda sunt singula verba: dicitur enim *intra Ecclesiam*, quod sic intelligendum est, quòd requiritur & sufficit intra Ecclesiã dari causam effusionis. Vnde si percussio fiat intra Ecclesiam, violatur, quamuis non effundatur sanguis in ipsa Ecclesia, quia receptus est sanguis in aliquo vase, vel quia percussus cõtinuò egreditur, antequàm sanguis effundatur in Ecclesia, & è contrà non sufficit, quòd sanguis effundatur intra Ecclesiam, si vulnus inflictum est extra. sic Tabien. nu. 4. Anton. §. 4. & Nauar. num. 251. qui dicit esse communem; nec etiam sufficit, quòd aliquis supra tectum, vel in spelunca subtus Ecclesiã occidatur, quia non est intra Ecclesiam. sic Tabien. num. 6. nec sufficit interficere aliquo telo Misso ab Ecclesia, in existentem extra eam, & è contrà; tamen sufficit effusio facta in Ecclesia per telum foris emissum. sic Nauar. Dicitur præterea *effunditur sanguis*: nam effusio significat abundãtiam, vnde si parum sanguinis defluat, non polluitur Ecclesia. sic Tabien. num. 4. Nauarr. & alij. Hinc refert Soto sup. quòd non polluitur, quando in rixa puerorum effunditur sanguis è naribus; sed nota, quòd sufficit suffocatio, quamuis non effundatur sanguis. sic Tabien. num. 5. & Henriq. c. 27. num. 5. non tamen sufficit percussio non mortifera, quamuis confundat ossa. sic Nauar. & Tabien. num. 6. qui allegat Panormitanum in c. proposuisti. de consecr. Ecclesiæ, vel altaris. Dicitur, *iniuriosè*: quia si effusio non sit iniuriosa, non polluit, vt si fiat ex lapide cadente, vel à furioso, vel à Chirurgo, vel se iustè defendendo. sic Tabien. num. 4. & 5. Henriq. c. 27. nu. 6. Hinc sequitur, non violari Ecclesiam per hoc quòd Iudex emisso iaculo, licitè percutit perturbatorem Reipub. quem aliter capere non potest. sic Enr. lib. 11. de matrimon. c. 16. num. 4. in fine. Et quamuis nonnulli dicant, quòd quando Martyr occiditur, non polluitur Ecclesia, quia potiùs ex illo sanguine consecratur, dicendum tamen est, quòd polluitur. sic Anton. §. 4. & Tabien. num. 5. Nauarr. sup. quia licèt sanguis effusus non polluat, polluit tamen ipsa effusio iniqua.

Præterea notandum est, quòd non requiritur effusionem fieri ab alio: nam si aliquis sui compos ex natura vel desperatione se ipsum interficiat, vel percutiat, ita

vt effundatur sanguis, violabitur Ecclesia. sic Tabien.num.7.

Secundus casus est, quando illicitè effunditur semen humanum, c. significasti. de adulteriis.& hoc siue sit fœminæ, siue viri, fidelis vel infidelis, siue fundatur contra, vel iuxta naturam, dummodò sit illicita. sic Nauar. non tamen sufficit pollutio facta in somniis, licèt sit indirectè voluntaria in causa. sic Henrique.c.27.num.5.& in glossa, litera M, dicit esse communem: vnde à fortiori non violat pollutio, quam Confessarius inuitus patitur audiendo cõfessiones. De pollutione autem per copulam coniugalem dicendum est, quòd per se loquendo violat, quia per se loquendo est illicita. sic Anton.§.4.Nauar.num.252.Tabien.num. 8.& alij communiter; per accidens tamen aliquando non violabit, vt si fiat ad euitandam fornicationem in se, vel in altero, quod potest contingere, si vir diu obsideatur in Ecclesia, quia tunc est licita. ita Syluest.verbo, debitum coniugale. num.5.q.3.& verb.consecratio. 2. q.5 casu 3.Henrique, cap.27.num.1. quia necessitas tollit irreuerentiam, sicut occisio aggressoris ad defendendam propriam vitam nõ violat.& à fortiori fauet Soto sup. vbi generaliter dicit, quòd forsan per copulam coniugalem non violatur.

Tertius est, quando aliquis excommunicatus non toleratus sepelitur in Ecclesia, cap. consuluisti. de consecrat. Ecclesiæ. Henriq. dicto cap. 27. numer. 5. & omnes Doctores. Idem est secundùm prædictos, si infidelis, vel paganus sepeliatur,& est text. cap. Ecclesiam. el 1.y 2.de consecrat.dist.1. hoc tamen non intelligitur, quando sepelitur cum matre prægnante. ita Sylvest. verb.consecratio.2.num.5. casu 4. quia est pars ventris.

Quartus est, quando Ecclesia consecratur, vel benedicitur per Episcopum excõmunicatum. sic Anton.§.4.Tabien.num.8. Sylvest.ver.consecratio.2.num. 4. casu 5. qui allegant Panormitanum. Intellige de excommunicato non tolerato.

Quintus casus est, quando parietes omnes, vel maior pars deiicitur simul. sic Nauar.& Henri.dicto cap.27. num.5.Sylvest.ver.consecratio.2.num.4. casu 3. non tamen si successiuè reparentur. ita Nauar. & Henriq. in glossa, litera T, & Sylvest. num.5.casu 2.

DVBITATVR secundò, vtrùm violatio habeat locum in omni Ecclesia?

Prima conclusio. Non violatur Ecclesia, nisi sit consecrata vel benedicta; hæc est contra glossam cap. Ecclesia. de immunit. Ecclesiarum.& contra nonnullos modernos, quos sequutus sum 3.p.q.83.art.3. sed eam tenet P.Henriq.cap.25. num. 5.& lib.2.de pœnit.cap.6.num.5.in glossa, litera H, & aliqui iuniores. & colligitur ex Nauar.cap.16.num.32.& ex Soto dist.13.q. 2.art. 3.colum.8.& dist.32.q.vnica.art.3.colum.4.qui quantùm ad violationem solùm faciunt mentionem Ecclesiæ consecratæ vel benedictæ: colligitur etiam ex Corduba in Sum. quæst. 12. Vnde quamuis Oratorium sit designatum ab Episcopo,& ibi dicantur Missæ,& gaudeat immunitate, non tamen violatur. sic Henriq. cap. 27.num.5. nec sufficit, quòd locus sit benedictus, vt campanile, vel dormitorium Monasterij, sed debet esse benedictus tum deputatione ad Officia diuina, vel sepulturam. sic Henriq.in glossa citata.

Secunda conclusio. Violata Ecclesia, cæmeterium ibi contiguum censetur violatum, sed non è contra, ne minùs dignum trahat ad se magis dignum. Nauar.cap. 27. num.252. P.Henriq.dicto cap.27. num. 5. & est text.cap. vnico. de consecrat. Ecclesiæ, vel altaris. in 6. Nec censetur contiguum, quamuis ibi cohæreant, si medio pariete seiungantur, dicet de vno ad aliud per interiectam portam habeatur accessus. dicto cap. vnico.

Sed quid si sanguis vel semen effusum est in medio portæ positæ inter duo cæmeteria?

Tertia conclusio. Illud cæmeterium est violatum, cuius causa paries & porta fuerunt facta, quasi sit illius accessio. sic Angel. verb. consecratio cæmeterij. num. 2. &

Gemi

Geminianus c. vnico. de consecra. Ecclesiæ. in 6. Si verò dubium sit, cuius causa sit facta, vtrumque cæmeterium violatum manet, quia præsumitur paries factus non ad gloriè, sed ad diuidendum duo cæmeteric Geminia. & Angel.

Sed quid si sanguis, vel semen effundatur in porta Ecclesiæ?

Quarta conclusio. Si effundatur intra clausuram ostij versus Ecclesiam, polluit eam, non tamen si in parte, quæ est extra clausuram.

Dvbitatvr tertiò, vtrùm sit peccatum, celebrare in Ecclesia violata, & incurratur irregularitas?

Prima conclusio. Peccatum est mortale, celebrare Missam, vel alia Officia diuina in Ecclesia violata. ita Sylvest. verbo, consecratio. 2. num. 7. in fine. P. Henrique, dicto cap. 51. num. 5. Nauar. cap. 25. nu. 83. & habetur ex cap. vlt. de consecrat. Ecclesiæ. Vnde in cœmeterio violato nullus potest sepeliri, vt ait Anton. sup. §. 7. Gemin. cap. vnico. de consecrat. Ecclesiæ. in 6. P. Henriqu. cap. 27. num. 7. Hæc autem conclusio intelligitur, quando violatio est publica, id est, quòd publicè constet esse violatam: nam si occulta sit, licitè potest celebrari. ita Soto dist. 13. art. 3. dicto 4. Nauarr. cap. 27. nu. 251. in fine. Henriq. cap. 27. num. 5. vbi dicit esse communem, de quo bene Castro libr. 2. de lege pœnali. cap. vlt. post. 3. concluf. §. iuxta ea. vnde infert Nauarr. posse contingere, quòd effusio sanguinis vel seminis facta abhinc octo dieb. hodie incipiat impedire, & non antea, quia hodie publicatur.

Sed quid, si post celebrationem Missæ publicaretur violatio antea occulta, vtrùm esset necessarium, Ecclesiam reconciliare?

Castro respondet quòd non, quia præsentia corporis Christi reputanda est pro sufficienti reconciliatione: quam sententiam refert, & non reprobat P. Henrique, num. 5. citato, in glossa, litera L, & videtur mihi valdè probabilis.

Secunda conclusio. Si Ecclesia violata sit consecrata, potest Episcopus ex causa dispensare, vt in ea celebretur. sic D. Tho. 3. p. q. 83. art. 3. ad 2. & Henriq. lib. 13. cap. 51. nu. 5. verbi gratia, si Episcopus abest, & non potest aduenire Episcopus ad reconciliandam Ecclesiam, tunc de licentia eius vel sui Vicarij posset celebrari. ita Soto attic. 3. citato, circa ad 2. argumentum, dicto 4. vbi addit, maiorem causam requiri ad celebrandũ in Ecclesia violata, quàm extra locum sacrum.

Tertia conclusio. Qui celebrat in Ecclesia violata, non manet irregularis. Nauar. cap. 25. num. 83. Anton. §. 5. P. Henriq. cap. 27. num. 7. & est communis contra Hostiensem: nam hæc violatio non est propriè censura, nec etiam manet suspensus ab ingressu Ecclesiæ. sic Henriqu. num. 7. citato. in glossa, litera M, contra Lapum, quem videtur sequi Tabien. num 8. & Geminia. dicto cap. vnico. Et notandum est cum Villadiego cap. 5. de interdicto. n. 11. & P. Henriqu. lib. 13. cap. 51. in fine. quòd in festis, in quibus iure suspenditur interdictum, non licet celebrare in Ecclesia violata.

Dvbitatvr quartò, per quem & quomodo reconcilietur Ecclesia?

Prima conclusio. Si Ecclesia sit benedicta, potest reconciliari per simplicem sacerdotem, & cum aqua benedicta communi. ita Doctores, & habetur ex ca. si Ecclesia. de consecr. Ecclesiæ. iuncta glossa. nec requiritur ad hoc Episcopi licentia, vt ait Anton. §. 6. & P. Henriqu cap. 27. num. 6. & probatur ex ipso textu, ibi, *protinus lauetur*, quod non diceretur, si oporteret expectare licentiam Episcopi.

Secunda conclusio. Si verò Ecclesia sit consecrata, debet reconciliari per Episcopum proprium, vel per alium Episcopum de eius licentia, & cum aqua à se, vel ab alio Episcopo benedicta cum vino & cinere. cap. si aqua. de consecr. Ecclesiæ.

Tertia conclusio. Episcopus non potest committere simplici sacerdoti reconciliationem Ecclesiæ consecratæ: potest tamen Papa. sic Anton. §. 5. Sylvest. verbo,

conſecratio.2.quæſt.8.Henriq.dicto nu.6. aduertunt tamen Anton. & Sylueſt. quòd aqua debet eſſe benedicta per Epiſcopum. Probatur concluſio ex cap. aqua. de celebratione Miſſarum. vbi dicitur, quòd conſuetudo Eccleſiæ Bracharenſis, vbi ſolebant Epiſcopi committere ſacerdotibus reconciliare Eccleſiam, potiùs eſt dicenda corruptela. Prætereà probatur: nam licèt huiuſmodi conſecratio pertineat ad poteſtatem Ordinis, cuius miniſter ordinarius eſt Epiſcopus, tamen committere hanc facultatem ei, qui non eſt Epiſcopus, pertinet ad plenitudinem poteſtatis iuriſdictionis; vnde Papa electus nondum conſecratus, imò & nondum ſacerdos, poteſt id committere. Et quamuis Anton. & Sylueſt. dicant, requiri aquam benedictam per Epiſcopum, vt diximus, tamen P. Henri. dicit, quoſdam regulares habere priuilegium, vt poſſint reconciliare Eccleſiam conſecratam cum aqua per Epiſcopum benedicta, vel per Prælatum regularem, ſi Epiſcopus diſtet per duas dietas, id eſt, per iter bidui, vt patet in compendio Societatis, verb. Eccleſia. §. 2.

Quarta concluſio. Quando in Eccleſia ſepultus eſt aliquis infidelis, vel paganus, aut excommunicatus, exhumandum eſt corpus. ita Sylueſt. verb. conſecratio. 2. num. 5. caſu 4. Tabien. verb. conſecratio. 4. num. 1. & facit cap. Eccleſiam. el 2. de conſecrat. diſt. 1. Quod intelligendum eſt, ſi corpus poſſit diſcerni. Sic Autores citati, & eſt textus cap. ſacris. de ſepulturis. & prætereà ſecundùm Ioannem Andr. quando ſepulta ſunt infidelium corpora, radendi ſunt parietes. Hoc autem ſolùm habet verum, quando Eccleſia non eſt conſecrata: nam ſi raderentur parietes Eccleſiæ conſecratæ, neceſſariò eſſet reconſecranda. ſic Tabien. & clariùs id tenent Sylueſter modò citatus, & Panormit. cap. conſuluiſti. de conſecrat. Eccleſiæ. Modus autem radendi parietes eſt, illos dealbare. ſic gloſſa dicto capit. Eccleſiam. Et quod diximus de exhumatione corporis excommunicati, intelligo primò de denunciato, iuxta dicta dub. 1. caſu 3. intelligo ſecundò, quando mortuus eſt abſque ſignis contritionis: nam ſi deceſſit cum ſignis contritionis, poteſt abſolui & ſepeliri, vt dixi cap. 4. de excommunicat. dub. 8. ergo à fortiori poterit retineri in ſepultura poſt abſolutionem.

Quinta concluſio. Quando Eccleſia violata eſt propter effuſionem ſanguinis alicuius Martyris, non lauatur locus ſanguinis. ſic Tabien. verbo, conſecratio. 2. num. 5.

Sexta concluſio. Reconciliata Eccleſia, reconciliatum manet cæmeterium contiguum, ſic Angel. verb. conſecratio cæmeterij. in fine. & Geminia. cap. vnico. de conſecratio. Eccleſiæ. in 6. Et hæc de violatione Eccleſiæ.

SEXTA

SEXTA PARS.

De ceſſatione à diuinis.

De hac materia tractant ex profeſſo Doctores Canoniſtæ ſuper diuerſos textus, & Couarru. cap. alma mater. p. 2. §. 2. num. 1. 2. & 3. & §. 4. nu. 7. Summiſtæ ver. ceſſatio. Tabien. ver. interdictum. 1. Soto diſt. 22. q. 3. art. 2. Medin. in Sum. lib. 1. c. 11. §. 14. vbi refert reſolutionem quandam Salmanticenſis Academiæ datam anno 1556. & diſtributam per decem capitula. Nauar. c. 27. n. 188. & 189. & eruditè P. Henrique lib. 3. de interdicto. c. 52. 53. & 54. Quam materiam in tres diuidam diſputationes; prima, de natura & effectibus ceſſationis; ſecunda, de cauſa efficienti, id eſt, quis poteſt imponere ceſſationem, & de forma ſeruanda in imponenda ea, & de cauſa, propter quam eſt imponenda; tertia, de cauſa excuſante, & de pœna contra violantes ceſſationem, & de relaxatione.

DISPVTATIO I.

De natura, & effectibus ceſſationis.

DVBITATVR primò, quid ſit ceſſatio à diuinis?

Prima cõcluſio. Eſt ſuſpẽſio organorum diuinæ laudis in aliquem locum decreta. Definitionem hanc tradunt Innocent. Couar. & alij multi, qui deducunt eam ex c. irrefragabili. §. cæterùm. de offic. ordinarij. & c. ſi Canonici. & c. quamuis. eod. tit. in 6. Dicitur autem *organorum ſuſpenſio*, ſecundùm Sotum, quaſi ſit miniſtrorum Eccleſiæ ſilentium, qui modus loquendi ſumitur ex illo Pſal. 136. *In ſalicibus in medio eius ſuſpendimus organa noſtra.* Sicut enim populus Iſraëliticus in ſignum triſtitiæ ſuſpẽderunt organa, quibus in templo diuinas laudes cañebant; ſic Eccleſia videns filios ſuos perſeuerantes in pertinacia, ceſſat à diuinis, vt ſuam triſtitiam oſtendat. Nauar. autem num. 188. ſic definit ceſſationem, Eſt quædam omnimoda deſiſtentia à diuinis Officiis, & ab adminiſtratione quorundam ſacramentorum in locum decreta. Dicitur *ſuſpenſio organorum*; vel, *ſilentium miniſtrorum*, quia eſt quædam pura negatio, & omnimoda deſiſtentia diuinorum Officiorum, vnde non eſt cenſura, in quo differt ab interdicto, vt ait P. Henrique cap. 52. n. 1. & ca. 54. in fine. Et quòd non ſit cenſura, ſed pura negatio, probatur tum ex dictis ſup. par. 1. de cenſuris in communi. dub. 5. tum etiam: nam quælibet cenſura directè & per ſe infligitur in pœnam delinquentis; at verò ceſſatio de ſe & ſolitariè ſumpta, niſi in ea admiſceatur interdictum, non magis reſpicit delinquentes, quàm reliquos homines: nam Officia diuina æqualiter ceſſant omnibus. Præterea, quoniam ceſſatio eſt quid facti, vt ait Panormit. cap. adhæc. el vlt. de appellationibus. Henrique cap. 52. nu. 1. Couar. num. 1. citato. & Doctores communiter, per quod non ſolùm intendunt, quòd nulla ceſſatio à diuinis eſt impoſita ipſo iure

pro aliquo crimine, sed etiam intendunt, quòd per omnem censuram inducitur aliqua prohibitio in personam delinquentis, vel in aliquem locum, si sit censura interdicti; at verò cessatio nullam specialem prohibitionem inducit in ipsum locum, vel in personam delinquentis, sed æqualiter respicit nocentes & innocentes, quia immediatè est mera negatio, interdictum verò habet se vt priuatio, itaque cessatio nec afficit immediatè ipsas personas, nec ipsum locum.

Vltimò probatur: nam qui violat censuram celebrando, incurrit irregularitatem: at verò qui celebrat tempore cessationis, non incurrit, vt infrà dicemus. Sed est præterea alia differentia inter cessationem & interdictum.

Pro cuius explicatione notandum est, quòd licèt attendendo ius antiquum ante cap. alma mater. cessatio erat multùm similis interdicto: nam cùm non liceret laicis tempore generalis interdicti interesse diuinis, inde sumebat clerus occasionem abstinendi à celebrando, nihilominùs adhuc erat aliqua differentia: nam tempore interdicti licitum erat in Ecclesiis conuentualibus celebrare Officia diuina per duos vel tres clericos simul, quod tamen non licebat tempore cessationis: at verò post cap. alma mater. clarior est differentia: nam tempore generalis interdicti licitum est in singulis Ecclesiis celebrare Officia diuina cum moderatione eiusdem c. quod tamen non est licitum tempore cessationis, vt posteà dicemus.

Hinc sequitur, deceptos fuisse quosdam Doctores relatos à P. Henrique c. 52. nu. 1. dicentes, idem esse cessationem & interdictum generale. sic P. Henrique ibi & Nauar. num. 188.

DVBITATVR secundò, quotuplex sit cessatio?

Sit conclusio, quòd est duplex, generalis, & particularis; ita Sylues. verb. cessatio. Nauar. nu. 188. & Doctores communiter. Generalis dicitur, quæ fit in loco vniuersali; particularis verò, quæ fit in loco particulari, iuxta dicta de interdicto disputat. 1. dub. 1. Agendum est iam de effectibus cessationis, qui possunt esse negatio diuinorum Officiorum, Sacramentorum, ecclesiasticæ sepulturæ, & campanarum pulsationis. Ideò

DVBITATVR tertiò, vtrùm tempore cessationis liceat celebrare Officia diuina cum moderatione c. alma mater. sicut licet tempore generalis interdicti?

Sensus huius quæstionis est, iam quod iure antiquo prohibitum erat tempore cessationis generalis celebrare vllo modo Officia diuina, vt patet ex capit. non est vobis. de sponsalibus. quod caput secundùm omnes Doctores, teste Couarru. §. 4. nu. 7. intelligitur de cessatione à diuinis, vtrùm post cap. alma mater. liceat celebrare Officia diuina cum moderatione eiusdem capitis.

Pro resolutione supponendum est, quòd si cessatio sit particularis, non licet. Sic supponunt communiter Doctores, & traditur expressè à Nauar. num. 189. & patet: nam etiam tempore interdicti particularis non licet celebrare Officia diuina etiam cum prædicta moderatione, vt vidimus disputat. 4. de interdicto. sect. 2. dub. 3. ergo idem à fortiori dicendum est tempore cessationis particularis. Vnde difficultas tandem procedit in cessatione generali, de qua est

Prima opinio affirmatiua, quòd licet, quam tenet Archidiaconus cap. si Canonici. de Offic. ordinarij. in 6. Villadiego cap. 5. de interdicto. numer. 15. vers. prædicta tamen. Paluda. in 4. d. 18. q. 8. art. 3. principali, & Nauar. num. 189. probatur primò. Eædem omninò rationes, quæ mouerunt Pontificem ad concedendum in ca. alma mater. quòd tempore generalis interdicti celebrarentur Officia diuina cum moderatione eiusdem cap. habent locum in cessatione generali. ergo etiam habet locum eadem concessio. Patet consequentia: nam à ratione expressa in aliqua constitutione bene valet argumentum ad similem casum omissum, vt inquit glossa

Clem.

Clem. 1. de electio. verbo, eligatur. Antecedens verò probatur ex verbis cap. alma mater. quia verò ex districtione huiusmodi statutorum pullulant hæreses, & infinita pericula animarum insurgunt, ac Ecclesiis debita obsequia subtrahuntur; quæ omnia etiam habent locum in cessatione generali. Secundò probatur, constitutio vtcunque correctoria, si sit fauorabilis animæ, extendenda est potiùs, quàm restringenda, vt dicunt Ioannes And. & Hostiensis cap. ex tenore. qui filij sint legitimi; sed hæc constitutio cap. alma mater. est fauorabilis animæ, ergo extendenda est ad cessationem generalem. Tertiò: nam interdictum est strictius vinculum, quàm cessatio, siquidem violans interdictum manet irregularis, non tamen qui violat cessationem. Quartò: nam interdictum generale & cessatio generalis æquiparantur quantùm ad celebrationem diuinorum Officiorum, vt patet ex Clem. 1. de sententia excommunicat.

Secunda opinio, & tenenda, est negatiua, eam docet Couar. p. 2. §. 7. nu. 7. P. Henrique, cap. 53. num. 2. Medin. in Sum. lib. 1. cap. 11. §. 14. & resolutio Salmanticensis, & communiter iuniores. Probatur efficaciter ex dicto cap. si Canonici. §. si autem. vbi qui fuit causa cessationis à diuinis, obligatur soluere distributiones clericis, quas nō lucrati sunt propter cessationem, quæ obligatio non haberet locum, si Officia celebrarentur cum moderatione cap. alma mater. nam Canonici si vellent, interessent diuinis, sicut tempore interdicti.

Secundò probatur: nam cessatio est mera negatio, & purum silentium diuinorum Officiorum, & ideò Ecclesia post interdictum positum imponit cessationem.

Ad primum argumentum negatur antecedens, quoniam cessatio rarissimè imponitur, & ob causam vrgentissimam, & minùs durat regulariter loquendo, quàm interdictum. Ad probationem autem consequentiæ, & etiam ad secundum argumentum respondetur, quòd illa extensio debet fieri ad casum, qui sit eiusdem conditionis & rationis, quod non contingit in præsenti, vt patet ex dictis. Et requiritur præterea, quòd talis extensio non repugnet verbis & menti statuentis, vt contingit in præsenti: nam celebratio diuinorum Officiorū etiā cū moderatione cap. alma mater. repugnat ipsi nomini cessationis, & menti imponentis illam.

Ad tertium respondetur, quòd licèt quantùm ad irregularitem, strictius vinculum sit interdictum quàm cessatio, tamen absolutè loquendo, strictius vinculum est cessatio, quia magis tollit celebrationem diuinorum Officiorum.

Ad quartum respondetur, quòd interdictum generale, & cessatio generalis non æquiparantur quantùm ad Officia diuina, nec quantùm ad hoc comparantur in illa Clement. sed solùm quātùm ad hoc, quòd sicut Religiosi non seruantes interdictum incurrunt excommunicationem, sicut etiam non seruantes cessationem.

Dvbitatvr quartò, vtrùm tempore cessationis generalis liceat celebrare illa Officia diuina, quæ iure antiquo celebrabantur tempore generalis interdicti, & eo modo, quo tunc celebrabantur?

Pro quo supponendum est, iure antiquo (scilicet in cap. quod in te. de pœnit. & remissionibus) concessum esse, quòd in Ecclesiis conuentualibus celebrarentur Officia diuina per duos vel tres clericos tantùm, non cantando, sed legendo, ianuis clausis, exclusis excommunicatis, & interdictis.

Hoc supposito, quidam Doctores relati à P. Henrique cap. 53. nu. 1. litera A, videntur tenere partem affirmatiuam; inter quos est Couar. §. 4. nu. 7. versic. hinc patet. Villadiego cap. 5. de interdicto, num. 15. & eam expressè tenent nonnulli iuniores.

Sit prima conclusio. Tenenda est pars negatiua, quam tenuit resolutio Salmanticensis, quæ in 1. cap. dicit, Officia diuina non esse celebranda, sed quòd cessent omninò in omnibus Ecclesiis. Eandem videtur clarè tenere P. Henrique cap. 53. num. 2. & communiter idem tenent Magistri.

gistri. Probatur ex c. non est vobis de sponsalibus. quod communiter intelligitur de tempore cessationis, vbi dicitur: *Nulla diuina Officia permittatis aliquatenus celebrari.* Secundò probatur: nam cessatio est pura negatio, vt dictum est.

Secunda conclusio. Nihilominùs licitum est tempore cessationis generalis, octauo quoque die in qualibet Ecclesia celebrare vnam Missam ad renouandam Eucharistiam, idque cum vno solo ministro. Sic resolutio Salmanticensis cap. 2. P. Henrique dicto numer. 2. Medina in Sum. lib. 1. cap. 11. §. 14. & iuniores communiter, & idem videtur tenere Nauar. nu. 173. & alij Autores relati ab Henrique dicto num. 2. litera G, qui cùm dicant, hoc licere in Ecclesia specialiter interdicta, iuxta cap. permittimus. de sentent. excommun. idem intellexisse videntur de tempore cessationis ob paritatem rationis: nam illius concessionis factæ dicto cap. permittimus. duplicem rationem colligit glossa ex ipso textu. Prima, propter reuerentiam corporis Christi, ne putrefiant species. Secunda, propter necessitatem decedentium infirmorum, quæ rationes æqualiter procedunt tempore cessationis; imò P. Henrique num. 5. dicit, etiam habere verum in cessatione speciali, quia par ratio militat, & quamuis resolutio Salmanticensis expressè dicat, quòd debet fieri cum vno solo ministro, tamen P. Henrique addit, cum vno vel duobus, quia Soter Papa cap. hoc quoque. de consecrat. distin. 1. iubet, in Missis adesse saltem duos, quibus sacerdos dicat, *Dominus vobiscum.*

Ex dictis sequitur, quòd nec clerici, nec Religiosi, si non habeant priuilegium, possunt tempore cessationis audire diuina, sicut possunt tempore interdicti. Patet: nam sicut non possunt celebrari sine priuilegio, ita nec possunt audiri.

Sed inquiris, vtrùm saltem sit licitum clericis tempore cessationis recitare priuatim Horas Canonicas bini?

Resolutio Salmaticensis capit. 3. tenet quòd non, sed debent recitare soli, nisi sint priuilegiati, idem tenet Villadiego cap. 5. de interdicto. num. 16. versicu. sed salua correctione. Medina sup. & aliqui Magistri, qui existimant, id clarè consequi ex prima conclusione. Cæterùm P. Henrique cap. 53. num. 2. in fine. dicit esse licitum, idem tenet D. Margallus citatus à Didaco Perez ad Villadiego, post versic. præ max. Idem videtur tenere Hostiens. in cap. quod in te. de pœnit. & remissionibus. relatus à Villadiego; idem tenent aliqui Magistri, & idem ego teneo tanquàm benignius: præcipuè, nam ita priuatim solet recitare laicus, nec videtur ita pertinere ad publicum Officium, sicut cantus in choro.

DVBITATVR quintò, vtrùm habentes priuilegium audiendi vel celebrandi Officia diuina tempore interdicti, possint vti huiusmodi priuilegiis tempore cessationis?

Et quidem, si loquamur de speciali priuilegio concesso extra ius commune, sit prima conclusio, quòd non possunt; ita resolutio Salmanticensis cap. 10. Nauarr. num. 189. Couarru. §. 4. num. 7. versic. nec tamen erit. Et est receptum communiter, sequiturque ex dictis in 1. conclusione dubij præcedentis; vnde Bulla Cruciata, quæ concedit facultatem audiendi Officia diuina tempore interdicti, non valet pro tempore cessationis. sic P. Henrique lib. 7. de indulgentiis. cap. 30. numer. 2. & lib. 13. de interdicto. cap. 53. nu. 3. in glossa, litera P, & nu. 6. Emanuel Rodri. in Bulla. §. 5. num. 8. Loquendo autem de priuilegiis concessis vel insertis in ipso corpore iuris, controuersia est inter Doctores, verbi gratia, de priuilegio, quod habent Episcopi ad celebranda & audienda diuina tempore interdicti, cap. quod nonnullis. de priuilegiis. & cap. vlt. eod. tit. in 6. & de eodem priuilegio quorũdam Regularium inserto in dicto c. quod nonnullis. & cap. cùm & plantare. de priuilegiis. §. quòd si; Templarij. & in ca. vt priuilegia. & cap. in his. eodem titu. De his enim priuilegiis nonnulli Magistri tenent non prodesse pro-

pro tempore cessationis.

Sit tamen secunda conclusio. Oppositum est probabilius; ita Couarr. §. 4. num. 7. versi. hinc patet. vbi citat Ioannem Andream. Idem tenet P. Henrique dicto cap. 53. num. 3. & in glossa, litera P, refert quosdam Iuris peritos Salmanticæ consultos, vbi assignat rationem huius differentiæ, scilicet, quia priuilegium iuris communis est amplè interpretandum; at verò priuilegia particularia quando sunt contra ius commune, strictè sunt interpretanda. Videte illum in eadem glossa, litera Q, & in num. 6. vbi refert varia priuilegia concessa Religiosis, & etiam in cap. 48.

Sed circa hanc conclusionem duo sunt notanda. Primum, quòd ista Missa & Officia diuina dicenda sunt secretò, vt non adsint nisi tres, & seruetur moderatio. cap. alma mater. sic P. Henrique dicto cap. 53. num. 3. & à fortiori glossa cap. fin. de priuilegiis. in 6. verbo, transgressione.

Secundò notandum est cum quibusdam Theologis, conclusionem intelligendam esse de priuilegiis iuris, quæ præcesserunt cap. alma mater. nam ante hoc cap. eandem ferè vim habebat interdictum, ac modò habet cessatio. Tale est priuilegium Episcopis concessum, dicto c. quod nonnullis. & priuilegium Religiosorum ibidem insertum; cum hoc tamen concedo, prædictam conclusionem habere locum in priuilegiis iuris concessis post cap. alma mater. si contineant, quòd tempore strictissimi interdicti possint audire, vel celebrare diuina, quia militat eadem ratio dudum facta. Illud autem vocatur strictissimum interdictum, quando nulla Sacramenta administrantur, præter ea, quæ sunt necessaria, scilicet Baptismus pro paruulis, & Pœnitentia pro solis morientibus. sic Anto. 3. p. tit. 26. cap. 5. & P. Henrique cap. 51. num. 1. Huiusmodi autem priuilegia referuntur ab Antoni. dicto c. 5. §. fin. Armil. ver. interdictum. num. 40. & à P. Henrique cap. 53. num. 3. in glossa, lit. R, quæ priuilegia Nau. num. 190. dicit esse derogata per cap. 12. iuncto cap. fin. concilij Trident. sess. 25. de Regularibus.

Præterea notandum est, quòd si aliquis habeat priuilegium, vt tempore cessationis possit audire diuina in Oratorio domus priuatæ ex vi talis priuilegij, vna tantùm Missa potest dici singulis diebus. Ita resolutio Salmanticensis c. 10.

Sed contra secundam conclusionem est argumentum. Priuilegium iuris concessum in cap. alma mater. vt tempore interdicti possint celebrari diuina cum moderatione ibi posita, non extenditur ad tempus cessationis, vt vidimus dub. 3. ergo nec priuilegium iuris concessum Episcopis vel Religiosis pro tempore interdicti extendi post ad tempus cessationis. Respondetur cum Couarru. dicto vers. hinc patet. negando consequentiam: nam per hæc priuilegia non extinguitur cessatio; at verò per extensionem cap. alma mater. ad tempus cessationis extingueretur omninò.

DVBITATVR sextò, vtrùm priuilegium cap. alma mater. vt tempore interdicti possint solemniter celebrari diuina in illis quatuor festiuitatibus, & aliis posteriùs additis, possit extendi ad tempus cessationis generalis? Aliqui viri docti negant; Couarru. autem §. 5. num. 3. inclinat in partem affirmatiuam.

Sit conclusio. Quamuis pars negatiua sit vera stando in rigore iuris, quia cap. alma mater. nihil concedit pro tempore cessationis, at verò attendendo consuetudini amplectenda est pars affirmatiua; ita P. Henrique dicto num. 3. & aliqui moderni, vnde ipse in glossa, lit. V, & alij viri docti referunt, quòd Salmanticæ, anno 1584. in festo Corporis Christi, practicata fuit hæc sententia consilio Doctorum illius Academiæ & Religionum, nec per hoc omninò derogatur cessationi, siquidem transactis illis diebus reassumit suas vires; credo tamen sententiam hanc non habere locum in illis festiuitatibus, in quibus Religiones ob sua peculiaria priuilegia tempore interdicti solent celebrare solemniter Officia diuina: nam existimo cõ-

suetudinem non se extendisse ad has festiuitates. Dixi, *tempore cessationis generalis*, quia tempore cessationis particularis non habet locum nostra sententia: nam, vt vidimus disput. 4. de interdicto. sect. 2. dub. 9. prædicta concessio cap. alma mater. de illis festiuitatibus, non habet locum in interdicto particulari.

DVBITATVR septimò, vtrùm qui habet priuilegium audiendi Missam tempore cessationis, teneatur eam audire?

Conclusio negatiua, propter rationes adductas disputat. 4. de interdicto. sect. 2. dub. 6. Hinc etiam infertur, quòd tempore cessationis non tenetur quis pergere ad Ecclesias, quæ sunt extra oppidum, in quibus celebratur Missa, nec ad Oratoria, in quibus ob particulare priuilegium dicitur Missa.

DVBITATVR octauò, vtrùm tempore cessationis possint pulsari campanæ?

Prima conclusio. Non possunt pulsari ad aliquod Officium diuinum: nam in textibus in quibus prohibetur celebratio diuinorum Officiorum, consequenter censetur prohibita pulsatio campanarum ad Officia diuina.

Secunda conclusio. Bene possunt pulsari ad alia, quæ non sunt Officia diuina, vt ad concionem, ad aduentum Prælati vel Regis, & ad similia, potest etiam pulsari campanula, cùm Eucharistia defertur ad infirmos, dummodò non dicatur Officium diuinum, imò etiam in rigore posset pulsari campana magna, ad conuocandum populum, vt comitetur Eucharistiam, & etiam, vt ait P. Henrique in glossa, litera Q, posset in rigore pulsari campana ad salutationem Angelicam, quia non est Officium diuinum. Sed quia hoc non seruatur in aliquibus Ecclesiis, standum est consuetudini Matricis. Similiter vbi fuerit consuetudo (quæ viget Salmanticæ) pulsandi tantùm tempore meridiano omnes campanas simul cum peculiari sonitu ad terrorem & tristitiam, obseruanda est, sic P. Henrique dicto num. 5. Et hæc dicta sint de Officiis diuinis. De Sacramentis agamus, vnde sit

DVBIVM nonum, vtrùm tempore cessationis prohibita sit Sacramentorum administratio?

Modernus quidam ait, quòd tempore cessationis, si sit sola, non admixta interdicto, non prohibentur Sacramenta, nec ecclesiastica sepultura, sed tantùm Officia diuina. Verùm hæc sententia est falsa: nam, stando in rigore iuris, tempore cessationis pauciora Sacramenta licent, quàm licebant iure antiquo tempore interdicti. Patet: nam tempore cessationis tantùm licent sacramentum Baptismi & sacramentum Pœnitentiæ morientium, vt patet ex cap. non est vobis. de sponsalibus. quod secundùm Doctores loquitur de tempore cessationis. Sed olim iure antiquo plura Sacramenta, quàm hæc licebant tempore generalis interdicti, vt patet ex disputat. 4. de interdicto. sect. 2. dub. 3. & 4. ergo. Præterea: nam resolutio Salmanticensis clarè videtur supponere, quòd omnia Sacramenta, quæ licent tempore interdicti, licent etiam tempore cessationis, & idem dicit Couarru. §. 4. nu. 7. versi. vtcunque. & eodem modo loquuntur iuniores communiter; & Nauarr. num. 188. ait, quòd cessatio est quædam desistentia à diuinis Officiis, & ab administratione Sacramentorum. Præterea: nam resolutio Salmanticensis ponit limitationem quandam circa sepulturam, vt videbimus dubio seq. quæ tamen limitatio, secundùm omnes Doctores, non habet locum tempore interdicti. Hac ergo omissa sententia sit

Prima conclusio. Quamuis stando in rigore iuris non omnia Sacramenta liceant tempore cessationis, quæ licebant iure antiquo tempore interdicti, vt modò diximus; at verò secundùm benignam interpretationem Doctorum interpretantium mentem Ecclesiæ, ea omnia Sacramenta, quæ iure antiquo licebant tempore interdicti, licent modò tempore cessationis generalis, ita Couarru. loco modò citato.

citato. P. Henrique cap. 53. num. 4. Medina in Sum. lib. 1. capit. 11. §. 14. & resolutio Salmanticensis. Prima pars probatur: nam iure antiquo tempore interdicti licitè administrabatur sacramentum Baptismi, Cõfirmationis, Pœnitentiæ, & Eucharistiæ saltem infirmis, & matrimonij. Secunda verò pars probatur: nam tempore cessationis tantùm licebant Baptismus & Pœnitentia, vel etiam Eucharistia morientibus, vt patet ex dicto ca. non est vobis. Sed vt prima pars conclusionis amplius explicetur,

Sit secunda conclusio. Tempore cessationis hæc Sacramenta licent: primò Baptismus tam paruulis, quàm adultis etiam sanis, & Confirmatio, & possunt administrari cum solemnitate consueta, sine qua præcipit Ecclesia ne administrentur. Secundò, sacramentum Pœnitentiæ non solùm infirmis, sed etiam sanis, & sacramentum Eucharistiæ tantùm infirmis per modum viatici, quia intelligitur nomine Pœnitentiæ morientium, vt habetur ca. quod in te. de pœnit. & remissionibus. Et potest deferri publicè cum campanula, recitando priuatas orationes, non tamen diuinum Officium, & in reditu potest ostendi populo: nam hæc solemnitas pertinet ad reuerentiam huius sacramenti. Tertiò, sacramentum Matrimonij, non tamen benedictiones nuptiales, quia pertinent ad Officium diuinum; sacramentum autem Extremæ vnctionis non potest ministrari etiam clericis. In tota hac conclusione conueniunt resolutio Salmanticensis, & P. Henrique nu. 4. Quartò, non potest ministrari sacramentum Ordinis; ita P. Henrique, & quamuis resolutio Salmanticensis non meminit huius Sacramenti, tamen hoc reliquit pro constanti.

Tertia conclusio. Si cessatio perseueret in hebdomada sancta, potest Episcopus consecrare chrisma, & benedicere oleum. nam hæc necessaria sunt pro solemnitate Baptismi, & administratione Confirmationis. sic P. Henri. dicto num. 4.

DVBITATVR decimò, vtrùm ecclesiastica sepultura sit licita tempore cessationis generalis?

Prima conclusio. Laicis est prohibita, quamuis cessatio sit sola, & non coniuncta interdicto. Hæc est contra illum modernum citatum dubio præced. in princ. sed eam tenet P. Henrique n. 4. & est de mente resolutionis Salmanticensis, quæ conclusio est vera, quamuis laicus haberet priuilegium sepulturæ pro tempore interdicti. sic P. Henrique ex glossa, litera C, & patet ex dub. 5. Loquendo autem de clericis resolutio Salmanticensis cap. 8. tenet, esse licitam solis presbyteris, & in cæmeterio, non intra Ecclesiam, & hoc sequuntur aliqui iuniores.

Sit tamen secunda conclusio. Omnes clerici, etiam primæ tonsuræ, possunt sepeliri in loco sacro; sic P. Henrique num. 4. & aliqui viri docti, & videtur de mente Angeli ver. interdictum. 5. numer. 32. Armillæ num. 48. Tabienæ etiam ver. interdictum. 5. num. 12. §. 11. circa medium, & aliorum, inquantùm tenent, sepulturam licitam esse omnibus clericis etiam tempore interdicti specialis, & expressiùs Couarru. dicto num. 7. versi. hinc patet. vbi ait, cap. quod in te. de pœnit. & remissionibus. habere locum tempore cessationis. Et probatur conclusio: nam olim ante ca. alma mater. quando interdictum strictissimè seruabatur, etiam licebat sepultura clericis, per dictum cap. quod in te. Sed hoc c. generaliter loquitur de clericis, ergo non est restringendum ad solos presbyteros, quæ conclusio habet verum etiam in cessatione speciali. ita P. Henrique nu. 5. sicut etiam olim licebat sepultura tempore interdicti specialis, vt dixi disp. 4. de interdicto. sect. 3. dub. 2. concluf. 3. & tenent Doctores modò citati.

Sed notandum est, quòd ista conclusio debet intelligi, quòd sepeliantur cum silentio absque Officio funerali; sic P. Henrique dicto num. 4. & alij viri docti. Probatur: nam etiam post ca. alma mater. tempore cessationis cessandum est omninò à diuinis Officiis.

Tertia conclusio. Valdè probabile est, quòd licet clericos sepelire non solùm in cæmeterio, sed etiam intra Ecclesiam. Probatur: nam, vt diximus in materia de interdicto, loco modò citato, cap. quod in te. ideò dicit, *in cæmeterio*, quia olim sepeliebantur fideles in cæmeterio; intra Ecclesiam verò solùm sepeliebantur personæ insignes. Nec per hoc æquantur omninò tempus cessationis & interdicti, quia tempore cessationis non debent sepeliri cum Officio funerali, bene tamen tempore interdicti, vt diximus in 3. concl. citata.

DVBITATVR vndecimò, vtrùm cessatio semper habeat prædictos omnes effectus?

Conclusio negatiua, quando cessatio imponitur à Papa: nam potest illam restringere, statuendo quòd habeat aliquos effectus, & non omnes, secus verò quando imponitur ab inferiori, quia tenetur obseruare ius commune. ita P. Henri. dicto n. 5.

DISPVTATIO II.

De causa efficienti, id est, quis potest imponere cessationem, & de forma seruanda in imponenda ea, & de causa propter quam est imponenda.

De quo P. *Henri. c.* 54.

DVBITATVR primò, quis possit ponere cessationem?

Prima conclusio. Non solùm Papa, sed etiam Episcopi, & alij Prælati habentes potestatem Episcopalem possunt potestate ordinaria ponere cessationem. ita Soto dist. 22. q. 3. art. 2. conc. 3. Sylu. ver. cessatio. P. Henrique num. 1. Couarr. c. alma mater. p. 2. §. 2. numer. 6. vbi versi. ex quibus dicit esse communem, vnde idem potest capitulum sede vacante. ita Couar. & glossa cap. si Canonici. de offic. ordinarij. in 6. vbi ait, quòd Canonici sede vacante possunt iure ordinario ponere cessationem, quia succedunt in iurisdictionem ordinariam Episcopi. De Capitulo autem sede non vacante sit

Secunda conclusio, quòd non potest via ordinaria ponere cessationem; ita Soto sup. & P. Henri. nu. 1. Probatur à Soto ex c. irrefragabili. §. cæterùm. de offic. ordinarij. Sed non satis colligitur inde: nam tantùm dicitur, quòd si Canonici absque rationabili causa, maximè in contemptum Episcopi, cessauerint, Episcopus, si voluerit, celebret, vbi potiùs videtur insinuari, quòd existente causa cessare possunt. Efficaciùs probatur conclusio ex dicto c. si Canonici. vbi dicitur, quòd Canonici in aliquibus Ecclesiis de consuetudine vel ex priuilegio habent quòd cessent.

Ex quo satis colligitur, quòd non competit illis via ordinaria; & ratio est: nam Capitulum viuente Episcopo non habet iurisdictionem Episcopalem, vnde si cessatio ponatur à Capitulo non sede vacante non habente consuetudinem, nec priuilegium, erit nulla, vt pote imposita à non habente iurisdictionem, & vt talem debet Episcopus eam reuocare. P. Henri. num. 1. Aduerte tamen, quòd quando Capitulum haberet talem potestatem ex consuetudine obtenta, potest dici potestas ordinaria: nam consuetudo recepta æquiualet iuri, sed quando ex priuilegio, erit potestas ex commissione. Præterea nota quòd stante consuetudine potest Capitulum ponere cessationem contra Episcopum, vt habetur ex cap. quamuis. de offic. ordinarij. in 6. sed hoc non vt Iudex, quia inferior non potest exercere iurisdictionem contra superiorem, sed vt pars pro defensione sui iuris, ita Geminia. dicto capit. quamuis.

Tertia conclusio. Ex commissione omnes illi qui possunt excommunicare & interdicere, possunt cessare; vbi nota, quòd licèt Episcopus possit committere Capitulo, vt cesset, non tamen potest illi committere, vt in perpetuum possit cessare à via ordinaria, hoc enim à solo Papa concedi potest. ita Couarr. vers. hanc verò. vbi citat Archidiaconum.

Quarta conclusio. Non est in consuetudine, quòd Prælati Religionum ponant cessationem, nisi habeant iurisdictionem Episcopalem in aliquo oppido vel castro; idem diximus de interdicto locali, disput. 2. dub. 1. ergo consequenter idem dicendum est de cessatione.

Quinta conclusio. Nulla cessatio à diuinis est imposita ipso iure, sed decernitur à iudice; ita Soto sup. concl. 1. P. Henri. num. 1.

Sexta conclusio. Nullus Prælatus potest imponere cessationem extra proprium territorium; quæ conclusio est certissima, sicut de interdicto diximus disp. 2. dub. 2. Vtrùm verò excommunicatus, suspensus, vel interdictus possit imponere cessationem, idem dicendum est quod diximus de interdicto disp. 2. dub. 3.

DVBITATVR secundò, de forma seruanda in imponenda cessatione?

Respondetur, quòd propter multa inconuenientia, quæ sequuntur ex cessatione, decem conditiones requiruntur ad hoc vt legitimè fiat, quas Soto art. 3. concl. 3. P. Henri. c. 52. nu. 2. & alij Doctores colligunt ex cap. si Canonici. & cap. quamuis. de offic. ordinarij. in 6. quas maioris claritatis gratia diuerso ordine numerabo, quàm ab aliis numerantur.

Prima igitur conditio est, quòd qui ponit cessationem, habeat iurisdictionem, vt dictum est. Secunda, quòd causa sit rationabilis & iusta, & proportionata tantis incommodis, quæ affert cessatio, & debet constare euidenter, & non tantùm probabiliter de causa rationabili. ita Sylu. Soto & P. Henri. & habetur ex glossa dicto cap. quamuis. verbo, irrationabiliter. Tertia, quòd offensa propter quam ponitur cessatio, sit notoria & manifesta, scilicet manifestis & euidentibus rationibus demonstrata, & non tantùm probabilibus, imò Sylues. num. 1. Soto, & P. Henri. dicunt, nullam consuetudinem sufficere, quòd cessatio absque hac conditione sit valida, quia talis consuetudo esset in grauamen Ecclesiæ, & habetur ex cap. 1. de consuetud. vbi dicitur, non esse tolerandam consuetudinem, quæ est in grauamen Ecclesiæ. Quarta, quòd ante cessationem causa cessandi exprimatur instrumento publico sigillo munito, vel patentibus literis sigillo communitis. Quinta, quòd instrumentum vel literæ tradantur ei, contra quem cessatur. Sexta, vt ille moneatur, & requiratur, an velit ante cessationem emendare, & compensare offensam, quòd si voluerit, non potest poni cessatio. Septima, quòd posita cessatione intra mẽsem, vtraq; pars, scilicet cessans, & ille contra quem cessatur, nisi inter sese componant, iter arripiat per se, vel per procuratores ad Sedem Apostolicam, & se præsentent Pontifici, qui cognita causa remedium adhibeat.

Sed circa conditionem hanc tria sunt aduertenda. Primum, quòd etiam transacto mense, tenentur iter arripere. sic glossa verbo, iter. & cap. quamuis. & Archidiacon. apud Gemin. Secundum, quòd licèt sit pars cessans intra mensem non arripiat iter ad Pontificem, eo ipso cessatio non est seruanda post transactum illum mensem, dicto cap. quamuis. in fine. secus tamen est, si pars contra quam cessatur, nolit iter arripere: nam propter eius contumaciam non debet Ecclesia priuari iure cessandi. ita Soto, Sylues. ver. cessatio, & P. Henri. qui tamen in glossa lit. Z, falsò allegat Sotum pro contraria sententia, & deducitur ex ipso textu, qui tantùm ad hoc solùm fecit mentionem partis cessantis. Tertium, quòd etiam post arreptum iter ad Pontificem, & transacto mense, si partes inter se conueniant, poterit tolli cessatio. ita Soto sup. vbi refert nonnullos Iuristas Salmanticenses, qui conuenerunt ad tractandum de cessatione, & contendebant, non posse tolli cessationem inconsulto Papa, sed probatur sententia Soti (quam etiam tenet P. Henri.) nam intentio Papæ in cap. quamuis. fuit, prouidere bono Ecclesiæ, auferendo cessationem, etiam si partes inter se non conueniant, ergo secundùm eius mentem est, quòd in quocunque tempore, partes inter se conueniant,

ueniant, tollatur cessatio. Præterea nota, quòd quamuis causa cessationis perseueret, potest cessatio auferri per eum, à quo imposita est, sicut & aliæ censuræ.

Octaua conditio est, quòd vocentur omnes Canonici, etiam absentes, vt tractent de cessatione, sicut vocarentur ad electionem; & glossa dicto cap. quamuis: ait, quòd sunt vocandi omnes absentes de Prouincia, sicut vocandi sunt ad electionem, vt habetur ca. coram. de electione. Ex quo infert glossa verbo, euocandi, quòd si in aliqua Ecclesia esset consuetudo non vocandi absentes ad electionem, non requiritur, quòd vocentur ad cessationem: nam cap. quamuis. ait, quòd vocentur prout sunt vocandi pro negotio electionis. Sed hanc glossam limitat Lapus Abbas apud Gemin. si talis cõsuetudo erat ante hanc constitutionem, secus si incepisset posteà, quia tunc licèt valeat pro electione, non tamẽ pro cessatione. Nona, quòd de causa cessandi maturè & diligenter tractetur per ipsos Canonicos cessaturos. Decima, quòd maior pars Capituli concludat, esse cessandum; quæ conditio sub aliis verbis ponitur in textu, & in Doctoribus, nẽpe quòd deliberẽt de cessatione; & quòd debeat esse maior pars. Probat Soto, P. Henri. & alij: nam hæc conuocatio æquiparatur conuocationi, quæ fit ad electionem, sed electio fit per maiorem partem, cap. coram. de electione. ergo. Vnde ait Soto, quòd si alij concludant esse cessandum, alij non esse cessandum, & tertij indifferenter se habeant, tertia pars debet ambas superare.

Circa has conditiones aduertendum est primò, quòd septem priores sunt communes ad omnes ponentes cessationem, excepto Papa, qui non subditur iuri communi; & quamuis P. Henri. numer. 1. in glossa, litera S, videatur sentire, tertiam conditionem non requiri, quando Episcopus cessat, oppositum credo verum: nam si est ita necessaria in capitulo, vt consuetudo in contrarium non possit præualere, vt vidimus, quia esset in grauamen Ecclesiæ, ergo etiam requiritur in Episcopo. Præterea, id colligo ex dicto cap. quamuis. ibi, *vel quæ sine rationabili*, &c. Denique iam ipsemet Henri. num. 3. in glossa, litera A, quantùm ad pœnam extendit hanc constitutionem ad Episcopum, vt videbimus. Tres autem posteriores sunt necessariæ capitulo, siue Capitulum ponat cessationem ex consuetudine, siue ex priuilegio, & quamuis attento textu posset alicui videri, has tres conditiones non esse necessarias, quando Capitulum sede vacante cessat, quia glossa dicto cap. si Canonici. explicans illud verbum, *ex consuetudine, vel aliàs*, dicit aliàs, vt ex priuilegio & concessione Episcopi; nihilominùs oppositum obseruat consuetudo, & meritò, siquidem iurisdictio est diuisa in omnibus Canonicis. Præterea: nam c. quamuis. dicit, *Capitulum, vel conuentus*. Capitulum autem significat maiorem partem, vt ait Geminian. dicto cap. si Canonici. in prine.

Sed DVBITATVR, vtrùm istæ tres conditiones sint necessariæ, quando Capitulum cessat ad mandatum Superioris?

Respondetur, quòd si tale mandatum proueniat ex statuto Concilij Prouincialis, non sunt necessariæ, vt patet ex Clement. 1. de sententia excommunicat. Si verò mandatum sit hominis, vt Episcopi mandantis Capitulo, quòd inducat cessationem, sunt necessariæ, quia mandatum Episcopi intelligitur seruato mandato Papæ: at verò si Episcopus mandet, quòd Canonici seruent cessationem ab ipso Episcopo impositam, non sunt necessariæ: nam cap. quamuis. loquitur, quando Capitulum fert sententiam cessationis, & cùm sit pœnale, non est extendendum. Hæc doctrina est Geminiani, Philippi Franc. Anchatani, dicto cap. quamuis. qui citant Archidiaco. & Ioan. Andream.

Secundò notandum est, quòd omnes decem conditiones sunt ita necessariæ, quando Capitulum cessat, quòd si non seruentur, cessatio erit nulla, ita Gemin. cap. quamuis. in principio. & glossa in fine.

ne, & deducitur ex ipso textu in fine.

DVBITATVR tertiò, vtrùm sit aliqua pœna contra non seruantes prædictas decem conditiones in cessatione imponenda?

Prima conclusio. Si qui cessant sunt Canonici, tenentur restituere Ecclesiæ, in qua cessatum est, omnia, quæ de prouentibus eiusdem Ecclesiæ tempore cessationis perceperunt, & illa, quæ pro eodem tempore debentur, non possunt percipere, & vltra hoc parti, contra quam cessauerint, tenentur de damnis, & iniuriis satisfacere; sic Geminian. dicto cap. si Canonici. §. sciuri. vbi ait, quòd licèt Canonici cessent ex causa iusta, si non seruant prædictam formam, tenentur restituere; quod probat ex ipso textu, qui loquitur alternatiuè, si hoc prætermisso cessauerint, vel causa non fuerit canonica.

Secunda conclusio. Si qui cessat est Episcopus, & non cessat ex causa notoria legitima secundùm iura, tenetur restituere distributiones Canonicis, qui parati erant assistere diuinis officiis, & aliis Clericis stipendia promissa, & officiis, quæ parati erant dicere, nisi cessatione impedirentur; ita Sylvest. verb. cessatio. num. 3. Henrique cap. 52. num. 3. nam licèt dictum cap. si Canonici. solùm loquatur de Canonicis, tamen Geminian. ibi, quem Sylvest. P. Henrique, & alij sequuntur, extendunt illud ad alios imponentes cessationem sine causa.

Tertia conclusio. Si cessatio fuit legitima, tunc ille, pro cuius culpa est imposita, tenetur ad omne damnum, & interesse ipsis Canonicis, & aliis Clericis, & insuper damnandus est ad certam pecuniam arbitrio Superioris, qua compensetur debitum obsequium diuini cultus Ecclesiæ subtractum, quæ pecunia conuertenda est in cultum diuinum; ita Doctores citati, & cap. si Canonici. Vbi nota, illud verbum *condemnetur* (quod habetur in dicto cap.) referendum esse ad quantitatem Ecclesiæ applicandam, quam proinde ante sententiam Iudicis non tenetur soluere, non tamen est referendum ad interesse restituendum Canonicis, quia non est pœna, sed recompensatio damni iniustè illati, vnde in conscientia tenetur etiam ante sententiam illud restituere; sic aliqui Theologi.

DISPVTATIO III.

De causa excusante, & de pœna contra violantes cessationem, & de relaxatione.

DVBITATVR primò, vtrùm aliquæ causæ excusent à cessatione?

Prima conclusio. Excusat ignorantia, metus grauis, & aliæ causæ, de quibus dictum est disput. 4. de interdicto, dub. 5. videte P. Henrique cap. 53. Loquendo autem de appellatione, Panormitan. & Villadiego relati à Couarr. §. 2. num. 1. dicunt, quòd non suspendit cessationem, quia est quid facti, secùs est in interdicto, quia est quid iuris, & consequenter quòd appellatio non excusat à cessatione.

Secunda conclusio. Quamuis cessatio à diuinis post appellationem executioni tradita non potest suspendi; nam id, quod factum est, infectum fieri nequit; at verò quantùm ad iuris effectus suspenditur per appellationem, sicut interdictum, & excommunicatio; ita Couarr. & Henrique cap. 52. num. 1. in glossa, litera O.

DVBITATVR secundò, de pœna contra violantes cessationem, & specialiter quærimus de pœna excommunicationis, & irregularitatis?

Prima conclusio. Peccatum est mortale, violare cessationem, quoniam est inobedientia in re graui.

Secunda conclusio. Religiosi non seruantes cessationem generalem, quam obseruat Ecclesia matrix, vel Parochia talis loci, incurrunt maiorem excommunicationem. Hæc conclusio habetur Clement. 1. de sentent. excomm. & traditur à Soto in art. 2. Sylvest. verb. cessatio. num. 5. & ab aliis, & à Nauarr. quamuis obscurè, dicente,

dicente, quòd cessatio generalis, & interdictum generale æquiparantur quantùm ad rigorem dictæ Clem. excipiuntur tamen ab hac pœna Mendicantes ex peculiari priuilegio. sic Henri. cap. 54. num. 3. & quamuis Palud. putet hanc conclusionem solùm habere locum in cessatione imposita à Capitulo, nihilominùs dicendum est, quòd habet verum in quacunque cessatione generali, siue ponatur à Capitulo, siue à Concilio, siue ab Episcopo, siue à delegato. ita Couar. p. 2. §. 2. num. 3. P. Henri. & alij.

Tertia conclusio. Violantes cessationem particularem non incurrunt excommunicationem; ita Doctores citati: nam dicta Clem. tantùm loquitur de cessatione generali. Loquendo de irregularitate Soto, Nauarr. Couarru. P. Henri. & alij, communiter fatentur, quòd violantes cessationem specialem non incurrunt irregularitatem; vnde solùm est difficultas de violantibus cessationem generalem: multi enim Doctores relati à Couarru. tenent, quòd incurrunt irregularitatem: nam dicta Clem. æquiparat interdictum generale & cessationem generalem, sed violantes interdictum generale incurrunt irregularitatem, ergo. Sit tamen

Quarta conclusio, quòd non incurrunt irregularitatem; ita Sylvest. sup. Soto & Nauarr. in Sum. Hispa. numer. 188. Henri. sup. & alij relati à Couarru. In quam sententiam ipse magis propendit, sed non omninò firmiter, & hæc est communior. Probatur primò, quia prædicta Clement. solùm loquitur cõtra regulares exemptos. Secundò, quoniam irregularitas non incurritur nisi in casibus à iure expressis, sed iura solùm exprimunt de eo, qui celebrat violando eam, quæ est propriè censura, ergo. Ad fundamentum contrariorum respondetur, quòd interdictum generale & cessatio generalis non æquiparãtur quoad omnia in illa Clem. sed tantùm quoad excommunicationem.

DVBITATVR tertiò de relaxatione.

Prima conclusio. Quos suprà diximus, via ordinaria vel ex delegatione posse relaxare interdictum, eosdem proportionaliter dicemus posse relaxare cessationem; vide P. Henri. cap. 54. num. 2.

Secunda conclusio. Cessatio posita ad certum tempus, illo adimpleto cessat sine alia relaxatione.

DVBITATVR vltimò, vtrùm quicunque Prælatus potens ponere cessationem generalem, possit eam suspendere ad aliquod tempus quantùm ad aliquem effectum, & quantùm ad aliquas personas, & hoc durante ipsa cessatione?

Conclusio. Ille qui posuit cessationem, potest eam omninò (scilicet quoad omnes effectus) suspendere ad tempus; nullus tamen inferior Papæ potest suspendere quoad vnum effectum, & relinquere illam in suo vigore quoad alios effectus: nam cessatio habet suos effectus connexos, sicut excommunicatio. Præterea: nam tempore cessationis nullum permittitur diuinum Officium. c. non est vobis. de sponsalibus. Hanc conclusionem tenet P. Henri. num. 2. & aliqui Magistri.

Hinc sequitur, quòd non potest Prælatus inferior Papæ concedere alicui, quòd occultè celebret, vel audiat Officia durante cessatione; posset tamen ad tempus tollere omninò cessationem, & eius loco ponere interdictum, & tunc poterit concedere prædictam licentiam, quia effectus interdicti non sunt connexi. Et hæc de hac materia.

SEPTIMA

SEPTIMA ET VLTIMA PARS.

De irregularitate.

De hac materia (quæ valdè necessaria est Clericis & Confessariis, & habentibus ecclesiasticam iurisdictionem in foro exteriori, & frequentissima in praxi) non tractant Scholastici in aliquo certo loco; sed sparsim, prout sese offert occasio; agunt tamen de illa ex professo Antoni. 3.p.tit. 28. Couar. in Clem. si furiosus. de homicidio, & ibi alij Doctores, & aliqui Iurisperiti fecerunt speciales tractatus, vt Villadiego, & Maiolus, & Plouius, cuius tractatum inuenietis in 9.volum. Tractatuum diuersorum Doctorum; tractat etiam P.Henri.li.14. per totum. & Summistæ ver.irregularitas. & Nauarr.c.27.àn.191. vsque ad 250. Quam materiam in decem diuidam disputationes. Prima erit, de natura, diuisione, & causa efficienti irregularitatis. Secunda, de occasione, propter quam incurritur, & de effectibus, & de causis excusantib. Tertia, de irregularitate proueniente ex defectu corporis. Quarta, de proueniente ex defectu animæ. Quinta, de proueniente ex homicidio iusto, quæ dicitur ex defectu perfectæ lenitatis. Sexta, de proueniente ex homicidio iniusto. Septima, de proueniente ex iteratione Baptismi. Octaua, de proueniente ex iteratione matrimonij, quæ dicitur bigamia. Nona, de proueniente ex mala receptione vel vsu Ordinum. Decima, de dispensatione in communi: quamuis enim maioris claritatis gratia, in singulis speciebus dicam, quis possit in illis dispensare, tamen in vltima disputatione dicam aliqua de dispensatione in communi.

DISPVTATIO I.

De natura diuisione, & causa efficienti irregularitatis.

DVBITATVR primò, quid sit irregularitas? Et imprimis supponendum est, quòd irregularitas dicitur ab *i*, quod est, *sine*, & *regula*; vnde idem est quod sine regula, vel contra regulam.

Sit conclusio. Irregularitas est impedimentum canonicum ex facto vel defectu proueniens, quo directè impeditur aliquis Ordines suscipere, & in illis ministrare. Quæ definitio communiter traditur à Iuristis, & deducitur ex cap. significasti. el 1. de homicidio.

Impedimentum ponitur loco generis, & non ponitur pœna, quia irregularitas aliquando incurritur absque vlla culpa propria nec aliena. Dicitur, *canonicum*, quia

nulla irregularitas inducta est iure diuino, sed tantùm humano, vt tradit Innocentius cap. ad audientiam. de homicidio. & Doctores communiter: nam licèt in lege veteri erant aliquæ irregularitates, tamen lex illa iam cessauit. Dicitur, *ex facto vel defectu proueniens*, ad denotandum duplex genus irregularitatis, scilicet ex facto culpabili, vel ex defectu significationis. Illa particula, *quo directè impeditur*, &c. ponitur loco differentiæ: per eam enim differt irregularitas ab excommunicatione, suspensione, & interdicto, quæ licèt impediãt receptionem vel vsum Ordinum, non tamen directè quatenus Ordines sunt, sed sub aliis rationibus, verbi gratia, excommunicatio priuat receptione & vsu Ordinum, quatenus est quædam communicatio cum fidelibus, suspensio priuat vsu Ordinum, quatenus Ordo est quædam potestas ecclesiastica; receptione autẽ Ordinum non priuat directè, interdictum aliquando priuat vsu Ordinum, nõ vt Ordo est, sed vt est quoddam Officium diuinum, sola irregularitas priuat receptione vel vsu Ordinum, quatenus Ordo est, & inquantùm per illum consecrantur Ecclesiæ ministri. Potest etiam assignari altera differẽtia inter irregularitatem & suspensionem, quòd suspensio directè & per se primò priuat vsu Ordinum, irregularitas autem quasi secundariò: nam primariò priuat receptione: sicut enim qui vult causam, vult consequenter effectũ per se ex illa sequutũ, ita etiam qui aufert causam, consequenter aufert effectum per se sequutum ex illa, vnde irregularitas, quæ per se primò priuat receptione Ordinum, secundariò priuat vsu, & quando non potest habere primarium effectum ex parte subiecti, & quia iam susceperat ordines, habet secundarium. Solùm excipit ius vnũ casum, in quo irregularitas priuat receptione Ordinum, & tamen non priuat vsu, vt tradit P. Henrique cap. 8. nu. 4. Nauarr. nu. 191. & nos videbimus infrà, disput. 3.

Hinc sequitur, malè dixisse Sylvest. ver. irregularitas. n. 2. quòd irregularitas includit suspensionẽ, & addit aliquid: quãuis. n. irregularitas & suspensio cõueniant materialiter in hoc effectu priuandi vsu Ordinum, formaliter tamen non conueniunt: nam suspensio priuat primariò, irregularitas autem secundariò, vt dictũ est: sequitur præterea, irregularitatem non esse censuram, vt latiùs diximus p. 1. de Censuris. dub. 5.

DVBITATVR secundò, quotuplex sit irregularitas? Imprimis notandum est, quòd irregularitas non diuiditur in eam, quæ est ab homine, & quæ est à canone, quia nulla est ab homine, vt infrà dicemus, nec etiam diuiditur in exteriorem & mentalem, quia nulla est mentalis, vt posteà dicemus.

Hoc supposito, sit conclusio, diuisio irregularitatis ab omnibus recepta hæc est. Irregularitas est duplex, vna quæ prouenit ex culpa, vt ex iniusto homicidio, vel ex mala receptione, vel vsu Ordinum, &c. altera, quæ non prouenit ex culpa, sed ex indecentia, vel defectu significationis, vt in eo, qui est corpore vitiatus, vel in Iudice, qui iustè occidit malefactorem.

DVBITATVR tertiò, de causa efficienti irregularitatis, scilicet à quo imponatur?

Conclusio. Irregularitas non imponitur ab homine, sed tantùm à iure; ita Doctores communiter. Vnde Soto d. 22. q. 3. art. 1. colum. 1. dicit, quòd non potest Iudex imponere irregularitatem, nisi sit in iure decreta. Et probatur: nam irregularitas non incurritur nisi in casibus à iure expressis. cap. is qui. de sententia excommunicat. in 6. Dictum autem Soti non est intelligendum de Papa, qui cùm non subiiciatur iuri communi, potest tanquàm Iudex infligere pœnam irregularitatis.

DISPVTATIO II.

De occasione, propter quam incurritur irregularitas, & de effectibus eius, & de causis excusantibus ab irregularitate.

ET in præsenti solùm tractabo de causa in communi; in speciali verò agemus in sequentibus.

DVBITA

DVBITATVR primò vtrùm ad incurrendam irregularitatem quæ incurritur propter aliquem actum hominis, sufficiat actus interior vel requiratur exterior?

Prima conclusio. Non sufficit interior, ita Nauarr. cap. 27. num. 192. P. Henriq. capit. 3. numer. 2. Couarru. Clem. si furiosus. p. 1. in initio. numer. 4. Cordub. lib. 5. de indulgentiis, quæst. 43. dub. 2. Itaque qui habet propositum efficax occidendi, vel recipiendi Ordines in excommunicatione, si non exeat in opus exterius, non incurrit irregularitatem. Probatur: nam Ecclesia non iudicat de actibus interioribus, vt latiùs dixi 1. p. de Censuris in communi. dub. 10. Hinc sequitur, non dari mentalem irregularitatem, vt tenent Doctores citati.

Sed contrà: nam in quibusdam Bullis & priuilegiis conceditur facultas absoluendi & dispensandi ab irregularitate mentali. Respondetur cum Couarru. & Cordub. locis citatis, quòd ibi dicitur mentalis illa, quæ licèt proueniat ab actu exteriori, tamen non potest in iudicio probari.

Secunda conclusio. Non sufficit actus exterior, nisi sit consummatus, verbi gratia, volo occidere, & percutio, sed non occido, nec mutilo, non incurro irregularitatem. ita Villadiego cap. 6. num. 20. imò hoc habet verum, quamuis vulneratus non moriatur per miraculum. ita Soto lib. 5. de iust. quæst. 1. art. 9. Medina in Sum. lib. 1. cap. 10. §. 10. de quo dicemus infrà.

DVBITATVR secundò, vtrùm irregularitas imposita ob crimen incurratur, quando delictum exterius est occultum? Quod aliis verbis quæri solet, vtrùm ad incurrendam irregularitatem sufficiat, quòd crimen sit per se manifestum, quamuis per accidens sit occultum?

Pro quo notandum est, quòd omnis actus exterior dicitur per se manifestus, quia quantùm est de se, cognoscibilis est per aliquem sensum, & potest subdi humano iudicio; quòd verò sit occultum, & à nemine cognoscatur, est per accidens.

Hanc quæstionem latè tractat Cordub. lib. 1. Quæstionarij, quæst. 35. Castro li. 1. de lege pœnali. c. vlt. concl. 3. Couarr. p. 2. §. 3. num. 4.

De qua est prima sententia, quòd non incurrit irregularitatem, præterquàm in homicidio. ita glossa cap. vltim. de temporibus ordina. quam multi Doctores sequuntur. Hanc sententiam limitat Castro, pro quo supponit, quòd actus exterior potest esse occultus dupliciter. Primo modo, occultus omninò, quia scilicet à nemine scitur, secundo modo, penè occultus, quia licèt sciatur ab vno, vel à paucis, ita vt in iudicio possit probari, tamen nec est probatus in iudicio, nec est notorius. Hoc supposito, dicit sententiam glossæ veram esse, excepto crimine homicidij, quando est occultum primo modo: tunc enim ait, non inducere irregularitatem, bene tamen si sit occultum secundo modo. Ex quo infert Castro, quòd si filius presbyteri & coniugatæ sciat per relationem parentum se non esse legitimum, & quòd hoc est occultum, poterit sine dispensatione ordinari. Quæ sententia probatur primò: nam propter peccatum occultum primo modo, homo non est obnoxius pœnis ecclesiasticis, nec Ecclesiæ. c. Christiana. 32. quæst. 5. vbi dicitur, quòd latentia peccata vindictam non habent. Confirmatur ex cap. ex tenore. de temporibus ordinat. vbi sine vlla exceptione homicidij dicitur, quòd propter peccatum occultum dignum etiam degradatione, non debet criminosus occultus prohiberi, sed suaderi, vt post pœnitentiam vtatur ordine suscepto, quo contentus ad superiores non ascendat. Secundo modo, Ecclesia non indiget reconciliatione, si violatio sit occulta, vt vidimus disputat. 7. de interdicto, ergo per vitium occultum nullus fit irregularis, nec indiget dispensatione. Tertio modo, quoniam aliàs sæpe necessarium esset manifestare proprium crimen occultum.

Secunda sententia est in contrarium. Sed quoniam hæc quæstio solet confusè tractari à quibusdam, vt distinctè procedamus, supponendum est, quòd prout attinet ad præsens, duplex est delictorum genus, vnum eorum, quæ solùm ratione enormitatis & notorietatis inducunt irregularitatem; alterum eorum, quibus imposita est in iure irregularitas, non requisita hac conditione enormitatis, vel publicitatis.

Quo supposito, sit prima conclusio. In delictis primi generis certum est, quòd si occulta sint, non inducunt irregularitatem. Quæ autem sint huiusmodi delicta, disp. 4. dicemus.

Secunda conclusio. Si delicta sint secundi generis, quantumuis occulta sint, inducunt irregularitatem etiam post peractam pœnitentiam; verbi gratia, si sacerdos occultè rebaptizet infantem, vel si excommunicatus occultè celebret, incurrit irregularitatem, & sic de aliis. Hæc conclusio est de mente secundæ opinionis, quam tenet Panormita. dicto cap. ex tenore. Et quod ibi vocat legem conscientiæ, intelligit forum interius, in quo solùm habet locum præsens quæstio. Eandem conclusionem tenet Couarru. sup. qui citat alios, & Cordub. sup. in opinio. 5. & in Sum. quæst. 41. Nauar. cap. 27. numer. 194. vbi ait, oppositam sententiam esse contra communem vsum Ecclesiæ hactenus obseruatum; tenet etiam P. Henri. cap. 3. nu. 2. Et probatur primò, quòd delictum possit probari, solùm requiritur in ordine ad sententiam Iudicis, sed ad incurrendas censuras impositas in iure ipso facto non requiritur sententia Iudicis, ergo quamuis delictum sit occultum, potest irregularitas incurri. Secundò, Ecclesia inhabilitat ad matrimonium per aliqua crimina etiam occulta, ergo similiter potest inhabilitare ad Ordines. Tertiò, probatur efficaciter ex Concilio Trident. sess. 14. Decreto de reformat. capit. 7. vbi dicitur, quòd homicidium etiam occultum inhabilitat ad Ordines, propter quam decisionem Castro in editio. 2. mutauit sententiam quantùm ad homicidium, sed si vidisset decisionem in sess. 24. ca. 6. factam per duos ferè annos post 7. sessio. generaliter mutasset sententiam: nam in hoc c. 6. datur Episcopis facultas dispensandi in omnibus irregularitatibus ex delicto occulto prouenientibus, excepto homicidio voluntario; vnde iam nunc nostra sententia tenenda est tanquàm omninò certa. Ex qua sequitur, falsum esse corollarium Castri de occulto illegitimo, vt rectè tradit Couarr. n. citato. versi. hinc illud. vbi citat alios.

Ad primum in contrarium respondetur, omnia iura, quæ dicunt peccata occulta nõ habere vindictam, nec subdi iudicio Ecclesiæ, intelligenda esse de pœna per sententiam Iudicis, in foro exteriori, vbi formatur processus, non de pœna quæ incurritur in foro conscientiæ absq; sentẽtia Iudicis.

Ad confirmationem respondetur cum Couarru. in illo textu, sermonem esse de peccato enormi digno quidem depositione, cui tamen nulla sit in iure annexa irregularitas, & de illo dicitur, quòd cùm occultum sit, non debet ille clericus deponi, nec prohiberi, vt ad altiores ordines ascendat, suadendus tamen est, propter decentiam, vt contentus sit ordine suscepto, & illius vsu.

Ad secundum, concesso antecedenti negatur consequentia: nam sicut Ecclesia nõ consecratur, quasi ipsa sit susceptiua sanctitatis, vt ait D. Thom. 3. p. q. 83. ar. 3. sed consecratur propter ipsos homines, vt concipiant maiorem reuerentiam ex sanctitate loci, ita etiam reconciliatur non propter ipsam Ecclesiam, sed propter peccatores erudiendos, vt discant se propter peccatum indignos effectos Dei hospitio. Quæ ratio cessat, quando violatio est occulta, at verò per pœnam irregularitatis infligitur punitio ipsius hominis delinquentis, quæ etiam in occultis locum habet.

Ad tertium respondetur, quòd quando probabiliter timetur manifestatio criminis occulti ex non ministrando in ordine vel beneficio iam obtento, licitè poterit ministrare

strare præmissa pœnitentia delicti, vt tradit Nauarr. num. 239. & Cordub. in Sum. q. 142. non tamen poterit superiores Ordines suscipere, quia ex non receptione nulla sequitur criminis reuelatio regulariter loquendo, cùm possint assignari aliæ causæ, & quando non daretur alia, sufficeret dicere, se nolle pro tunc ordinari. ita Cord. q. citata. circa finem.

DVBITATVR tertiò, vtrùm ad incurrendam irregularitatem impositam propter peccatum, requiratur peccatum mortale?

Aliqui tenent, requiri mortale. ita Soto lib. 5. de iust. q. 1. ar. 9. circa finem. Nauarr. num. 249. dicto 7. & hoc sequuntur multi recentiores: nam grauissima pœna est, quòd aliquis omninò priuetur vsu Ordinum, quos habet, nec possit ad altiores promoueri.

Contrarium tenet Caieta. in Sum. ver. irregularitas. & 2. 2. q. 64. ar. 8. Sylvest. ver. ebrietas. 3. 4. Armil. ver. irregularitas. num. 14. Cordub. lib. 2. Quæstionarij. q. 26. Probatur, quia minor excommunicatio non est minor pœna, quàm irregularitas, siquidem priuat receptione omnium Sacramentorum, & tamè incurritur pro veniali.

Prima conclusio. Ad incurrendam irregularitatem, quæ imponitur tanquàm pœna, necessariò requiritur aliqua culpa. Est cõmunis, ita Soto sup. Castro lib. 2. de lege pœnali. c. 14. coclusio 1. Couarr. p. 2. §. 4. & alij. Probatur: nam pœna præsupponit culpam. Confirmatur ex c. 2. de constitutionibus, res quæ culpa caret, in damnum vocari non conuenit.

Secunda conclusio. Supremus Iudex, scilicet Papa, bene potest imponere irregularitatem pro culpa veniali, & nullus alius Iudex, quia nullus præter Papam potest imponere irregularitatem, vt vidimus disput. 1. dub. 3.

Tertia conclusio. De facto nulla irregularitas est imposita in iure, nisi pro culpa mortali; hanc damus Soto & sequacibus, & credo eos nihil aliud intendere. Eandem conclusionem tenet P. Henri. c. 3. n. 1. Hinc sequitur, quòd eo ipso quòd aliquid prohibetur in iure sub pœna irregularitatis, talis prohibitio obligat sub mortali.

DVBITATVR quartò, vtrùm pro peccato merè præterito, quod nulla præcessit monitio, possit irregularitas imponi? Quod est quærere, vtrùm requiratur contumacia, sicut requiritur ad excommunicationem?

Conclusio, quòd nõ requiritur cõtumacia, vnde posset Papa infligere irregularitatem pro peccato merè præterito. Probatur, quia iure diuino non requiritur contumacia ad irregularitatem, sicut requiritur ad excommunicationem, in illis verbis Matt. 18. *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi tanquàm Ethnicus.* Hinc sequitur, quòd ad incurrendam irregularitatem non requiritur, quòd homo sciat impositam esse in iure pro tali vel tali peccato, vt infrà dicemus.

DVBITATVR quintò, vtrùm in dubio sit homo iudicandus irregularis?

Et ratio dubitandi est: nam ex vna parte extat c. is qui. de sententia excommuni. in 6. vbi dicitur, irregularitatem non incurri nisi in casibus à iure expressis. Ex altera verò parte est caput, ad audientiam. & caput, significasti. el 2. de homicidio. in quibus dicitur, quòd existente dubio, an aliquis sit homicida, censendus est irregularis, & vt talis tenetur se gerere in omnibus. Et in vtroque textu assignatur eadem ratio, scilicet quòd in dubiis tutior pars est eligenda, vt pote quæ excludit omne periculum errandi.

Hanc quæstionem sic resoluunt Sylu. ver. homicidium. 1. q. 1. part. 2. Purtormita. Nauar. capit. 27. num. 193. & Cordub. lib. 1. quæst. q. 13. 4. tertius modus, & alij citati à Couar. Clemens furiosus. in initio. nume. 3. quòd in foro exteriori in dubio non est quis iudicandus irregularis, quoniam in hoc foro Iudex potius debet declinare in fauorem rei, ex l. absentes. ff. de pœnis. vbi habetur, quòd Iudici potius competit absoluere nocentem, quàm condemnare innocentem; in foro autem interiori in dubio iudicandus est irregula-

ris, atque adeò intelligunt c.is qui.quoad forum exterius.cap.verò ad audientiam.& c.significasti.intelligunt quoad forum interius.Addit Nauar.cum Villadiego,quòd per forum interius non solùm intelligitur forum pœnitentiale,sed etiam forum consilij.

Verùm hanc resolutionem non approbat ipse Nauarr.c.si quis autem. de pœnit. num.35.nec Couarru.supr.tanquam parum consonam præallegatis textibus,qui æqualiter procedunt in foro exteriori,ac in interiori;& quòd cap.is qui. loquatur etiam de foro interiori, patet:nam dicit, quòd non incurrit laqueum irregularitatis, ergo non loquitur tantùm de foro exteriori. Quòd verò alia duo capita præcipuè cap. ad audientiam. loquantur non solùm de foro interiori, sed etiam de exteriori, patet primò: nam præcipit Episcopo, vt sacerdotem illum habeat pro irregulari,& ministrare prohibeat. Secundò: nam ratio tradita in vtroque textu, scilicet vt pars tutior, minùs tutè præferatur, vt sic periculum peccandi euitetur, procedit in vtroque foro.

Aliter ergo respondetur ad quæstionem cum Couarru.& Nauarro, dicto cap. si quis autem. supponendo, quòd dubium potest esse vel iuris, vel facti. Exemplum primi, vt siveretur in dubium vtrùm per iterationem consecrationis Eucharistię incurratur irregularitas ipso iure? Exemplum secundi, vt quando certum est, irregularitatem impositam esse in iure pro aliquo actu, verbi gratia, pro homicidio, & tamen dubium est, vtrùm Petrus occiderit, vel non.

Quo supposito, sit prima conclusio. Quando est dubium iuris, nullus est censendus irregularis nec in foro exteriori, nec in interiori; at verò si sit dubium facti, iudicandus est irregularis in vtroque foro; sic Couarru.& Nauarr, dicto cap si quis autem. P. Henrique cap. 3.num.3.& 4.& iuniores communiter. Prima pars conclusionis probatur ex dicto cap. is qui.quod quidem loquitur in dubio iuris, vt manifestè patet ex ipso textu. Secunda verò pars probatur ex c. ad audientiam. & cap. significasti. quæ quidem loquuntur in dubio facti, vt facilè patebit intuenti. Et per hoc conciliata manent prædicta Capitula.

Ex dictis sequitur, quòd qui fuit causa aborsus, & dubitat vtrùm fœtus erat animatus, nempe post quadragesimum diem à conceptione, debet se reputare irregularem, vel si dubitat, vtrùm ipse dederit vulnus lethale. Sic P.Henriq num.4.citato in glossa, litera G.

Sequitur secundò, quòd si Medicus vel Chirurgus dubitat vtrùm eius culpa, vel negligentia infirmus aliquis fuerit mortuus, vel deformatus,& velit ordinari, debet petere dispensationem; sic P.Henriq.c. 11.num.1. in glossa, litera A.

Sed circa id quod diximus de dubio iuris, aduertendum est primò, quòd licèt ad hoc, vt aliquis censeatur irregularis, requiratur, talem irregularitatem esse expressam in iure, hoc tamen non tollit, quin possint esse opiniones vtrinque probabiles circa hoc quod est, aliquam irregularitatem haberi expresè in iure vel non; vnde quilibet, etiam ipse delinquens, poterit se conformare opinioni, cui maluerit, vt iuxta illam iudicaret, seipsum vel alium esse, aut non esse irregularem.

Circa id autem quod diximus de dubio facti, notandum est secundò, quòd dubium debet esse practicum & probabile: nam si fuerit tantùm ex scrupulo & coniectura non multùm probabili, non sufficit, vt quis debeat se reputare irregulare. ita Medina in Sum. lib.1.c.10.§.11.& aliqui Magistri. Probatur:nam in materia morali quando est sermo de dubio, intelligitur de dubio practico.

Sed adhuc supereſt difficultas, vtrùm secunda pars prædictæ conclusionis tantùm habeat verum in irregularitatibus prouenientibus ex homicidio, an in omnibus irregularitatibus?

Quidam Doctores tenent, quòd in omnibus. Itaque in quacumque materia habente

bente annexam irregularitem, si sit dubium facti, reputandus est homo irregularis.

Sit tamen secunda conclusio. In aliis casibus præter homicidium si vtrinque sit æquale dubium facti, & pro vtraque parte habeat homo rationes æquè probabiles, non tenetur se reputare irregularem, sed poterit adhærere alteri parti, scilicet quòd non sit irregularis; sic tenent aliqui viri docti, & est de mente P. Henrique numer. 4. citato. Imò verò secundam partem primæ conclusionis limitat, quòd solùm habeat locum in homicidio, quando quis dabat operam illicitæ rei, sed ego id non approbo: nam dictum cap. ad audientiam. loquitur in casu, quo quis castigabat quendam de familia sua (quod de se licitum est) imò ipsemet videtur sibi contrarius, vt patet in secundo corollario sup. posito de Medico & Chirurgo dubitante. Hæc secunda conclusio est valdè vtilis ad praxim, & explicatur, si clericus sciens se esse excommunicatum celebret, certum est, quòd manet irregularis, si probabiliter ignorat se esse excommunicatum, non est irregularis, cap. Apostolicæ. de clerico excommunicato ministrante. Sit tamen casus, quòd dubitat, vtrùm habuerit ignorantiam probabilem, vel non, tunc dicimus, quòd si habeat rationes probabiles, se habuisse ignorantiam probabilem, potest eligere hanc partem, & reputare liberum ab irregularitate. Probatur primò, iste aliàs habebat legitimum ius ad celebrandum, ergo in dubio non tenetur abstinere, nec se reputare irregularem: nam melior est conditio possidentis. Confirmatur, quamuis obligatio voti sit de iure diuino, tamen qui dubitat se vouisse, non tenetur ad votum, quia est in possessione suæ libertatis, vt tradunt Soto lib. 7. de iust. 3. art. 2. notab. 2. Medi. in Sum. lib. 1. cap. 14. §. 7. & communiter Theologi, ergo similiter in præsenti non tenetur se reputare irregularem.

Secundò probatur. Nullus censendus est irregularis, nisi in casibus à iure expressis, sed extra casum homicidij non exprimitur in iure, quòd in dubio sit aliquis irregularis, ergo. Ratio autem quare hoc fuit specialiter decretum in casu homicidij est: nam homicidium est maximè odiosum clericis in iure, propter magnam indecentiam quam habet, & ideò homicidium voluntarium excipitur in omnibus facultatibus concessis ad dispensandum in irregularitatibus.

Hanc autem secundam conclusionem amplector cum hac moderatione, quòd ante factam diligentiam abstineat; at verò si post factam diligentiam perseueret dubium, deponat illud practicè, & celebret, ita P. Henrique num. 4. citato. & allegat P. Polancum in suo Directorio. fol. 86. ex qua decisione infert multa corollaria, de quibus non infrà dicemus.

Sed contra hanc conclusionem arguitur primò: nam ratio assignata in cap. ad audientiam. & capit. significasti. scilicet quòd tutior pars est eligenda, in aliis etiam irregularitatibus locum habet. Respondetur primò cum Nauarr. cap. si quis autem. loco citato. quòd illa Regula, *In dubio tutior pars est eligenda*, intelligitur de dubio propriè, nempe quod excludit omnem assensum: nam aliàs exponeret se periculo errandi, non autem de dubio largè sumpto, quod scilicet admittit assensum opinatiuum, quamuis cum formidine alterius partis: tunc enim non tenetur homo sequi tutiorem partem, siquidem potest tutam sequi, conformando se rationi probabili. Secundò respondetur, quòd hæc regula intelligitur, quando ex hoc, quòd aliquis sequatur partem tutiorem, non sequitur ille graue damnum. Verbi gratia, petit aliquis à me fundum, quem ego bona fide possideo, & ex tunc incipio dubitare, vtrum sit meus, non teneor reddere, licèt hoc esset tutius, & quoniam ex hoc quòd aliquis abstineret à celebratione solùm ratione dubij, sequeretur illi graue detrimentum regulariter loquendo, ideò non tenetur abstinere.

Secundò arguitur ex cap. illud. de clerico

rico excommunicato miniſtrante. vbi decernitur, Epiſcopum celebrantem cum dubio excommunicationis, incidiſſe in pœnas iuris; quarum vna eſt irregularitas, ergo non ſolùm in caſu homicidij cenſendus eſt homo irregularis, quando eſt dubium facti. Reſpondetur, Epiſcopum illum non habuiſſe dubium probabile, quòd non erat excommunicatus: nam ſua ignorantia erat craſſa & ſupina, quæ ſicut non excuſat à peccato, ita nec ab irregularitate, & quòd illa ignorantia non fuerit probabilis, patet: nam vt conſtat ex ipſo textu, illi conſtabat de excommunicatione per famam publicam, cum qua ſtare non poteſt ignorantia probabilis ipſius iuris.

DVBITATVR ſextò; de effectibus irregularitatis?

Prima concluſio. Primarius effectus irregularitatis eſt, reddere hominem inhabilem ad ſuſcipiendos ordines. Quæ concluſio conſtat ex definitione irregularitatis tradita ſup. & nota, quòd nec primam tonſuram poteſt recipere, vt tradit Nauar. lib. 1. Conſiliorum, conſ. 25. de homicidio. Dixi, *inhabilem*, non *incapacem*: nam incapax dicitur, qui non habet potentiam receptiuam, & talis incapacitas eſt de iure diuino in fœmina, quæ licèt attentet recipere Ordines, nihil recipiet; at verò irregularis eſt inhabilis iure poſitiuo, quia ſi ordinetur, peccabit quidem, tamen verum recipiet Ordinem.

Secunda concluſio. Secundarius effectus eſt, priuare vſu Ordinum, hæc etiam patet ex eadem definitione ſuprà tradita, vnde non poteſt ſolemniter baptizare. ita Didacus Perez ad Villadiego c. 2. num. 11.

Tertia concluſio. Irregularitas conſequenter reddit inhabilem ad recipiendum beneficium curatum, vel ſimplex; ita vt collatio ſit nulla ipſo iure. ſic Couarru. reg. peccatum p. 2. §. 8. num. 6. & cap. alma mater. p. 1. §. 7. num. 1. Nauar. cap. 25. num. 132. dicto 11. & cap. 27. num. 249. dicto 6. P. Henrique cap. 2. numer. 5. Probatur ex c. [illegible] cap. ſi celebrat. de clerico excommunicato miniſtrante. Et ratione probatur, Beneficium datur propter officium, c. fin. de reſcriptis. ſed irregularis eſt inhabilis ad officium, ergo. Hæc concluſio partim eſt contra Sylueſtrum ver. excommunicatio. 4. num. 4. vbi ait, collationem beneficij factam irregulari validam eſſe; & conſequenter quòd talis ſolùm indiget diſpenſatione ſuper irregularitatem, non tamen noua collatione beneficij, & in hoc dicit eſſe differentiam inter excommunicationem & irregularitatem, quòd inhabilitas ad beneficium in excommunicato eſt pœna peccati; at verò in irregulari poteſt eſſe ſine culpa. Verùm hæc ratio nihil valet: nam ex quo inhabilis eſt ad ordines, quamuis ſine culpa conſequenter eſt inhabilis ad beneficium. Hinc ſequitur, quòd tenetur iſte dimittere beneficium, vel diligenter procurare nouam collationem, vt ait Nauar. cap. 27. num. 294. §. ad quæſitum. & iuxta hoc temperandum eſt, quod ait lib. 5. Conſiliorum, conſ. 2. de homicidio. vbi obligat, ad dimittendum beneficium tanquam quid alienum, & præterea tenetur iſte reſtituere fructus anteà perceptos, vt in ſimili habetur ex Nauar. cap. 27. numer. 21. Et quòd prædicta concluſio intelligatur etiam de beneficio ſimplici, apertè colligitur ex Nauarr. cap. 27. numer. 246. & tenent multi viri docti, quæ concluſio habet locum, licèt irregularitas ſit occulta, tenet Nauarr. & Couarru.

Sed circa has duas concluſiones eſt aduertendum, quòd ſecunda eſt limitanda, ne procedat ex irregularitate prouenient ex defectu corporali ſine propria culpa, vt ſi diaconus abſque propria culpa amittit digitos manus, iuxta cap. 2. de clerico ægrotante. & erit irregularis ad ſacerdotium, poteſt tamen in ſuſceptis Ordinibus miniſtrare, vt Euangelium canere. ita Nauar. dicto 6. iam citato, vbi id optimè probat. Ex quo ſequitur tertiam concluſionem etiam eſſe limitandam, ne procedat in beneficio non requirente maiorem vſum illo, ad quem non eſt impe-

ditus: nam bene poterit obtinere tale beneficium. Præterea limitant quidam Theologi, quòd solùm procedat in beneficio requirente vsum ordinis, non tamen in beneficio omninò simplici, qualia sunt præstimonia, quæ solùm exigunt Officij diuini recitationem, quæ licitè præstari potest ab irregulari; sed Naua. lib. 5. Consiliorum, cons. 25. de homicidio. dicit, quòd de stylo Curiæ non potest irregularis obtinere pensionem ecclesiasticam, plus quàm beneficium simplex.

Quarta conclusio. Licèt irregularis sit inhabilis ad recipiendum de nouo beneficium, vt dictum est, non tamen est ipso iure priuatus beneficiis obtentis ante irregularitatem. sic Innocent. communiter receptus in cap. cùm nostris. de concessione præbendæ. Couar. in cap. alma mater. loco citato. & Clem. si furiosus. p. 2. §. 3. numer. 5. in fine Nauar. cap. 27. num. 249. dicto 5. Didacus Perez ad Villadiego cap. 1. numer. 20 P. Henrique dicto numer. 5. & probatur ex cap. clerici. ne clerici vel monachi. licèt enim ibi tantùm fiat mentio de irregularitate proueniente ex homicidio, tamen eadem, imò fortior ratio currit in reliquis irregularitatibus, quæ sunt facilioris dispensationis; aduertite tamen cum P. Henrique, quòd irregularis propter homicidium est dignus, vt priuetur beneficio antèà obtento.

Hinc sequitur, quòd beneficiarius incurrens irregularitatem licitè potest retinere beneficium, donec priuetur per Iudicem. ita Nauarr. lib. 5. Consiliorum, cons. 17. de homicidio. Quod intelligo, cum Cordub. q. 41. & lib. 1. q. 36. dummodò non sit in mora petendi dispensationem; & sic intelligo doctrinam Felini citati à Couar. 2. p. de sponsalibus. c. 6. §. 8. nu. 7. in fine dicentis, delinquentem non posse tuta conscientia retinere beneficium, cui est annexus ordo sacer, quem ipse propter crimen exercere non potest: intelligo enim in moroso petendi dispensationem.

Quinta conclusio. Irregularitas non priuat actu canendi in choro, nec aliis actibus, qui non sunt proprij alicui Ordini. ita Nauar. lib. 5. Consiliorum, cons. 3. de homicidio. num. 4.

Sexta conclusio. Irregularitas non priuat receptione reliquorum Sacramentorum, præter Ordinem. sic P. Henrique c. 1. nu. 2. Vnde bene potest absolui à peccato, propter quod incursa est irregularitas, manente ipsa irregularitate. sic Naua. cap. 27. num. 191. vbi citat Calderinum. Hæc patet ex prima conclusione.

Septima conclusio. Irregularitas non priuat vsu exterioris iurisdictionis Ecclesiasticæ. Hæc etiam patet ex prima & secunda conclusione. Dixi, *exterioris*: nam secus est de interiori: non enim poterit absoluere à peccatis, quia est actus Ordinis, vnde si sit nominatim denunciatus, non valebit absolutio. ita colligo ex Nauarr. cap. 9. nu. 6. in simili, de Confessione facta sacerdoti suspenso & interdicto. Hæc autem doctrina limitanda est, nisi talis sacerdos absque sua culpa factus sit inhabilis ad vnum vsum Ordinis sacerdotalis, & non ad alium, vt qui sine culpa amisit digitos: iste enim licèt fiat inhabilis ad sacrificandum, non tamen ad absoluendum; vt probat Nauar. c. 27. num. 200. & 249. dicto 6. ex cap. 2. de corpore vitiatis.

DVBITATVR septimò, de causis excusantibus ab incurrenda irregularitate?

Prima conclusio. Ignorantia crassa non excusat. Verbi gratia, ignorat quis per ignorantiam crassam, quòd est excommunicatus, vel quòd est prohibitum in iure, excommunicatum recipere, vel exercerè Ordines, & qui ordinatur, fit irregularis. ita Villadiego cap. 2. Nauar. cap. 27. numer. 241. & est text. cap. Apostolicæ. de clerico excommunicato ministrante.

Secunda conclusio. Ignorantia, quæ excusat à peccato, consequenter excusat ab irregularitate imposita contra tale peccatum; at verò si quis committat illud peccatum, quamuis inuincibiliter ignoret impositam esse in iure pœnam irregularitatis, non excusatur ab irregularitate. Primam partem tradit Villadiego cap. 2. num. 19.

Nota

num.19.P.Henrique,cap.3.numer.6.& alij multi, contra nonnullos relatos in cap. 5. de excommunicat.disput.5. dub. 10. Verbi gratia, ignorat quis inuincibiliter se esse excommunicatum, vel esse prohibitum in iure,quòd excommunicatus ordinetur, & recipit vel exercet Ordines, non fit irregularis. Probatur ex dicto cap. Apostolicæ. Secundam verò partem tenet Soto d. 3.q.vnica.art.9.circa finem.Cordub. lib.2. Quæstionarij. q. 25.versic. item 2.P.Henrique,lib.2.de Baptis.cap.4.nu. 3. Ledesm. 1.p.4.q.7.art.9.dub.2.in fine.& alij citati à nobis dicto dub. 10. Vnde si aliquis scit se esse excommunicatum,& quòd est illi prohibitum recipere, vel exercere Ordines, quamuis ignoret, impositam esse pœnam irregularitatis, fit irregularis, si Ordines recipiat vel exerceat.Nec obstat Panormit. & quidam alij dicentes, quòd ad incurrendam irregularitatem requiritur dolus: nam accipiunt dolum pro culpa lata, vt dicemus disput.6.

Tertia conclusio. Totalis defectus vsus rationis, qualis est in furioso, in infante, vel dormiente, excusat ab irregularitate, quæ est pœna.ita P.Henriq. cap.3.num. 1. litera D,& nu.7. eadem litera; vnde requiritur, quòd actus sit plenè voluntarius & humanus.Probatur:nam de facto nulla irregularitas est imposita in iure pro peccato veniali,de quo plura dicemus disp.6.

Quinta conclusio.Metus grauis excusat ab irregularitate,vt si excommunicatus celebret ad vitandam mortem vel grauem infamiam.ita P.Henriq.cap.3.nume.6.& lib. 13.cap.21.numer.3.& lib.8.de Euchar.cap. 47.numer.4.& in glossa,litera P,citat multos,& est de mente Nauarri,cap.27. num. 239. Verum est,quòd in aliquo casu non excusat,vt inquit P.Henrique,cap.12.num. 9.& nos dicemus disput.5. sect.2.dub.12. concl.2.

Sexta conclusio. Protestatio excusat accusatorem,vt dicemus disput.5.

Septima conclusio. Appellatio in præsenti non habet locum, quia irregularitas non imponitur à Iudice, sed à iure; quòd si Papa vt Iudex infligeret irregularitatem, idem dicendum est, quòd diximus de excõmunicatione,suspensione,& interdicto.

DISPVTATIO III.

De irregularitate proueniente ex defectu corporis.

De hoc tractant Anton. 3. p. tit. 28. cap. 5. Soto dist.25. q. 1. art. 3. Couarru. Clem. de homicidio. p. 1. in initio. Nauar. cap. 27. num. 198. Sylvest. verb. corpore vitiatus. Bernardus Diaz in sua Practica,cap.17.& P.Henr. cap.8.

DVBITATVR primò,quando contingat hæc irregularitas?

Respondetur, de hoc duæ regulæ sunt constituendæ. Prima,quando defectus,vel vitium corporis est tale, quòd reddat hominem inhabilem ad celebrandũ, vel quòd non possit celebrare sine notabili deformitate,aut horrore,reddit illum irregularem, siue contingat ex culpa,siue non.sic Anton. c.5.citato.Nauar.nu.200. Couarru. sup.& alij.Prima pars colligitur ex cap. 2. de corpore vitiatis. Secunda verò ex cap.penult. & vlt.eod.tit. Et vtraque pars habetur ex cap. 2. de clerico ægrotante. Exemplum primi,vt quando caret pollicibus, quibus hostia eleuatur,& frangitur;exemplum secundi,vt quando caret naso.ita D. Thom. in additionibus.q.39.art.5.Soto dicto art.3. concl.2.P.Henriq.num.3.& alij.

Hinc sequitur primò, quòd qui caret vno oculo,est irregularis. ita Sylvest. sup. q.6.P.Henriq.num.2. & probatur ex cap.si Euangelica. 5.c. distin. at verò si habeat vtrumque oculum integrum, quamuis careat visu dextri,non est irregularis.

Sed quid,si careat visu sinistri, qui dicitur oculus canonis? Respondetur, si ita videat dextro, vt sine indecora conuersione

sione faciei ad populum possit legere canonem (ad quod etiam iuuabit adaptatio Missalis) non est irregularis, aliàs erit. ita Nauar. num. 199.

Sequitur secundò, quòd macula in oculo, quæ non causat notabilem deformitatem, non facit irregularem. ita Nauarr. nu. 199. Sylu. sup. quæst. 6. Sotus dicta concl. 2. Couarru. sup. & habetur ex cap. cùm de tua. de corpore vitiatis. & de hac intelligendus est Menochius li. 2. Arbitrariarum. centuria 3. casu 226. in fine, vbi ait, quòd habere maculam in oculo, est modicum vitium. De eo qui caret auriculis P. Henriq. nu. 3. dicit, non esse irregularem. Contrarium tenet Nauarr. num. 222. §. 7. & lib. 5. Consiliorum, cons. 75. de excommunica. quia licèt non sit membrum, inducit tamen deformitatem in parte adeò patenti, & hoc videtur mihi probabilius, nisi fortè capillis occultaret; non tamen erit irregularis, si tantùm careat parte auriculæ. ita Nauarr. cons. citato.

Sequitur tertiò, quòd habens duo capita vel duas manus est irregularis, non tamen qui habet sex digitos in manu. Sic P. Henriq. num. 3. in fine. vbi addit, quòd huic sine periculo irregularitatis posset præscindi digitus superfluus, idem tenet Villadiego c. 11. nec etiam est irregularis, qui in infirmitate perdidit digitos pedum. ita Nauarr. li. 5. Consiliorum, cons. 65. de excommunicat. nec etiam qui sine propria culpa perdidit membrum virile. sic Villadiego c. citato. versicul. sed quæro. P. Henriq. nu. 1. Errat autem vulgus dicens, quòd vt iste possit celebrare secum virilia sicca, vel in puluerem redacta. ita Nauarr. nu. 200. §. 5. præterea irregularis est, ita claudicans, vt baculus vel pes ligneus in altari sit necessarius, aliàs non. sic Anton. supr. Villadiego cap. 11. Nauarr. num. 199. §. 3. P. Henri. num. 1. & glossa cap. si quis in infirmitate. 55. d. & glossa capit. nullus Episcopus. verbo, cum baculo. de consecrat. d. 5. Secunda regula, defectus alicuius membri si contingat propria culpa, facit irregularem, quamuis non afferat insignem deformitatem, vtpote quia membrum est occultum, nec auferat vsum Ordinis, verbi gratia, si aliquis abscindat sibi virilia; hæc habetur capite, si quis absciderit. & cap. seq. 55. dist. quæ regula intelligitur, siue ipsemet sibi absciderit, siue alius, eius iussu vel rogatu; vel in pœnam delicti, vt si maritus abscindat virilia clerico inuento cum vxore, vel si Iudex abscindat. ita Nauarr. num. 198. Couar. sup. num. 6. & Bernard. Diaz sup. nu. 8. vel etiamsi sibi absciderit ad refrænandam libidinem, putans se placere Deo. sic P. Henriq. num. 4. Nauar. num. 218. & est tex. c. hi qui. 55. dist. & c. significauit. de corpore vitiatis. Ratio est, quia non minùs peccat, qui membrum sibi abscindit quàm alteri, sed abscindens alteri manet irregularis, vt inf. dicemus, ergo.

Sed petis, vtrùm qui sibi ex indignatione præscidit partem digiti, maneat irregularis? Quæ difficultas solùm procedit, quãdo talis abscissio nec impedit celebrationem, nec inducit notabilem deformitatem: aliàs enim iam constat ex prima regula, hunc esse irregularem.

Soto li. 5. de iust. q. 2. arti. 1. in fine, tenet non esse irregularem: probat, si præscindat alteri, non manet irregularis, ergo etiam præscindens sibi.

Contraria tamen sententia vera est, & communis; tenet Innocent. ca. significauit. de corpore vitiatis. Anton. ca. 5. Villadiego c. 11. versic. in hac tamen materia. Nau. nu. 198. P. Henri. num. 4. & alij, & habetur cap. qui partem. 55. dist. Sed respõdet Soto, textum solùm loqui, quando talis abscissio impedit celebrationem. Verùm hæc expositio est violenta. Primò: nam textus ait, cuiuslibet digiti; secundò: nam statim inquit textus, quòd si aliquo casu contigerit, non repellitur, sed si abscissio esset tanta, vt omninò prohiberet celebrationem, vel induceret notabilem deformitatem, procul dubiò repelleretur, ergo; tertiò: nam subdit textus, quòd in primo casu voluntas est vindicanda.

Præterea probo ex cap. significauit. de corpore vitiatis. vbi dicitur, eum qui sibi

amputauit virilia, esse irregularem, idem dicitur ca. si quis. 55. dist. & cap. Eunuchus. de eo qui se castrauit. Castratus autem propriè dicitur ille, cui deficiunt testiculi, qui non sunt membrum; verùm hæc doctrina limitanda est, vt solùm procedat, quando est notorium, quòd per indignationem sibi abscideri, aliàs non. sic Ang. verb. corpore vitiatus. num. 6. Nauarr. & P. Henriq. locis citatis. & Couarru. num. 6. Et quamuis Villadiego & alij citati à Couarru. videantur eandem limitationem admittere in eo, qui sibi ex indignatione abscidit integrum membrum, sed occultum; oppositum tamen tenet P. Henriq. in glossa, litera A, Couarru. sup. & alij, quod ego verius credo: nam si quis abscindat alteri membrum virile, fit irregularis, quia est verè membrum, & hoc, quamuis abscissio sit occulta, iuxta dicta disputat. 2. dub. 2. ergo etiam erit irregularis, qui sibi abscidit, quamuis abscissio sit occulta, & fauet cap. significauit, de corpore vitiatis. Et aduerte, quòd hæc irregularitas propriè loquendo non est ob vitium corporis, sed ex iniusta mutilatione membri. Ad argumentum autem Soti negatur consequentia: nam cùm sit grauius delictum, abscindere sibi partem membri, quàm alteri, ideò seuerius punitur ab Ecclesia.

Sed circa prædictas regulas est aduertendum, quòd quando defectus corporalis impedit vel simpliciter, vel non sine notabili deformitate ab vno vsu Ordinum, & non ab alio, efficit irregularem ad illum vsum, non ad alium; verbi gratia, si sacerdoti auferatur pollex, non potest dicere Missam, poterit tamen absoluere à peccatis, & canere Euangelium. sic Anto. cap. 5. & alij, & habetur cap. 2. de clerico ægrotante. quod intelligendum est cum duplici limitatione. Prima, quando talis defectus contingit absque propria culpa. ita Nauar. num. 200. §. 7. Villadiego cap. 11. in fine. Et probatur: Si quis per indignationem abscindat sibi partem digiti, quamuis non impediat celebrationem, fit irregularis, vt dictum est, ergo manet irregularis quantùm ad omnem vsum Ordinum, quia non est maior ratio de vno quàm de alio.

Secunda limitatio est quoad iam ordinatos: nam si non est ordinatus, non est sine dispensatione ordinandus etiam illo ordine, ad cuius vsum non est impeditus. ita Sylvest. verb. corpore vitiatus. num. 3. Angel. num. 5. Anton. capit. 5. citato. Nauarr. §. citato. P. Henriq. nu. 4. & ratio est, quia iste non habet ius quæsitum, & addit P. Henriq. cum isto non esse dispensandum sine graui causa.

Ex dictis sequitur vnum corollarium valdè notandum, posse contingere, quòd quis efficiat alium irregularem, & ipse non maneat irregularis. ita colligo ex Nauarr. num. 207. & ex P. Henriq. num. 3. & numer. 4. in glossa, litera F, tenet Couarru. Clement. si furiosus. p. 3. in initio. numer. 8. corollar. 4. & è contrà potest contingere. Exemplum primi, vt qui præscindit alteri nasum vel pollicem, non manet irregularis, quia nasus vel pollex non est membrum, & tamen præscissus manet irregularis. ita P. Henriq. num. 3. idem est in eo, qui impressit alteri cicatrices in vultu, cum magna deformitate. Exemplum secundi, vt qui præscindit alteri membrum virile: iste enim fit irregularis, quia mutilauit membrum, & tamen sic præscissus (si contingat absque propria culpa) non fit irregularis. cap. ex parte. el 1. de corpore vitiatis.

Vltimò, notate cum Sylvest. verb. corpore vitiatus. qu. 6. & cum Archidiacono, quòd gibbosus non repellitur ab Ordinibus suscipiendis, nisi sit nimia deformitas vel debilitas.

DVBITATVR secundò, ad quem pertinet iudicare, vtrùm defectus corporis impediat celebrationem, vel inducat notabilem deformitatem?

Concluso, quòd pertinet ad Episcopum, non ad Confessarium, est communis, & habetur ex c. 2. de corpore vitiatis.

Vtrùm verò in Religiosis exemptis pertineat ad suum Prælatum? Sylvest. ver. corpore

corpore vitiatus.quæst.1. negat, & Nauar. num.200.& P.Henriq.num.1. Probat Sylueſt. quoniam artifex inferior nunquàm iudicat de materia, circa quam artifex ſuperior operatur. Contrarium tenet Ang. verb.corpore vitiatus. num.5. Armil.nu.3. Tabien. eod. numer. in fine. & hoc iudico probabilius,imò idem tenet P. Henrique, num.2.litera A,ſuimet oblitus ; nec obſtat dictum cap.2. nam ibi fuit rogatus Pontifex de macula cuiuſdam electi in Epiſcopum,& ideò remittit iudicium ad Archiepiſcopum.

Dvbitatvr tertiò, quis poſſit in hac irregularitate diſpenſare? Couar.ſup.num. 7.Nauarr.num. 200. vniuerſaliter & indiſtinctè affirmant,quòd ſolus Papa ; ſed diſtinctione opus eſt.

Vnde ſit prima concluſio. Quando hæc irregularitas inducit notabilem deformitatem,ſolus Papa diſpenſare poteſt, imò & ipſe nunquàm ſolet diſpenſare , vt teſtatur Ioannes Staphileus citatus à Couar. nam talis deformitas generat ſcandalum in populo Chriſtiano. Ad hoc pertinet dictum Sylueſtri verb. corpore vitiatus. q.6. Ang. num.2. Tabienæ eodem num.quòd habens maculam in oculo, quæ generat deformitatem, non poteſt promoueri , niſi diſpenſetur per Papam , vel fiat Religioſus, quia tunc faciliùs promouetur,& omnes citant Innocentium in cap. cùm tua. de corpore vitiatis. Prætereà dicit Angel.num.1.Sylu. quæſt. vlt. Tabien. & Roſella eodem verbo,quòd Epiſcopus poteſt diſpenſare cum Religioſo , vt celebret cum pede ligneo, imò Roſella & Maiolus lib. 1. cap. 18. dicunt, quòd ſi tale impedimentum aduenit Religioſo iam ordinato,poteſt ſuus Prælatus diſpenſare.

Ex hac concluſione ſequitur à fortiori dicendum eſſe, quòd ſolus Papa diſpenſat in irregularitate proueniente ex defectu membri neceſſarij ad celebrationem , vt ſi eſſet truncatus manibus : nam iſte iure diuino eſt inhabilis ad ſacerdotium ; vnde, vt bene inquit Soto concluſ. 2. citata, talis irregularitas eſt de iure diuino & naturali. Verum eſt, quòd ſi Papa de facto diſpenſaret , & talis ordinaretur , verum reciperet Ordinem : ſed dicimus , Papam non poſſe, quia nullam ob cauſam poterit licitè diſpenſare. Cum ſacerdote autem totaliter cæco,bene poſſet Papa diſpenſare. Vnde Soto diſt.9 qu.1.artic.2.teſtatur,ſe vidiſſe Trenti Epiſcopum cæcum quotidie celebrantem.Loquendo autem de defectu qui nec impedit celebrationem, nec inducit notabilem deformitatem,ſit

Secunda concluſio. In irregularitate proueniente ex abſciſſione membri facta culpa propria diſpenſat Epiſcopus in quibuſdam caſibus.Primò,quando tale membrum eſt occultum ; ita Sylueſt.ſup.q. 10. Ang.num.1.P.Henriq.num. 4. in gloſſa,litera A, & quamuis Angelus & Sylueſt.excipiant illum , qui ſeipſum caſtrauit , nihilominùs etiam cum hoc (quando id fecit, putans obſequium ſe præſtare Deo) poteſt diſpenſare, vt vtatur Ordine ſuſcepto citra miniſterium altaris. ita ipſe Sylueſt. verbo, homicidium.3. quæſt.3. particul.1. gloſſa capit. ſignificauit. de corpore vitiat. & habetur ex eodem textu. Secundò , poteſt Epiſcopus diſpenſare , quando abſciſſio facta eſt à caſu etiam ex propria culpa, occulta tamen , vt ſi dabat operam illicitæ rei. Probatur ex Trident. ſeſſ. 24.cap.6. de reformat. vbi conceditur Epiſcopis facultas diſpenſandi ſuper omnibus irregularitatibus ex delicto occulto prouenientibus, excepto homicidio voluntario. Et idem dico , quando alicui abſciſſum eſt membrum ab inimicis in pœnam ſui delicti, dummodò delictum ſit occultum. Probatur : nam Concilium excipit homicidium directè voluntarium:hæc autem mutilatio ſolùm eſt voluntaria in cauſa:& aduertite, hoc habere locum , quamuis publicè conſtet de abſciſſione, dummodò delictum ſit occultum,& eſt ſimile:nam Epiſcopus poteſt diſpenſare cum irregulari, qui exiſtens excommunicatus celebrauit publicè , ſi excommunicatio erat occulta, vt infrà dicemus.

Dvbitatvr quartò , vtrùm morbus

aliquis inducat irregularitatem?

Prima concluſio, quòd ille induciſt, qui cauſat horrorem & deformitatem, vt lepra, paralyſis faciens manus tremulas, & morbus Gallicus, ſecundùm Maiolum, quod intelligendum eſt, quando foris apparent vulnera, & generant horrorem. ſic intelligendus eſt P. Henriq. cap. 8. num. 8. item etiam energumenus ſiue obſeſſus à dæmone, de quo Nauarr. cap. 25. nume. 72. & cap. 27. num. 203. & lib. 1. Conſiliorum, conſ. 5. de ætate & qualit. ordinandorum. Anton. cap. 5. circa finem. Sylueſt. verbo, corpore vitiatus. quæſt. 10. & P. Henrique. num. 8. in gloſſa, litera F, tenent, non eſſe ordinandum, quamuis liberetur. idem tenet Nauar. cap. 25. num. citato, de verſo in inſaniam vel furorem. Probat ex cap. maritum. 33. diſt. quem textum intelligit in eo, qui alienatur à mente per læſionem permanentem organi ſenſuum, non autem in eo, qui per paſſionem tranſeuntem ex vi morbi, vulneris, iræ vel paſſionis breuis. idem tenet P. Henriq. num. 9. & in gloſſa, litera O, & aliqui viri docti. At verò ſi ſit iam promotus, & liberetur, poterit miniſtrare in ſuſceptis, imò licèt non liberetur omninò à furore vel morbo caduco, ſi rarò cadat in terram, nec euomat ſpumas, poterit celebrare adiuncto ſocio præparato ad perficiendam Miſſam, ſi fortè corripiatur morbo. ſic Anton. & Nauar. cap. 27. num. 203. & P. Henriq. num. 8. excipit Nauar. obſeſſum à dæmone, qui nunquàm debet celebrare, idem tenet Villadiego cap. 15. dicit tamen P. Henrique in gloſſa citata, litera F, quòd ſi ſit liber à dæmone, poteſt Epiſcopus diſpenſare, vt celebret.

Dixi, *ſi rarò cadat*: nam qui habet frequentem furorem, vel inſaniam, quamuis habeat lucida interualla, non eſt permittendus celebrare. ſic Henriq. num. 9.

Præterea notandum eſt, quòd tempus ad iudicandum vtrùm conualuerit ab huiuſmodi morbis, eſt ſpatium vnius anni. cap. communiter. 33. diſt. Anton. ſup. dicit, & bene, quòd relinquatur arbitrio Iudicis, vel viri prudentis, attentis circunſtantiis, & fauet ipſe textus.

Secunda concluſio. In his impedimentis ſolus Papa diſpenſat cum non ordinatis, & vt refert P. Henriq. numer. 9. quidam Regulares poſſunt diſpenſare cum Religioſo, vt liberatus à furia vel furore ordinetur.

DVBITATVR quintò, de hermaphrodito? Reſpondetur, ſi magis polleat ſexu fœmineo, non eſt capax characteris, ſicut nec fœmina; ſi verò magis polleat virili, erit quidem capax characteris, non tamen debet ordinari, quia eſt monſtrum, cum quo ſolus Papa diſpenſat. ita Nauarr. num. 203. addit P. Henrique, num. 6. quòd etiam ſe us Papa diſpenſat, vt miniſtret in ſuſceptis. ſi æquè polleat vtroque ſexu, etiam iudicatur incapax, ita vt ordinatio non valeat. ita Nauar. lib. 1. Conſiliorum, conſ. 8. de ætat. & qualit. ordin. & citat Sylu. verb. hermaphroditus.

DVBITATVR ſextò, de illegitimis? Et imprimis ſupponendum eſt, illum eſſe illegitimum, qui procreatus eſt extra legitimum matrimonium. Verum eſt, quòd licèt matrimonium fuerit nullum propter aliquod impedimentum, tamen ſi ambo parentes, vel vnus eorum ignorabant tale impedimentum, & contraxerunt in facie Eccleſiæ, filij ſuſcepti ex tali matrimonio ſunt legitimi. capit. cùm inter. qui filij ſint legitimi. iuncto capit. cùm inhibitio. de clandeſtina deſponſat. Dixi, *& contraxerunt in facie Eccleſiæ:* nam aliàs non erunt legitimi, quia talis ignorantia eſt craſſa, atque adeò ceſſat bona fides; quod verum eſt, licèt modò poſt Trident. contrahant coram Parocho & teſtibus, ſi prætermittantur denunciationes. ita P. Henri. lib. 11. de matrimonio. cap. 20. num. 1. Quo ſuppoſito, ſit

Prima concluſio. Quicunque illegitimus eſt irregularis. cap. 1. & cap. finali. de filiis preſbyterorum. & hoc, quamuis occultus ſit, & communiter reputatus pro legitimo. ita Villadiego cap. 10. Nauar. nu. 201. Couarru. Clemen. ſi furioſus. p. 2. §. 3. num. 4.

num.4.vers. hinc illud. & P. Henri. cap.8. num.10.contra Castrum, lib.1. de lege pœnali,c.vlt.concl.3. dicentem, illegitimitatem occultam non nocere,quod sup.impugnatum est.

Secunda conclusio.In hac irregularitate solus Papa dispensat ad sacros Ordines & ad dignitatem,& beneficium curatum, ad minores verò & vnum beneficium simplex potest etiam Episcopus dispensare;sic Nauar.num.101.& habetur cap.1.& 2.de filiis presbyterorum. Episcopus cum suo familiari triennali illegitimo non potest dispensare ad minores Ordines. Naua. consil. 27.de temp.ordi.

Circa quam conclusionem notandum est primò,quòd eò erit difficilior dispensatio, quò grauior fuerit copula parētum,vt si fuit ex incestu intra secundum gradum, vel ex sacrilegio presbyteri. sic P. Henri. num.10.

Secundò notandum est, quòd Capitulum sede vacante potest dispensare sicut Episcopus. ita Nauar.lib. 1. Consiliorum, consil.31.de temporibus ordinationum.

Tertiò notandum est, quòd Episcopus etiam potest dispensare ad Canonicatum Ecclesiæ Cathedralis. sic Innocen. receptus communiter, vt tradit Nauar. lib.1. Consiliorum, consil. 3. de ætate & qualit. ordinandorum. ad 5. quæstion. quia talis Canonicatus non est dignitas nec personatus, sed beneficium simplex. ita Nau. consil.43.de præbend. numer. 1. per text. in cap. statutum. in princip. de rescript. in 6. Verum est,quòd quamuis dispenset ad beneficium simplex, non videtur dispensare ad Canonicatum,nisi id exprimat. sic Nauar. lib. 1. Consiliorum, consil. 2. de filiis presbyterorum, & consil. 3. citato, de qualit. ordinandorum. vbi allegat Francum c. 1.de filiis presbyterorum.num.6. qui colligit hoc ex quadam decisione Rotæ. Et quod diximus, Episcopum posse dispensare ad Canonicatum Ecclesiæ Cathedralis,P.Henri.numer.10.in fine,& aliqui viri docti dicunt non habere locum post Trid. sess.24.cap.12. quia iam requirit Ordinem sacrum, sed Episcopus non potest dispensare ad Ordinem sacrum, ergo. Poterit nihilominùs dispensare. ad Canonicatum Ecclesiæ Collegialis. sic Henri. litera X.

Quartò notandum est, quòd dispensatus ad minores Ordines per Episcopum, non manet dispensatus ad beneficium simplex. ita Nauar. consil. 3. citato. de qualit. ordinandorum. ad 5. qu. sicut nec etiam dispēsatus per Papam ad sacerdotium,manet dispensatus ad beneficium curatum,ita P.Henri.numer.10. litera C,& Nau. consil. 3. de filiis presbyter. §. 5. vbi citat alios, imò nec ad simplex. Sic aliqui viri docti,& videtur de mente Sylvest. ver.beneficium, 3.quæst.10.numer. 14. Tabien.eodem ver. numer.16. & Couarru. Clement si furiosus.p. 1. in initio. corollario 5. qui dicunt, dispensatum ad sacros Ordines virtute talis dispensationis non manere dispensatum ad aliquod beneficium. Probant, quia dispensatio strictè est intelligenda, ita vt solùm extendatur ad id, super quo dispensatur; quæ ratio æquè probat de beneficio curato & simplici. Videtur etiam de mente Nauar.consil.3. citato 3 de filiis presbyterorum,vers. 2.colligitur, Verum est, quòd dispensatus à Papa quoad omnes Ordines,& beneficia etiam curata, & dignitates,censetur dispensatus ad Episcopatum.sic P.Henri.num.10.litera C, vbi allegat Sylvestrum & Iurisperitos Salmanticæ consultos. Sed inquiris, vtrùm legitimatus absolutè à Papa possit ordinari sacris Ordinibus?

Maiolus lib. 1. cap. 8. dicit, quòd non potest sine noua dispensatione, nisi aliud colligatur ex mente Pontificis: idem videtur dicere P.Henri.numer.10. litera N,sed isti Autores confundunt legitimationem & dispensationem, cum tamen docente Couarru.in 4. Decret. p. 2. cap. 8. §. 8. valdè differant: nam dispensatio est quando aliquis efficitur legitimus ad certum actū, at verò legitimatio efficit legitimum absolutè & quoad omnia, ac si nouera esset, vnde dico, quòd si Papa legitimet aliquem absolutè, poterit ordinari sacerdotio, & obtinere

obtinere beneficium curatum & dignitatem, vt tradit Couarr. dicto §. 8. num. 5. at verò si solùm dispensat quoad Ordines, vel vt fiat clericus, censetur dispensatus ad minores tantùm. ita Sylvest. ver. clericus. 1. q. 4. idem sentit glossa cap. ex literis. de filiis presbyterorum. & sic intelligendi sunt Maiolus & P. Henrique.

Præterea aduertite, quòd dispensatus ad certum beneficium Curatum non potest virtute talis dispensationis obtinere secundum beneficium: nam ista dispensatio strictè est interpretanda, & hoc quamuis relinquat primum. ita Couar. in 4. dicto §. 8. corollar. 6. at verò si dispensetur ad Curatum in communi seu ad incertum, potest obtinere aliud & aliud relicto primo. ita P. Henri. nu. 10. in glossa, litera C, vbi allegat Sylvest. & Panormit.

Quintò notandum est, quòd cum professentibus in religione ius cõmune dispensat ad omnes ordines etiam sacros, non tamen ad Prælatiam. ita Nauar. num. 201. P. Henri. numer. 10. & est text. cap. 1. de filiis presbyterorum. potest etiam Prouincialis Societatis dispensare ad sacros Ordines cum illegitimo, qui elapso biennio emisit tria vota solemnia, vt habetur in compendio Societatis, verb. dispensatio. §. 2. & quamuis prædicti Religiosi non possint habere Prælaturam, vt dictum est, possunt tamen habere alia officia, vt tradit Nauar. 3. cons. de filiis presbyter. & ibi latè disputat vtrùm illegitimus factus Canonicus regularis Ecclesiæ cathedralis possit esse Archidiaconus eiusdem sine dispensatione Papæ.

Sextò notandum est, quòd cum eo, qui bona fide ordinatus est sacerdotio, putans se legitimum, si postea sibi persuadeat esse illegitimum, potest Episcopus dispensare ad vsum ordinis; ita P. Henriq. num. 10. & lib. 11. de Matrim. cap. 20. num. 2. & Naua. cons. 3. de ætate & qualit. ordinandorum. ad 2. quæst. & fauet cap. Lugdunensis. 9. quæst. 1. & ibi glossa.

Septimò notandum est, quòd Comites Palatini regulariter non habent facultatem legitimandi quoad Ordines, nec beneficia ecclesiastica. ita Nauar. lib. 1. Consilior. cons. 5. num. 1. de filiis presbyter.

DVBITATVR septimò, vtrùm Episcopus per Tridentinum possit dispensare super illegitimitate ex delicto occulto proueniente?

Nauar. cap. 27. numer. 194. tenet, quòd non: ait enim quòd Tridentinum sess. 24. cap. 6. de reformat. non dat facultatem Episcopis dispensandi super irregularitate non descendente ex delicto. Ex quo infert, non dari facultatem dispensandi in illegitimitate: hanc enim non solùm incurrit filius propter crimen parentum, sed etiam propter defectum, quem in seipso habet.

Sit conclusio. Oppositum est mihi probabilius: & est optimus text. cap. nisi cùm pridem. de renunc. §. personæ. ibi, si tamen & culpa latet. Sic aliqui viri docti, & insinuat P. Henri. num. 10. post literam L., verum est quòd cap. 20. numer. 2. solùm videtur dicere, quòd dispensat, vt ministret in susceptis. Sed probatur conclusio primò: nam licèt hæc irregularitas causet in homine quendam defectum, tamen intrinsecè dependet à crimine parentum, ergo si huiusmodi crimen sit occultum, comprehenditur sub Decreto Concilij. Confirmatur. Ratio, quæ mouit Concilium ad concedendam facultatem dispensandi in casibus occultis, fuit ad euitanda multa animarum pericula & scandala, quæ sequerentur ex detectione occultorum criminum; quæ omnia sequerentur, si necessarium esset in irregularitatibus prouenientibus ex delictis occultis recurrere ad sedem Apostolicam; sed hæc ratio currit in præsenti casu, ergo. Secundo probatur: nam licèt dispensatio postquàm est concessa in particulari casu, est odiosa & strictè interpretanda; at verò potestas dispensandi est fauorabilis, & latissimè interpretanda. cap finali. de simonia. & ibi Panormitan. & Felin. num. 7. Sylvest. verbo, dispensatio. quæst. 5. Nauar. Com. 4. de reg. num. 15. in fine. & Couar. in 4. p. 2. cap. 8. §. 8.

§.8.n.6. Et ratio est: nam beneficium Principis quando non est in damnum tertij, latissimè est interpretandum. c. olim. de verborum signifi. sed hæc potestas est quoddã beneficium indultum à Concilio, ergo.

Si obiicias, potiùs esse priuilegium, quod cùm sit contra ius, vel saltem præter ius, strictè est interpretandum. cap. cùm dilectus. de consuetud. Respondetur, non esse propriè & in rigore priuilegium. Primò: nam Episcopus stando in iure diuino potest dispensare in omnibus irregularitatibus. Secundò, quia nullo iure prohibitum est, quòd Papa non possit facultatem suam dispensandi aliis delegare; vide Couarru. sup. vbi hoc modo probat facultatem ad legitimandum extendendam esse & latè interpretandam.

DVBITATVR octauò, vtrùm hæc irregularitas auferatur per subsequens matrimonium?

Conclusio. Si tempore conceptionis parentes poterant validè contrahere, filius sit legitimus; at verò si non poterant validè contrahere, quamuis posteà contrahant, non fit legitimus. capit. tanta. qui filij sint legitimi. Videte Syluestrum verb. illegitimus. q.3. & Anton. Gom. l.4. Tauri. num. 56.

DVBITATVR nonò, vtrùm expositus, cuius parentes omninò ignorantur, ita vt non possit inuestigari, an sit legitimus vel non, sit reputandus irregularis ad Ordines?

Ananias & Felinus relati à Couar. Clementina, si furiosus. p.1. in initio. numer. 9. tenent, quòd potest ordinari sine dispensatione. Probatur: namfilius coniugatæ non tenetur credere matri dicenti, se illegitimũ esse, ergo. Couarru. autem tria dicit. Primò quòd non potest ordinari sine dispensatione, idem tenet Maiolusli. c. 10. quia licèt daremus in casu dubij, non esse aliquem cẽsendum illegitimum, tamen hic non sumus in casu dubij, quia sunt vehementes coniecturæ hunc esse illegitimum: tales enim plerunquæ solent exponi, & quæ cõmuniter accidunt, sunt credẽda. l. siue possidetis. C. de probation. & glos. l. neque natales. eod. tit. nam ratò contingit, quòd legitimi exponantur ratione paupertatis, cùm ex hoc sequatur infamia parentibus. Secundò dicit, quòd Episcopus potest cum hoc dispensare, quia est dubium facti. Tertiò dicit, quòd si iam est ordinatus, potest ministrare sine dispensatione. Probatur quia melior est conditio possidentis, & iam habet ius quæsitum. Hanc sententiam sequitur P. Henr. n.10. (& in glos. lit. L, dicit, quòd Greg. XIV. in quadam Bulla decernit, quòd habeantur pro legitimis & puri sanguinis ad omnes præbendas) & aliqui Magistri, & eam reputo probabiliorem; aduerto tamen cum P. Henri. in glossa, litera L, quòd talis debet reputari defæcati sanguinis quoad omnes præbendas, quia est totale dubium, & in dubio nemo debet præsumi infecti sanguinis.

Ad argumentum in contrarium concesso antecedenti negatur consequentia; nam ille habet pro se præsumptionem matrimonij.

DVBITATVR decimò, de eo qui non est expositus, ignoratur tamen vtrùm sit legitimus, nec reperiuntur parentes eius?

Respondetur cum Villadiego capit. 10. quòd si fuit infamatus de illegitimitate, debet se purgare; si verò non fuit infamatus, sed semper vixit vt legitimus, relinquatur suæ conscientiæ. Ego addo, quòd nisi præsumat de se, quòd est illegitimus, potest se reputare legitimum, quia melior est conditio possidentis, imò ampliùs dico, quòd licèt sit dubium non tenetur quis se reputare illegitimum, iuxta dicta disp. 2. dub. 5. concl. 2.

DVBITATVR vndecimò, quas pœnas incurrat illegitimus, si ordinetur absque dispensatione?

Prima conclusio. Manet suspensus ab executione Ordinis suscepti. ita Soto d. 25. q.1. art. 3. Naua. lib. 1. Consiliorum, cons. 3. de ætate & qualit. ordinandorum. ad 2. & 3. q. P. Hen. n. 10. in glo. lit. H. probat Soto: nam Canones prohibentes illegitimũ ordinari, hoc præcipuè intẽdũt, ne ministret.

Sed difficultas est, vtrùm iste ministrans in Ordinibus sic susceptis incurrat irregularitatem positam contra violantes censuras Ecclesiæ celebrando? Partem affirmatiuam tenet Nauarr.ca. 25.nu.96.& probatur, qui violat suspensionem celebrando fit irregularis,ergo.

Sit secunda conclusio. Contraria sententia est vera.sic Innocent.cap.si celebrat. num. 3.de clerico excommunicato ministrante.Villadiego ca.1.de suspensio.num. 11.Couarr.Clement.si furiosus.p.1.§.1.n. 3.Armil.verb.irregularitas.num.73.imò & ipse Nauarr. in noua impressione non addidit illam particulam, & fit irregularis. & cap.27.num.194.§.3. etiam in antiqua impressione clarè videtur sequi Innocentium dicentem, quòd non fit irregularis; vnde secundùm stylum Curiæ,quando dispensatur cum tali ordinato, nulla fit mentio irregularitatis. Et probatur:nam talis suspensio non est posita propter crimen,sed propter defectum, sicut illa quæ ante Extrauagantem Pij II.incipientem,cùm ex sacrorũ, erat imposita in cap.vel non es compos.de temporibus ordinationum,contra ordinatum ante legitimam ætatem.Per hoc patet ad argumẽtum:antecedens enim solùm est verum de violante suspensionem positam propter delictũ:talis enim est verè censura. Et quod dictum est de illegitimo, idem dicendum est de quocunque corpore vitiato, qui ordinatur sine dispensatione.ita Villadiego & Couarru.locis citatis.

Dvbitatvr vltimò, de defectu seruitutis?

Prima conclusio.Seruus qui sine licentia domini ordinatur, vel qui ordinat illum,grauiter peccat,vt per totum titulum de seruis non ordinandis.

Secunda conclusio. Episcopus, qui sciens ordinat seruum alienum sine licentia domini, tenetur duplicatum reddere pretium,& seruus fit liber. P. Hen[illegible] cap.8. num. 7.& habetur ca.si seruus absente domino.54.d.

Tertia conclusio. Si domino ignorante vel contradicente ordinetur minoribus, manet seruus in omnibus,sicut priùs;si verò sacris,habet ius,vt dato pretio vel simili seruo fiat liber, aliàs etiam factus sacerdos debet seruire in obsequiis non indecentibus statui.sic P.Henrique numer.7.& Nauarr.num.203.§.16.

Quarta conclusio. Si cum licentia domini,vel eo sciente,& non contradicente, ordinetur etiam minoribus, fit liber.sic P. Henrique.

Quinta conclusio.Si iste manens seruus celebret, non incurrit nouam irregularitatem, sicut dictum est in dubio præcedenti, de defectu autem ætatis abundè dictum est in materia de suspensione,disp.5.dub.5.

Ad defectum corporis pertinebat descendere ex hæreticis; sed hoc clariùs tractabitur disp.sequenti.

Disputatio IV.

De irregularitate ex defectu animæ.

De qua tractat Nauarr. num. 205. & P.Henri.c.8.n.11.

Dvbitatvr primò, vtrùm defectus scientiæ faciat irregularem?

Pater Henri.n.10.in glossa,litera B,& li. 10.de sacramento Ordinis. ca.16.num.2.& in glossa, litera Q, ait, quòd licèt defectus scientiæ sit impedimentum ad Ordines, non tamen facit irregularem.

Sit prima conclusio, quòd facit irregularem.sic Nauar. & Villadiego c.16.versic. circa illum verò qui patitur.pag. 179. Maiolus lib.1.cap.22.& aliqui iuniores. Probo ex cap.illiteratos.36.d.vbi dicitur,illiteratos, aut corpore vitiatos nullus præsumat promouere, sed corpore vitiatus est irregularis, ergo & illiteratus; & aduertit ibi glossa, quòd textus loquitur de eo, qui penitus est illiteratus. Quis verò dicatur omninò illiteratus tradit Nauarr. in cap. si quando. de rescript.except. 70. Quæ autem

tem scientia requiratur pro vnoquoque ordine? Concilium Tridentin. sess. 23. ca. 4. ait, quòd nemo ordinetur prima tonsura, nisi sciat fidei rudimenta, legere & scribere; & c. 11. pro Ordinibus minoribus, quòd intelligant linguam Latinam; & c. 13. dicit de diacono & subdiacono, quòd debent esse his literis instructi, quæ ad ordinem exercendum pertinent; simplices verò presbyteri scire debent ea, quæ requiruntur ad debitè administrandum sacramentum Eucharistiæ, addit P. Henri. vtroque loco dudum citato, quod licitum erit Episcopo ordinare Religiosum, qui bene legit & cantat: talis enim in aliorum societate & pro ministris religionis videtur minister idoneus.

Quod verò ad dispensationem attinet, Innocent. ca. dilectus. de temporibus ordinationum. & Maiolus sup. dicunt, Papam non posse in hoc impedimento dispensare, oppositum tenet Nauar.

Sit secunda conclusio. Cum omninò illiterato non potest dispensare, saltem directè, at verò cum eo, qui non omninò illiteratus est, potest, & de facto aliquando dispensat, non absolutè, sed ad tempus, vt interim discat. Hæc conclusio est de mente Villadiego loco citato. Et prima pars probatur: nam est contra ius naturæ, quòd aliquis assumatur ad munus, quod exercere nescit, vt latiùs tradit Nauarr. dicta except. 7. Dixi, *saltem directè*: nam indirectè aliquãdo dispensat in scientia requisita ad aliquod officium, scilicet dispensando super ætate, propter spem futuræ scientiæ ad tale officium, vt ait Naua. except. 19. num. 2.

Tertia conclusio. Ignarus literarum ex dispensatione Episcopi non prohibetur ministrare in susceptis. P. Henri. ca. 8. in fine. quod ego intelligo de eo, qui non est omninò ignarus.

Dvbitatvr secundò, vtrùm defectus fidei faciat irregularem?

Prima conclusio. In non baptizato non facit eum propriè irregularem, sed incapacem Ordinis, quia licèt de facto ordinetur, non recipit characterem Ordinis, vt patet c. 1. de presbytero non baptizato. nam Baptismus est ianua reliquorum Sacramentorum. Sed quid in baptizato, vt in hæretico vel Apostata?

Sit secunda conclusio. Hæreticus, vel apostata, & eorum fautores, defensores, vel receptatores sunt irregulares, ita vt nec post conuersionem sint ordinandi. sic Ang. ver. irregularitas. 1. num. 26. Sylvest. eodem ver. quæst. 5. Nauarr. num. 205. P. Henri. cap. 4. numer. 6. De hæretico habetur ex cap. si quis omnem. & cap. saluberrimum. 1. quæst. 3. & cap. 2. §. hæretici. de hæreticis. in 6. vbi redduntur inhabiles ad publica officia; ordo autem pertinet ad publicum officium. De apostata verò habetur cap. presbyteros. 50. d. §. de his. Et probatur: nam quoad mores attinet, idem iudicium est de apostata & de hæretico. De fautoribus, defensoribus, vel receptatoribus habetur dicto §. hæretici. & præterea omnes prædicti sunt inhabiles ad beneficium, ita vt si de facto detur illis, collatio erit nulla, vt habetur eodem §. aduertit tamen Ang. & Sylvest. sup.

Aduerte tamen, quòd si clericus fiat hæreticus, poterit post pœnitentiam & abiurationem in susceptis ministrare, & habetur ex dicto c. saluberrimum.

Sed difficultas est, vtrùm quando crimen hæresis est occultum, possit post legitimam absolutionem in foro conscientiæ ordinari?

Didacus Perez l. 8. ordinam. tit. 4. in tracta. de hæreticis. p. 1. prope finem, pag. 99. tenet, quòd non potest, sed requiritur dispensatio saltem Episcopi post Concilium Tridentinum. Probat: nam Concilium sess. 24. c. 6. concedit Episcopo facultatem absoluendi ab hæresi occulta.

Sit tamen tertia conclusio. Probabilius est, non esse irregularem, atque adeò ordinari posse. sic P. Henri. numer. 6. & aliqui viri docti. Probatur ex cap. ad abolendam. de hæreticis. vbi sermo est de hæretico publico, ibi, *quicunque manifestè fuerit in hæresi deprehensus*, &c. Et eodem

modo loquitur dictum cap. saluberrimum. loquitur enim de abiuratione solemni, quę in scriptis fit, & in dicto §. hæretici. apertè supponitur notitia criminis: dicitur enim quòd non admittatur.

Ad fundamentum Didaci Perez facilè respondetur, Concilium non loqui de dispensatione, sed de absolutione in foro conscientiæ ab excommunicatione, & peccato hæresis. Sed

DVBITATVR tertiò, de filiis hæreticorum? Quæ irregularitas quamuis pertinebat ad defectum corporis, tamen claritatis gratia reseruata est in hunc locum.

Sit ergo conclusio. Filij hæreticorum & receptatorum vsque ad secundam generationem per lineam paternam, & vsque ad primam per maternam, sunt irregulares, dicto §. hæretici. vbi generaliter dicitur, *vsque ad secundam generationem*; sed postea Bonifacius VIII. c. statutum. el 2. de hæreticis. in 6. restrinxit vsque ad primam generationem per lineam maternam; vnde descendés ab hæretico per lineam maternam vltra primum gradum, non est inhabilis ad Ordines. ita Nauar. li. 1. Consiliorum. cons. 8. de temporibus ordinationum. Addit præterea Bonifacius VIII. hanc pœnam non comprehendere filios eorum, qui reconciliati sunt Ecclesiæ.

Et quamuis Simanc. de Catholi. institutio. tit. 47. num. 17. & P. Henri. cap. 5. num. 4. teneant, hîc per reconciliatum intelligi etiam illum, qui relaxatus est brachio seculari; non tamen est combustus viuus, quia resipuit, & absolutus est sacramentaliter; idemque videtur tenere Nauar. num. 205. & patet ex ipso text. ibi, *qui tales* (scilicet hæretici) *decessisse probantur*, sed qui petiuit absolutionem, nõ decessit hæreticus, ergo.

Nihilominùs tamen probabilius est, quòd per reconciliatum intelligitur ille, qui non est relaxatus brachio seculari. ita tenent à fortiori Ioan. Andr. Philip. Francus, Ancharanus, & Geminia. dicto ca. statutum. nam hi Autores hoc ipsum docent de relapso conuerso, cui conceditur sacramentum Pœnitentiæ & Eucharistiæ; quæ sententia probatur ex ipso textu, ibi, *non autem illorum, quos emendatos esse constiterit*, &c. vbi, vt annotat Francus & Geminia. textus requirit duo, scilicet quòd sint emendati & reincorporati Ecclesiæ.

Ad verba citata in oppositum respondetur, relaxatum brachio seculari, quamuis conuertatur, præsumi hæreticum, præterquàm quoad beneficium absolutionis sacramentalis, & conuersionem eius fictam esse timore pœnæ. ita tenet Villadiego tracta. de hæreticis. quæst. 21. parum post principium, Directorium Inquisitorum p. 2. quæstion. 11. commento 36. pag. 285. versicul. postquàm traditus. & Castro lib. 1. de iusta hæreticorum punit. c pit. 22. non multùm ante finem. Vnde illa verba textus, *non autem illorum*, &c. explicant, omnem illum decedere hæreticum præsumptione iuris, quia non reincorporatur Ecclesiæ, & recipit pœnitentiam, &c.

Præterea nota, quòd hæc pœna etiam extenditur ad filios illegitimos. ita glossa, Gemin. & Francus dicto capit. statutum. & Villadiego tracta. de hæreticis. qu. 23. ne plus habeat luxuria, quàm castitas. Et hæc dicta sunt stando in iure communi.

Sed difficultas est propter quandam Extrauagantem Pauli IV. relatam à Nauarr. lib. 5. Consiliorum. titul. de Iudæis & Sarracenis, consil. 1. vbi Pontifex præcipit, nullum descendentem ex hæreticis vel Iudæis vsque ad quartam generationem ordinari sacris Ordinibus. Quam Extrauagantem Gregor. XIII. extendit ad descendentes ex Sarracenis, vbi aduertit Nauarr. quòd licèt stando in rigore iuris huiusmodi Extrauagantes intelligendæ sunt in descendentibus ex hæreticis, Iudæis vel Sarracenis etiam non condemnatis, sed conuersis; nihilominùs ex æquitate iuris dici potest, quòd non habent locum in descendentibus ex illis, qui sponte propria nullo cogente metu conuersi sunt, & ego idem iudico.

Vtrùm verò prædictæ Extrauagantes sint vsu receptæ? Dico quòd non, & ita accepi

cepi à quibusdam viris doctis & peritis in praxi.

DVBITATVR quartò, vtrùm neophytus sit irregularis? Ille autem dicitur propriè neophytus, qui ex secta Iudaica, vel Mahumetana, vel Gentilica nuper conuersus est ad fidem Christianam, ita Couarru. Clem. si furiosus p.1.§.2.num.7. concl. 1. Nauar.num.205.& P.Henri.ca.4. num. 7. Vnde qui ab infantia professus est fidem in Baptismo, licèt descendat ab auo, vel patre Iudæo vel Sarraceno, non dicitur propriè neophytus,& ideo, vt rectè ait Nauar.neophytus,propriè loquendo, non est idem, quod vulgò dicitur Christianus nouus.

Sit ergo prima conclusio. Neophytus propriè dictus est irregularis, vnde non debet promoueri ad aliquem Ordinem, etiam minorem, nec beneficium. sic Angel. Sylvest.& Summistæ,ver. neophytus. Couarru. sup. concl.2. Nauar.numer.205. & P. Henri.cap.4.num.7.probat Naua. ex ca.1.& 2.48. d. & quoad beneficium patet ex cap.constituit. 17.qu.4. & ratio est, ne in superbiam incidat, putans quòd Ecclesia indigeat illo.

Secunda conclusio.Ille qui iamdiu susceptit fidem, si iudicio Episcopi sit rectè instructus & confirmatus in fide, poterit ordinari.ita Coua.concl.3.Nau.& P.Henri.locis citatis. Probatur, quia nec iste dicitur neophytus propriè loquendo. Præterea probatur ex c.1.57.d.

Ex quo infert Couarru. hanc irregularitatem non esse similem aliis, quia non est expectanda dispensatio Papæ, satis est iudicium Episcopi. Verum est, quòd cum neophyto propriè dicto solus Papa dispensat; vt colligitur ex Nauarr.dicto num. 205.§.4.

Tertia conclusio. Ille qui ab infantia professus est fidem in Baptismo, licet descendat ex auo, vel patre Iudæo, aut de Sarraceno, potest ordinari & obtinere ecclesiastica beneficia & dignitates. ita Cou. concluſ.6. nam iste propriè loquendo non dicitur neophytus.

Si obiicias Concilium Trident. sess.25. c.7.de reformatio.vbi iniungit Episcopis, quòd diligenter inquirant ordinandorum genus? Respondetur cum P. Henri.l.10. de Ordine.c.17.n.2.in glossa,litera G,hoc decretum esse ad inuestigandum, vtrùm sint filij ancillæ vel hæreticorum, in forma explicata dubio secundo.

Sed obiter inquiro, vtrùm neophyti propriè sumpti, vel qui descendunt ex Iudæis vel Sarracenis, possint obtinere officia publica?

Quarta conclusio. Neophytus propriè dictus non potest ea obtinere. ita Couarr. concl.4.vbi allegat Archidiaconum Felinum,& alios, eámque probat ex c. constituit.17.q.4.

Quinta conclusio. Prouectus iam in fide, ita vt dici possit veteranus Christianæ militiæ,potest obtinere prædicta officia.ita Couarr.concl.5.probat ex l.6.tit.24.par.7. Et idem à fortiori dicendum est de eo, qui ab infantia professus est fidem, quamuis descendat ex auo vel patre Iudæo, aut Sarraceno.ita Couarr.concl.6.

Sed nota,istas tres conclusiones intelligendas esse stando in iure communi: sunt enim particularia statuta quarundam Ecclesiarum à sede Apostolica confirmata, quæ nullum descendentem à Iudæis vel Sarracenis, quamuis eorum progenitores abhinc mille annis fidem susceperint, admittunt ad præbendas. Similiter sunt alia statuta, quæ non admittunt prædictos ad tribunalia Inquisitionis, vel ad aliqua tribunalia secularia.

Vltimò nota, quòd in huiusmodi irregularitate solus Papa dispensat,nisi in casu secundæ conclusionis.ita Nauar.num.205. §.4. Conditiones autem requisitas, vt quis eligatur in Episcopum vel Cardinalem, tradit P.Henri.c.9.

DVBITATVR quintò, vtrùm infamis sit irregularis? Quam quæstionem diffusè tractat Richard.in 4.d.25.art.6.q.1. tangit etiam P.Henri.cap.5.num.3. Pro cuius explicatione supponendum est, quòd infamia est duplex; vna iuris,altera facti; iuris

est, quæ incurritur per sententiam Iudicis, vel ipso facto.

Pro quo secundò notandum est, ex Dyno in regula infamibus. de regul. iuris. in 6. quòd regulariter loquendo, infamia iuris non incurritur, nisi per sententiam Iudicis. idem tenet Ang. verbo, infamia. numer. 5. Sylvest. Tabien. & alij, & addit Angel. num. 6. & Sylvest. non sufficere, quòd delinquens confiteatur proprium crimen in iudicio: tunc enim non resultat infamia iuris, sed facti. Dixi, *regulariter*: nam sunt aliqua crimina, quibus ab ipso iure annexa est infamia, vt est crimen vsuræ tam in laico, quàm in clerico, & quibusdam aliis relatis ab Angelo num. 5. in his enim ante sententiam incurritur infamia iuris, requiritur tamen notorietas facti. ita P. Henr. cap. 5. num. 3. litera L, Tabien. ver. infamia. numer. 2. Couarr. lib. 3. Variarum. cap. 3. numer. 1. circa finem, & Castro lib. 2. de lege pœnali. c. vlt. circa finem, qui probat: nam sicut fama oritur ex publica bonorum operum notitia, ita & infamia oriri debet ex publica notitia perpetrati criminis, ergo criminosus occultus non potest esse infamis.

Et notate, quòd hæc infamia iuris aliquando inducitur sine delicto ex officio infami. sic P. Henri. verbi gratia, in histrione, vt infrà dicam, & aliis casibus relatis ab Angelo num. 5. aduerte tamen cum P. Henri. artem fabrilem non inducere infamiam.

Infamia facti est, quando alicuius fama grauatur de aliquo crimine apud multos & graues per maiorem partem viciniæ, ad quod etiam requiritur notorietas, vt patet ex ratione Castri.

Sit ergo prima conclusio. Infamis infamia iuris est irregularis, ita vt nec possit promoueri ad Ordines, nec in susceptis ministrare. ita Nau. num. 204. Villadiego cap. 1. num. 31. & de administratione susceptorum tenet expressè Angelus v. infamia. numer. 8. Sylvest. quæst. 10. & Tabien. num. 5. Probatur conclusio ex cap. 2. de ordine cognitio. & c. infamibus. de regul. iur. in 6. vbi dicitur, *infamibus portæ non pateant dignitatibus*; fauet etiam cap. finale 51. d. vbi notandum est, conclusionem habere verum, licèt infamia sit inducta per ius ciuile: nam qui est infamis secundùm leges ciuiles, est irregularis secundùm canones, sic Tabien. sup. n. 2. & Perez ad Villadiego c. 1. num. 31. & est optimus textus in c. omnes verò. 6. quæ. 1. vbi dicit Pontifex, *Omnes verò infames esse dicimus, quos leges seculi infames appellant.* Et ratio conclusionis est: nam illa propter quæ leges Canonicæ vel ciuiles faciunt aliquem infamem, reddunt illum vilem & abiectum, quamuis egerit pœnitentiam.

Secunda conclusio. Infamia facti, quandiu homo non purgatur ab illa, facit irregularem quantùm ad recipiendos Ordines, sic Angelus n. 3. Tabien. n. 12. Villadiego & Naua. vbi sup. & habetur ex c. omnipotens Deus. de accusatio. & ex dicto c. infamibus. quod explicat glossa tam de infamia iuris, quàm facti. Probatur etiam ex ca. non debet. de testibus. vbi dicitur, quòd accusati ab accusatione ac à susceptione Ordinis repelluntur, quod non est, nisi quia pendente accusatione fiunt infames infamia facti. Dixi, *quandiu homo non purgatur ab illa*: nam post emendationem vitæ, non manet irregularis. ita Richard. & Nau. sup. P. Henri. c. 5. num. 3. & glossa c. illi qui. 6. quæ. 1. in fine. Rationem reddit Panormit. c. ex diligenti. de simonia. vbi ait, quòd infamia facti tollitur per factum contrarium: nam res per quascumque causas nascitur, per easdem dissoluitur.

Dixi præterea, *quantùm ad recipiendos Ordines*: nam ab vsu susceptorum solùm impedit eatenus, quatenus ipsum crimen impedit. sic Ang. num. 3. vbi citat Innocentium. Ex dictis sequitur primò, histriones esse irregulares. sic Ang. verbo, histrio. num. 6. Sylvest. ver. Ordo. 4. num. 2. in fine. & P. Henri. cap. 5. num. 5. & habetur ex ca. aliquantos. 51. d. Et probatur, quia sunt infames. cap. 1. 4. quæ. 1. & l. 2. §. vlt. ff. de his qui notantur infamia. Quod limitandum est ad illum, qui ex officio publicè exercet.

cet. sic Innocen. cap.cùm decorem.de vita & honest. clericorum.quem Sylu. & Ang. sequuntur locis modò allegatis; colligo tamen ex prædicto cap.iuncta glossa.quòd si de facto sunt ordinati,permittuntur ministrare.

Secundò sequitur, quòd filius publicæ meretricis, quamuis esset coniugata, contrahit infamiam iuris, idem est de marito vxoris scurrilis, vel publicæ fabularum actricis.sic Henri.num.4. Præterea notandum est, quòd licèt infamia facti priuet à quibusdam officiis publicis, non tamen priuat iam habitis; at verò infamia iuris priuat iam habitis. ita P. Henri.numer. 3. litera O.

Quantùm ad dispensationem, sit tertia conclusio.In illo, qui iure ciuili, vel per Iudicem secularem damnatus est infamia iuris (qui ex consequenti habetur infamis iure Canonico) potest Princeps secularis infamiam abolere.sic P. Henrique num.3. litera V; at verò in infamia propria iuris Canonici solus Papa dispensat.sic P.Henr. Nau.num.205.pro quo facit ca.cùm te. de sententia & re iudicata. nisi quando Episcopus directè dispensat in delicto,ad quod sua facultas se extendit:tunc enim accessoriè tollit infamiam ortam ex tali delicto. ita Nau.& Villadiego cap.16.vers.circa illum verò.imò P. Henri.nu.3. in fine.dicit, quòd si hæc infamia superueniat, Episcopus potest dispensare quantùm ad vsum in susceptis.

Quarta conclusio. In infamia facti dispensat Episcopus.ita Nau.quod sine sufficienti causa limitat Villadiego vers.citato. quantùm ad vsum in susceptis,non vt promoueatur.

Præterea dico, hanc infamiam posse tolli per pœnitentiam,vt dictum est,secus erit de infamia iuris; quod probo ex c.Euthemium.2.quæ.3.vbi dicitur, quanquàm animos per pœnitentiam saluare possimus, infamiam tamen abolere non possumus.

Sed arguitur ad probandum, quòd infamia facti non tollitur per pœnitentiam: nam in ca.at si clerici.§.de adulteriis.tit.de iudiciis.dicitur, *De adulteriis & aliis criminibus minoribus potest Episcopus cum clericis post peractam pœnitentiam dispensare*,ergo etiam post pœnitentiam requiritur dispensatio;& quidem Naua. ita videtur sentire. capite 25.nu. 77. Sed dupliciter potest exponi.Primò,quòd loquatur de infamia iuris,quam expositionem colligo ex eodem, in c.17.num. 204.vbi ait, quòd infamia facti interdum tollitur per pœnitentiam. Et eodem modo intelligo P.Henri.c.5.num.1. dicentem,quòd pœnitentia non liberat ab irregularitate priùs contracta: nam ibi in glossa, litera G, solùm ponit exemplum in damnato per sententiam. Et hanc esse eius mentem constat ex num.3.vbi ait,quòd infamia facti tollitur per factum contrarium & emendationem vitæ, & in glossa, litera Q, addit, atque ita cessat hæc irregularitas, vnde potest ordinari, ac si ab Episcopo dispensaretur in infamia iuris. Secundò potest exponi Nauarr. quòd loquatur de irregularitate contracta ex celebratione publici concubinarij, qui iure antiquo erat suspensus, & ita se explicat ipse lib. 5. Consil.con.66.de excommunicat. ad 2.q nam hæc irregularitas procedit ex eo,quòd suspensus celebrauit. Vnde resolutoriè dico,quòd infamia facti tollitur per pœnitentiam, dummodò constet emendatio vitæ, & non requiritur alia dispensatio. Quod probo: nam hoc ipsum concedit Nauar. c.27.num. 154.de suspensione contracta à clerico notorio fornicatio.& li.3.Cons.con.vnico. de cohab.cler. ac mul.& eandem sententiam clarè videntur sentire glossa, & Panormit. citati in 2. conclusionem.

Ad argumentum ergo respondetur, quòd tex. ille loquitur, quando præcessit sententia Iudicis, & tunc inducitur infamia iuris: casus enim textus est,quòd clericus conuictus de crimine, suspendendus est vel deponendus perpetuò, nisi Episcopus cum eo dispenser, quod potest facere, saltem in adulterio, & minoribus criminibus.

Sed

Sed contrà, ergo iam Episcopus dispensat in infamia iuris? Respondetur, directè nego, indirectè & accessoriè dispensando directè in delicto concedo, vt suprà dictum est.

DVBITATVR sextò, vtrùm per solemnem pœnitentiam efficiatur quis irregularis?

Pro explicatione notandum est cum Couarr. lib. 2. Variarum. c. 10. num. 3. quòd aliud est, pœnitentiam esse publicam, aliud solemnem: nam solemnis est, quæ in principio Quadragesimæ fieri solebat cum certis cæremoniis relatis can. in capite 50. d. & tantùm imponebatur ab Episcopo; publica verò est, quæ ex mandato Episcopi, vel alterius Superioris fiebat publicè absque illis cæremoniis.

Sit ergo prima conclusio. Pœnitentia solemnis faciebat irregularem, ita vt nec posset promoueri, nec in susceptis ministrare; sic Sylvest. ver. irregularitas. q. 17. & est communis, habetur c. canones. & cap. si quis post. d. citato. Potissima ratio est, quæ habetur c. non negamus. 61. d. vbi ait Hormisda Papa, *Quis enim quem paulò antè iacentem viderat, veneretur Antistitem? Perferens memorandi criminis labem, non habet lucidam sacerdotij dignitatem.*

Sed nota, quòd cùm hæc pœnitentia modò non sit in vsu, predicta irregularitas non habet locum.

Secunda conclusio. Pœnitentia publica non solemnis nõ inducit irregularitatem; ita Sylvest. & Anton. 3. p. tit. 14. c. 17 §. vlt. quia citati Canones solùm loquuntur de solemni, & cùm sint pœnales, non sunt extendendi.

DVBITATVR septimò, vtrùm aliqua crimina inducant irregularitatem ratione notorietatis? De quo tractat Nauar. n. 248. P. Henri. c. 5. Couarru. Clem. si furiosus. p. 1. §. num. 5. Et est prima opinio Sylvest. ver. irregularitas. q. 14. quòd crimen enorme, quamuis occultum sit, inducit irregularitatem. idem tenet Anton. 3. p. tit. 28. ca. 6. §. 7. probant ex ca. primum. 25. d. & idem tenet ibi glossa.

Secunda opinio est Couarr. quòd nullum crimen etiam publicum, inducit irregularitatem, nisi de illo fit expressum in iure.

Tertia opinio est Nauar. num. citato, qui dicit duo. Primò, quòd nullum crimen quantumuis enorme inducit irregularitatem sine notorietate præter homicidium. Secundò dicit, quòd omne crimen enorme & depositione dignum, si sit notorium, inducit irregularitatem.

Quarta opinio, quæ tantùm differt a tertia in hoc, quòd apponit quandam limitationem vel explicationem secundo dicto Nauarr.

Vnde sit prima conclusio. Nullum crimen quantumuis enorme inducit irregularitatem, si non sit notorium, præter homicidium: hoc enim quantumuis occultum sit, inducit irregularitatem. Hæc est Nauarri, & eam tenet P. Henri. numer. 2. & lib. 13. de excommunicat. cap. 36. Prima pars probatur ex cap. ex tenore. de temporibus ordinat. vbi dicitur, *Ex nullo crimine quantumcunque graui, etiam degradatione digno, inducitur suspensio vel irregularitas in susceptis vel suscipiendis Ordinibus.* & ita notat ibi Innocent. Probatur etiam ex cap. finali. eodem tit. vbi dicitur, quòd propter grauissima crimina, vt adulterium, periurium, &c. excepto homicidio, non debet quis post pœnitentiam ab vsu vel susceptione Ordinum impediri, nisi ordine iudiciario comprobata, vel aliàs notoria fuerint.

Si petas, quæ crimina dicantur enormia in clerico? Sit secunda conclusio, quòd homicidium, periurium cum falso testimonio in iudicio, hæresis, simonia, sodomia, & quædam similia. sic Henri. capit. 5. num. 1. vide Sylvest. verb. crimen. & ver. enorme. & facit cap. finale de temporibus ordinatio. & hæc crimina etiam sunt depositione digna, vt patet ex Nauar. cap. 27. num. 248. iuncto c. 25. nu. 73. & ex P. Henri. lib. 13. de excommunicat. cap. 55. numer. 5. crimen autem mediocre est, habere concubinam solutam. sic Henri. cap. 5. nume. 2.

Quod

Quod intellige, quando concubinatus non est diu continuatus & notorius: tunc enim est dignus depositione, vt tradit Nau. c. 27. n. 248. Aduertit præterea ipse Nau. n. 154. quòd notorius fornicarius non est irregularis, sed suspensus; idem tenet P. Henri. lib. 13. c. 35. num. 4. in glossa, litera O.

Sed arguitur contra primam conclusionem, quatenus excipit solum homicidium: nam si aliquis existens in occulta excommunicatione recipiat, vel exerceat Ordines, fit irregularis, idem est, si existens in occulta suspensione celebret, ergo non solùm homicidium occultum inducit irregularitatem. Respondetur, quòd immediatè & præcisè ob culpam occultam non inducitur irregularitas, nisi in homicidio: nam irregularitas, quæ incurritur in casibus modò positis, non est primaria pœna pro culpa, sed pro violatione prioris pœnæ, scilicet excommunicationis vel suspensionis. sic explicat P. Henri. l. 14. c. 3. n. 2. & in glossa, litera Q.

Sed contra: nam qui rebaptizat, quamuis occultè, fit irregularis; Ideò respondetur secundò, quòd Doctores ideò solum excipiunt homicidium, quia loquuntur de criminibus enormibus (quæ ratione infamiæ inducunt irregularitatem) sicut & tex. ipsi loquuntur, vt constat ex dicto c. vlt. de temporibus ordinatio. & inter crimina enormia si sint occulta, solum homicidium inducit irregularitatem.

Tertia conclusio. Crimina depositione digna, si notoria sint per sententiam, inducunt irregularitatem. Hæc etiã est de mente Naua. in 2. dicto, & P. Henri. c. 5. nu. 2. & probatur: nam talia crimina saltem per sententiam inducunt infamiam iuris.

Quarta conclusio. Crimina depositione digna si notoria sint per confessionem spontaneam in iudicio, vel per euidentiam facti inducunt irregularitatem ante actam pœnitentiam, non tamen post, nisi crimina talia sint quæ ipso facto inducant infamiam iuris, vt crimen vsuræ. Hæc conclusio limitat, vel potiùs explicat secundum dictum Nauarri.

Sed pro vtriusque conclusionis probatione notandum est, quòd cùm de hac re non inueniatur textus expressus (qui tamen necessarius est ad constituendam irregularitatem) nulla via videtur melior ad cognoscendum, quænam crimina inducant irregularitatem, quàm attendere, vtrùm inducant infamiam (vt colligitur ex P. Henri. l. 13. c. 36. in fine.) siquidem omnes criminosi infames tam infamia iuris quàm facti sunt irregulares, & hinc probata manet vtraque conclusio.

Dixi, *in quarta conclusione*, non tamen post: nam infamia facti post pœnitentiam & emendationem vitæ cessat, secus est de infamia iuris, vt diximus dubio 5.

Sed hîc est maximè notandum cum P. Henri. l. 13. c. 36. quòd licèt consuetudine sit abrogatum ius antiquum, quod ipso facto suspendebat clericum publicum concubinarium; at verò ius quod facit irregularem clericum in sacris, infamem propter crimẽ adulterio maius & depositione dignum, non est abrogatum consuetudine.

Ex dictis sequitur, collationem beneficij factam infami infamia facti vel iuris, esse nullam; ita Sylues. verb. infamia. quæ. 3. iuncta quæst. 10. & Panormita. cap. inter dilectos. de excessibus Prælatorum. num. 8. Probatur: nam talis infamia facit irregularem, sed collatio beneficij facta irregulari est nulla, vt diximus disputat. 2. dub. 6. ergo probatur etiam ex c. infamibus. de regul. iur. in 6.

Sed specialiter inquirimus de simonia, vtrùm inducat irregularitatem?

Sit quinta conclusio. Simonia in Ordine si sit notoria, inducit irregularitatem. ita P. Henri. l. 13. de excommunic. c. 35. n. 4. & c. 37. num. 4. Probat, quia est grauius crimen adulterio, & per consequens dignum depositione.

Sexta conclusio. Simonia in Ordine si occulta sit, non inducit irregularitatem; hæc est contra Couarr. Clem. si furiosus. p. 2. §. 3. num. 4. versi. hoc ipsum. est tamen de mente P. Henrici locis modò citatis. & clariùs Nau. lib. 5. Consiliorum, cons. 35. de si-

monia, ad primum argumentum.nec oppositum dicit cons.61.num.9.si attentè legatur. Eandem tenet Villadiego cap. 7.in quantùm dicit, quòd simoniacus in Ordine quamuis occultus, manet suspensus, & si celebret, fit irregularis. Et probatur conclusio, quia non inuenitur textus expressus, qui inducat irregularitatem.

Si opponas ca.inquisitionis. de accusatio.quatenus dicit, quòd simonia in Ordine, etiam post peractam pœnitentiam, impedit, &c. ergo quamuis occultum sit, inducit irregularitatem. Probatur consequentia: nam si solùm induceret irregularitatem ratione infamiæ facti (vt pote quia esset notorium notorietate facti) tolleretur per pœnitentiam, ergo quamuis occulta sit, inducit irregularitatem, sicut homicidium.

Hic textus difficilis visus est mihi. Sed respondetur, quòd ista simonia non inducit irregularitatem sed suspensionem: nam textus dicit, quòd impedit susceptı Ordinis executionem; irregularitas autem directiùs impedit receptionem Ordinis, quàm executionem, vt patet ex disputat. prima dub. 1.

Septima conclusio. Simonia in beneficio etiam publica non inducit irregularitatem ita P.Henri.l.13.c.37.n.5. & Couar. loco modò citato.

Ex dictis sequitur primò, quòd Sodomita occultus non est irregularis. Hæc est contra aliquos Doctores citatos à P.Henriq.l.13.c.36.litera M, sed tenet ipse Henri. ibidem, & l.14.c.5.n.1. litera F, & Nauarr. ca.27.num.248.dicto 4. & patet ex prima conclusione.

Sequitur secundò, quòd si sit notorius, erit irregularis. ita Henri. locis modò allegatis. & probatur, quia est infamis.

Sed quid dicendum est secundùm quemdam motum proprium Pij V. editum contra hoc vitium?

Sit octaua conclusio, quòd hæc Extrauagans non inducit irregularitatem contra clericos sodomitas, sed alias pœnas graviores, nempe priuationem omnis priuilegij clericalis, officij, dignitatis, & beneficij & quòd degradati potestati sæculari tradantur. Primam partem tenet Nau.n.249. dicto 6. & P.Henri.l.14.c.5.n.1.in glossa, litera F, quia inducit depositionem, quæ peior est irregularitate.

Circa quam Extrauagantem notandum est primò, omnes in hoc conuenire, quòd degradatio & traditio potestati sæculari requirit sententiam Iudicis. De priuatione autem priuilegij clericalis, officij, & beneficij est difficultas, quia textus dicit, *priuamus*, quod verbum, cùm sit præsentis temporis, continet sententiam latam, vt dicit ibidem Nau. sed quamuis hoc ita sit, nihilominùs dicēdum est, quòd requiritur sententia Iudicis, sicut requiritur, quamuis lex imponat pœnam ipso facto, vel ipso iure. ita tenet P.Henri.li.14.ca 5.nu.1. in glossa, litera F, & latiùs li.13.c.56.num.2. Et hoc est certius, attendendo aliam clausulam secundi motus proprij incipientis, *Cùm primùm Apostolatus officium* quæ sic ait, *Si quis crimen nefandum contra naturam perpetrauerit, curiæ sæculari puniendus tradatur, & si clericus fuerit, omnibus Ordinibus degradatus simili pœnæ subiiciatur.*

Secundò notandum est, quòd hæc pœna non comprehendit quemcunque clericum sodomitam, sed tantùm exercentem, id est, qui quasi ex vsu continuato id exercet sicut non dicitur artifex, vel mercator, qui semel, aut iterum id exercet, sed qui toties exercet, vt opinione vulgi habeatur pro tali. sic Nau.n.249. dicto 3. & insinuat P.Henr.in glossa citata, litera F.

Tertiò notandum est, quòd P.Henri.c. 5.citato inclinat in hoc, quòd hæc Extrauagans non est recepta in vsu quoad forum interius.

Disputatio V.

De irregularitate proueniente ex homicidio iusto, quæ dicitur irregularitas ex defectu perfectæ lenitatis.

Quam disputationem in tres diuidam sectiones. Prima, de aliquibus, quæ communia sunt irregularitati proueniẽti ex homicidio iusto siue iniusto. Secunda, de irregularitate proueniente ex homicidio facto per Iudicem, & eius ministros. Tertia, de irregularitate proueniente ex homicidio facto causa defensionis.

Sectio I.

De aliquibus, quæ communia sunt irregularitati prouenienti ex homicidio iusto, siue iniusto.

ET primò supponenda est regula generalis, omnem & solum illum esse irregularem, qui iam baptizatus volantariè occidit hominem infidelem, nisi hoc fiat causa sanitatis, vel defensionis propriæ vitæ. Dicitur, *baptizatus*, quia non baptizatus quamuis occidat, non manet irregularis, vt dicit P. Henri. c. 3. num. 7. & Nauar. n. 209. & alij, quos ibi citat. Et hoc non ex eo, quòd non baptizatus sit incapax omnis irregularitatis (est enim capax bigamiæ) sed quia iura tantùm loquuntur de homicidio facto ab homine baptizato, vt patet ex c. si quis viduam. 50. d. & ex c. aliquantos. 51. d. Dicitur, *voluntariè*, quia si homicidium sit omninò inuoluntarium, non inducit irregularitatem, vt si fiat ab amente, vel furioso, vt infrà dicemus. Dico etiam, *infidelem*, quia non requiritur, occisum esse fidelem, vt habetur c. petitio tua. de homicidio. Dicitur, *nisi hoc fiat causa sanitatis, vel defensionis propriæ vitæ*, quia hoc excusat ab irregularitate, vt infrà dicemus.

Secundò notãdum est, quòd in præsenti non solùm dicitur occidere ille, qui simpliciter est causa, quòd alter moriatur, sed etiam qui est causa, quòd citiùs moriatur; nec solùm dicitur occidere ille, qui propria manu occidit, sed etiã ille qui dat causam propinquam morti. Dico, *propinquam*, quia non sufficit dare causam remotam, vt qui conflauit gladium, non manet irregularis ex eo, quòd emẽs illum, postcà eo aliquem occidat, vnde causa propinqua quoad hoc est dictum vel factum, quod sufficienter dirigitur in homicidium inde sequutum, vt rectè Naua. nu. 211. Est autem differentia, quia dum causa homicidij est iusta, erit irregularitas ex defectu perfectæ lenitatis; cæterùm si sit iniusta, erit irregularitas ex homicidio iniusto. Ratio verò, quare homicidium iustum inducit irregularitatem est, quia omnes Ordines referuntur ad sacramẽtum Eucharistiæ, quod est Sacramẽtum pacis Christi sanguine obtentæ; præterea, quia in Eucharistia cõtinetur Christus, qui fuit, & est summè miris; hanc autem pacem & mansuetudinem non satis repræsentat, qui occidit etiam iustè.

Ex dictis sequitur, non esse irregularem eum, qui tendens ad occidendum inimicũ, & inueniens eum mortuum, vt suæ rabiei satisfaciat, amputat caput, vel aliud membrum cadaueris. ita Nau. n. 218. in fine. & n. 222. quia iste non occidit hominem. Et eadem ratione non est irregularis, qui est causa aborsus; quando fœtus non erat animatus anima rationali, vt infrà dicemus.

Tertiò notandum est, quòd ad inducendam irregularitatem non sufficit sola voluntas occidẽdi, nec conatus, imò nec vulnus quantumuis lethale, si non sequatur mors, quamuis sit per miraculum. ita Soto l. 5. de iust. q. 1. art. 9. Sylu. ver. homicidium. 3. q. 1. Medin. in Sum. l. 1. c. 10. §. 10. & ratio est, quia iste reuerã non occidit.

Quartò supponendum est, quantùm ad effectum inducendi irregularitatem, idem esse occidere, & mutilare membrum.

ita Naua nu. 206. §. 3. & n. 218. Cou. Clem. si furiosus. p. 3. in initio. nu. 8. & alij Doctores. & est tex. Clemen. vnica. de homicidio. & cap. 1. de clericis pugnantibus in duello. Vnde breuitatis causa vtemur hoc verbo, *deformare*, quod comprehendit occidere, & mutilare. Quibus suppositis,

DVBITATVR primò, quæ pars hominis dicatur membrum?

Prima opinio est Caiet ni 2. 2. quæ. 65. art. 1. & Soti l. 5. de iust. q. 2. art. 1. non solùm dici membrum, illam partem, quæ habet officium distinctum ab aliis, sed etiam illam, quæ habet officium iunctum cum aliis, vt digitus.

Secunda opinio & probabilior est, illam partem hominis dici propriè membrum, quæ habet distinctum officium ab aliis partibus, vt oculus ad videndum, manus ad palpandum, auris ad audiendum, & sic de reliquis; si autem non habet speciale officium, quamuis opem ferat aliis, non dicitur propriè membrum. Hanc tenet Couarr. loco modò citato. Nau. nu. 206. Villadiego c. 6. num. 2. & ibi Didacus Perez, P. Henri. cap. 8. num. 1. & multi recentiores. Probatur ex Aristotele libr. 10. de partibus animalium. cap. 5. dicente, quòd membra sunt in corpore operationis gratia; colligitur etiam ex Paulo 1. Corinth. 12. dicente, quòd membra in corpore distinctam habent operationem.

Hinc sequitur primò, quòd digitus non est membrum, nec auricula, nec dens, nec etiam testiculi absque membro genitali. ita colligo apertè ex P. Henri. c. 8. num. 4. litera Y.

Sequitur secundò, non esse irregularem eum, qui alteri abscindit articulam, id est, carrilaginem, quia solùm deseruit ad ornatum & tutelam auris, nec qui euellit dentem, vel præscindit digitum, etiam pollicem, vel indicem, vt ait Couarr. corollario 4. nec qui præscindit mammillam fœminæ. sic Couar. coroll. 3. & Bernard. Diaz in sua Pract. cap. 99. in fine.

Tertiò sequitur, posse contingere, quòd aliquis faciat alium irregularem, & ipse non sit irregularis, vt latiùs vidimus disput. 3. dub. 1.

DVBITATVR secundò, vtrùm sit irregularis ille, qui quamuis non amputauit membrum, illud tamen debilitat, vel reddit aridum?

Partem affirmatiuam tenet Syluest. ver. homicidium. 3. qu. 3. part. 3. Panormita. autem varius fuit in hoc, nam licèt in c. 1. qui clerici vel vouentes. tenuerit partem negatiuam; tamen in c. cùm illorum. de sententia excommunicat. tenet affirmatiuam; quæ probatur: nam in iure paria sunt, non esse, & inutile esse.

Sit conclusio, quòd non manet irregularis. ita Nauar. num. 206. §. 3. Soto lib. 5. de iust. quæ. 2. art. 1. Couarru. dicta Clement. p. 3. in initio. num. 9. Villadiego c. 6. nu. 12. vers. digitus autem. & Perez n. 7. P. Henri. cap. 8. num. 4. litera K, qui duo citant multos Doctores. Et probatur propriè loquendo idem est mutilare & detruncare: nam mancus dicitur, qui habet membrum debile & aridum; mutilatus autem vel truncatus dicitur, cui membrum abscissum est, sed qui debilitat, nõ detruncat, ergo nec mutilat, ergo non fit irregularis. Probatur hæc consequentia: nam irregularitas solùm est imposita contra mutilantem, & cùm sit pœna, verba sumenda sunt strictè & in omni sua proprietate. Confirmatur ex cap. sicut vrgeri. 1. quæst. 1. dum ait, quòd verum esset membrum, quamuis sine sanguine, & inefficax esset, & mortuum.

Ad argumentum in contrarium respõdetur, quòd licèt non esse, & inutile esse, paria sint quoad operationem, non tamen quoad effectum inducendi irregularitatem in eo, qui est causa debilitatis. Præterea: nam membrum debilitatum valet, saltem ad decorem.

Ex dictis sequitur primò cum P. Henri. c. 12. nu. 1. quòd Iudex, qui per torturam debilitat membrum, non est irregularis.

Sequitur secundò, quòd qui mutilat mẽbrum aridum, fit irregularis. ita P. Henri. dicto cap. 8. num. 4. litera N, & Dida. Perez

tez num.9.qui citat Panormitanum.

Sequitur tertiò, quòd effusio sanguinis, quantumuis magna citra deformationem, non inducit irregularitatem.

SECTIO II.

De irregularitate proueniente ex homicidio facto à Iudice, & eius ministru.

De quo agit P.Henri.c.12.Naua. num.209.Villadiego c.6.Couar.Clement.si furiosus.p.2.§.5.& Soto li.5. de iust.quæst.1.art.4.

ET imprimis supponendum est, dupliciter aliquem cõcurrere auctoritate publica ad deformationem alicuius. Primo modo, cooperando ad prolationem sentẽtiæ, & hoc modo concurrit Iudex, accusator, testis, tabellio, &c. Secundo modo, cooperando ad executionem sententiæ, vt carnifex, satellites, & alij, de quibus omnibus sigillatim dicendum est. Vnde

DVBITATVR primò, vtrùm omnes qui aliquo istorum modorum concurrunt ad deformationem, sint irregulares?

Conclusio affirmatiua. Ita Soto, Villadiego, Nauarr. P. Henri. vbi sup. & omnes Doctores, & est optimus text.cap. aliquantos. 51. d. ex quo sequitur, sequentes esse irregulares ex defectu perfectæ lenitatis. Primò, Iudex qui iustè profert sententiam, & eius Assessor, & etiam ille qui post latam sententiam suadet Iudici, vt non concedat appellationem. ita Syluest. ver. homicidium. 1. quæst. 8. Dico, *iustè*, quia si procedat iniustè, fit irregularis alterius speciei, scilicet homicidij iniusti. sic Henri.cap. 14. num. 5. & intelligo de iniustitia contra ius: nam quamuis procedat mala intentione, si aliàs seruet ius, non est irregularis homicidij iniusti. Secundò, promotor fiscalis, & accusator, & eius procurator & aduocatus, & etiam testis, non tamen fit irregularis laicus vel clericus, qui defert ad Iudicem crimen, quod non meretur deformationem, licèt delinquentem ob illud iniustè, vel ob alia deformet, dummodò attentis circunstantiis non teneretur credere id euenturum. sic Nauarr.num.214. Tertiò, fit irregularis notarius seu tabellio, qui recipit depositiones testium, vel legit eas, quando publicantur, vel sententiam scribit, vel dictat, vel signat scriptam à famulo, & suo sigillo reddit authenticam, vel eam pronunciat, imò etiam qui scribit vel transcribit sententiam, tanquàm Officialis iustitiæ, vel prædictas literas, quibus iubetur deformatio. sic Henri. num. 2. Antoni. 3. p. tit. 28. cap. 2. ante §. 1. & Nauarr. num. 212. At verò famulus, qui non influit in deformationem, non fit irregularis, licèt faciat transsumptum sententiæ dictatæ à notario, vel informationis, quia isti non influunt moraliter in condemnationem rei, sed materialiter tantùm, & per accidens se habent, sicut non omnes famuli vsurarij concurrunt mortaliter ad vsuras, & consequenter nec omnes tenentur restituere; vnde quamuis teneatur restituere, qui facit contractum, vel scribit rationem dati & accepti, non tamen qui transcribunt scripturam vsurariam, quia hæc non sufficit ad faciendam fidem in foro exteriori. Idem dicendum est de famulo, qui iussus attulit processum notarij, vel tulit equum Iudici associaturo reum. sic Henri.dicto n.2.

Quartò, fit irregularis iurisperitus, qui registrum sumat contra reum ad faciliorem Iudicis instructionem, vel elicit in fauorem fisci dubia, contrarietates, exceptiones, aut nullitates. P. Henri.nu.10. Excusatur tamen ab irregularitate Iudex, qui non protulit sententiam sanguinis, nisi contra absentem rebellem: nam hæc non potest executioni mandari sine noua sententia, & hæc sola influit in deformationem. P. Henri.num.5.

Quintò, sunt irregulares, qui torquent reum, si inde fit, quòd confiteatur crimen,

propter quod deformatur. sic Anton. sup. §. 5. Sylueſt. ver. homicidium. 3. quæſt. 2. part. 2. qui bene limitant, præterquàm in officio ſanctæ Inquiſitionis.

Sextò, omnes qui deferunt reum ad mortem, & qui comitantur ipſum ludicem ad cuſtodiam & defenſionem tam equeſtres quàm pedeſtres, non tamen populus, qui ad ſpectandum aſſiſtit. ita Sylueſt. loco modò citato. Nauar. num. 217. §. 11. P. Henri. num. 2. & etiam qui admonet ſatellitem, vt cautè deferat, ne fugiat. ſic Henri. quod ego intelligo, quando eſt aliqua probabilitas, quòd aliàs reus fugeret, vel liberaretur. Et colligo apertè ex eodem in alio ſimili, num. 3. litera F, & etiam cuſtos carceris, & qui defert ſcalam, vel funes, aut gladium, quo deformetur, & qui hæc vendit ementi ad hunc finem. ita P. Henri. num. 4. litera N, vbi citat alios, & ille qui etiam pio zelo tradit hæc carnifici, vel qui acuit gladium, vt citiùs & cum minori dolore reus moriatur, & etiam faber lignarius, qui facit furcam ad occiſionē malefactoris in particulari, ſecus erit, ſecundùm aliquos viros doctos, quando facit furcam non ad occiſionem alicuius particularis, quia tūc remotè tantùm cenſetur concurrere ad mortem. Et poteſt colligi ex his, quæ P. Henri. ad aliud propoſitum dicit c. 12. n. 4. de adhortantibus in bello. & in num. 7. in fine. vbi ait, non eſſe irregularem, qui inexpertum carnificem docet modum, quo dandus eſt nodus funi, aut voluendus cippus. Quod ego intelligo, quando non eſt aliquis in particulari ſuffocandus, ſicut etiam qui facit in generali legem continentem pœnam mortis, & qui præbet conſilium in communi de aliquo delicto, quod eſt dignum morte, non tamen qui præbet in particulari, vt infrà dicemus.

Septimò, eſt irregularis, qui proiicit ligna, vt reus cōburatur, ſi illa ligna cooperata ſunt ad mortem, vt quia combuſtus viuus, ſecus eſt ſi combuſtus eſt poſt ſuffocationem laqueo, vel ſi mortuus eſt antequàm accenderetur ignis in illa materia. ſic P. Henri. num. 3. Nauarr. num. 217. & clariùs Antoni. 3. par. tit. 28. cap. 2. §. 5. vbi addit, quòd ſi dubitatur de hoc, meliùs eſt ſe reputare irregularem. De illo autem qui defert ligna in campum paratum combuſtioni, quia communiter neſcit vtrùm viuus combuſtus eſt lignis à ſe allatis, P. Henri. num. 4. in gloſſa, litera I, dicit, quòd in dubio excuſatur; idem tenet Medina in Summ. lib. 1. c. 11. §. 10. Probat, quia ſum cauſſa multùm remota. Sed hæc ratio quibuſdam non placet, & meritò: nam ex illa ſequeretur, quòd qui defert ſcalas, vel gladium, vel funem vſque ad furcam, applicanda tamen per aliū, non fieret irregularis, quod tamen eſt cōtra communem Doctorum.

Octauò, eſt irregularis præco, qui præcedit reum, cauſam mortis proclamans. ſic Henri. & qui dicit, deformando, quòd admoueat caput ſtipiti, vel aſcendat ſcalas, ſi ex hoc citiùs admoueat, vel aſcendat. ſic Nauarr. ſup. P. Henri. num. 3. & clariùs Antoni. dicto §. 5. vbi optimè de his tractat. Quòd ſi quis comitans reum ad conſolandum inaduertenter dicat, Eia, pergamus, frater, non intendens acceleratiōnem, vel ſi reus vehitur iumento, & caſu inſtigat iumentum, non fit irregularis, quia talis actus non eſt plenè humanus, & actio inducens irregularitatem debet eſſe plenè voluntaria, nec ſufficit, quòd ſit ſemiplenè. Et præterea in ſecundo caſu reddunt aliam rationem nonnulli Magiſtri, & P. Henri. cap. 12. num. 7. litera F, quia ſcilicet minimum pro nihilo reputatur: idem eſt ſi dicat reo, quòd aſcendat alterum gradum ſcalæ. ſic Henri. ibidem.

Sed notandum eſt, id quod diximus, eſſe irregularem, qui eſt cauſa quòd reus citiùs moriatur, intelligendum eſſe de illo, qui ſuo dicto vel facto eſt cauſa directè & per ſe, quamuis ipſe id non intendat; non tamen eſt intelligendum, ſi ſolùm ſit cauſa per accidens: verbi gratia, ſi aliquis impetret à ludice, quòd reus non ducatur per ſolitas vias, intendens honorem ipſius rei, vel quòd non deferatur

per

per propriam domum, ne mater vel vxor afficiatur tanto dolore, licèt inde contingat, quòd citiùs moriatur, quia ducitur per breuiorem viam: iste enim non fit irregularis, quia effectus per accidens sequutus non imputatur danti operam licitæ rei. sic P. Henrique ibidem, qui etiam ait in eodem num. 7. non esse irregularem sacerdotem, qui dicit carnifici, nemo te impedit facere officium tuum, quia ego iam feci meum in confessione vel exhortatione. Præterea dicimus, quòd pulsans campanam, quando aliquis est furca suspendendus, non est irregularis. sic aliqui Magistri, & Couarru. p. 2. §. 4. numer. 5. versicu. nec tamen admiserint. quia non dat causam proximam, nec remotam morti; dicit tamen ante prædictum versiculum, irregularem esse, qui pulsaret campanam ad seditionem & bellum iniustum; ego addo, quòd si pulsaret ad arma in bello iusto, non esset irregularis. Verùm vt aliqua ex prædictis exactiùs intelligantur,

DVBITATVR secundò vtrùm Inquisitores hæreticæ prauitatis, & alij Iudices ecclesiastici tradentes reum Iudici seculari, à quo deformatur, maneant irregulares?

Conclusio, quòd non est communis, cuius conclusionis duplex est ratio. Prima, quam reddit Couarru. p. 2. §. 5. nu. 6. quia Inquisitores rogant verè & ex animo Iudices seculares, vt misericorditer se gerant cum illo; vnde quando tradunt hæreticum brachio seculari solùm declarant, se functos fuisse officio suo, & hæreticum tanquàm incorrigibilem dimittere à propria iurisdictione. Quæ ratio non solùm habet locum in Inquisitoribus, sed etiam in aliis Iudicibus ecclesiasticis, quia per prædictam protestationem liberantur ab irregularitate, vt patet ex cap. nouimus. de verborum signific. vbi dicitur, quòd quando Prælatus tradit brachio seculari clericum degradatum, ista traditio sic intelligitur, quòd Iudex secularis recipiat eum in suum forum, & quòd Prælatus efficaciter intercedat pro eo, vt non occidatur; vnde sine causa Couarru. format scrupulum in huiusmodi traditione. Secunda ratio est propria Inquisitoribus, quia scilicet eis solùm est prohibita executio mortis. hanc tradit Medina in Sum. lib. 1. cap. 11. §. 10. regula 4. & habetur ex quadam Bulla Pauli IV. concessa Cardinalibus 29. Aprilis, anni 1557. & habetur in Iudiciali Inquisitorum, fol. 474. quam Pius V. confirmauit, & extendit ad omnes Inquisitores, eorúmque Vicarios, Commissarios, & consultores. Ex quo infero

Primò, quòd licèt nullam faciant protestationem, non erunt irregulares. sic P. Henri. num. 5. in glossa, litera B.

Sequitur secundò, quòd si Iudex secularis differat executionem, possunt Inquisitores absque metu irregularitatis instare, quòd exequatur sententiam; hoc est contra Couarru. dicto num. 6. in fine. sed id tenet Medina sup. Tabien. ver. irregularitas. 2. §. 15. & P. Henri. dicto n. 5. in glossa, litera D.

Sequitur tertiò, quòd fiscalis, secretarius, testes & denunciatores, & alij Officiales in tribunali Inquisitionis, licèt nullam faciant protestationem, non sunt irregulares, quia Inquisitores non procedùt ad reformationem.

DVBITATVR tertiò, quando aliquis propter durum & asperum carcerem intra paucos menses mortuus est, vtrùm Iudex, qui eum ibi detrudit, fiat irregularis?

Conclusio affirmatiua. ita Couarru. p. 2. §. 5. num. 7. Sylvest. verb. homicidium. 3. num. 7. part. 10. Angelus ver. irregularitas. num. 21. Tabien. ver. irregularitas. 2. §. 8. P. Henri. cap. 3. num. 7. & Anto. 3. p. tit. 28. cap. 2. §. 6. in fine. qui hoc intelligit, quando carcer est ita arctus & asper, vt verisimile sit intra paucos dies morituros, & eodē modo videtur loqui Angelus. Quòd si talis Iudex sit ecclesiasticus, erit irregularis ex homicidio iniusto. Limitant autem conclusionem Tabien. sup. & P. Henri. cap. 15. num. 4. nisi ea durior pœna imposita

posita esset per legem vel regulam Religionis, cuius executor est Prælatus: tunc enim, inquiunt, excusatur; sed ego valdè dubito de hoc, si persona sit ita debilis vel delicata, vt sit verisimile, quòd breui morietur.

Ex his infero, quòd Iudex ecclesiasticus non potest ferre sententiam durissimi carceris, nec alimentorum, verbi gratia, per vncias, vt condemnatus citiùs moriatur. ita Didacus Perez ad Villadiego cap. 6. nume. 84. & citat Imolam: nam esset virtualiter ferre sententiam sanguinis, quæ tamen clericis est omninò prohibita. can. his à quibus. 23. quæst. 8. & cap. sententiam sanguinis. ne clerici vel monachi.

DVBITATVR quartò, vtrùm Prælatus ecclesiasticus habens temporalem iurisdictionem, maneat irregularis, si præficiat Prætorem, qui postèà deformet delinquentem?

Prima conclusio negatiua. Sic Nauarr. num. 216. Couarru. p. 2. §. 5. num. 8. P. Henri. cap. 12. num. 6. & Doctores, & est text. cap. vltimo. ne clerici vel monachi. in 6. quæ conclusio habet verum, licèt talis Prælatus dicat Prætori, quòd vigilet contra malefactores, & obseruet leges; similiter habet verum, licèt committat Iudici casum in particulari dignum morte. ita Sylvest. ver. homicidium. 3. numer. 7. part. 1. Tabien. verb. irregularitas. 2. num. 5. §. 4. Couarru. sup. Antoni. 3. p. titul. 28. capit. 2. ante §. 1. & Nicolaus Plobius numer. 23. regu. 38. vbi sic ait, *Potest fieri specialis commissio, sed non expressa pœna*, & citat Gofredum. Contrarium tenet P. Henri. num. 6. litera N, & allegat pro se Nauarrum lib. 5. Consiliorum, conf. vlt. de homicidio. Sed Nauarr. tantùm loquitur de Prælato, qui Iudici præcepit, vt manè exequeretur sententiam mortis, quam tulerat. Et nostra sententia efficaciter probatur ex dicto c. vltimo. ibi, *Si homicidio, aut alio maleficio commisso, balibo inungat*, &c. nam verbum, *commisso*, est præteriti temporis; vnde nostram sententiam tenet ibi glossa, & eandem videtur tenere Geminia. numer. 9. Præterea habet verum conclusio, siue talis Prælatus habeat prædictam iurisdictionem ratione beneficij, siue ratione patrimonij. sic Plobius sup. & Geminia. numer. 4. qui probat: nam textus generaliter dicit de Prælato habente iurisdictionem.

Sed peris, si laicus habens temporalem iurisdictionem, faciat prædictam delegationem, vtrùm maneat irregularis?

Sit secunda conclusio negatiua. ita Geminia. & Plobius. Probant: nam si clericus non manet irregularis, ergo nec laicus. videte alia in Geminiano circa primam conclusionem.

Sit tertia conclusio. Si talis Prælatus dicat Iudici, vt hunc furem suspendat, manet irregularis homicidij iniusti. ita Sylvest. P. Henri. & communiter Doctores, & est optimus text. cap. his à quibus, 23. quæst. 8. ibi, *aut inferendas præcipiant*; vnde si consulatur à suo Prætore, quid agendum sit, respondeat, consule peritos & leges. ita Sylvest.

DVBITATVR quintò, vtrùm si prædictus Prælatus condat legem continentem pœnam mortis, fiat irregularis?

Conclusio negatiua. ita Bernard. Diaz in sua Pract. cap. 98. versicu. item tunc. & citat glossam capit. ex lite. de excessibus Prælatorum. verbo, consuluit. & Abbatem ibid. qui licèt non dicant expressè, tamen colligitur ex illis, tenet etiam in simili Tabien. verb. irregularitas. 2. §. 4. in fine. P. Henri. cap. 12. nume. 6. Et probatur, quia lex loquitur in generali, & ideò est causa remota.

Hinc sequitur, quòd possunt clerici consulere Principi, vt condat legem, qua tales delinquentes suspendantur. sic P. Henri. ca. 16. num. 4.

DVBITATVR sextò, quid faciet clericus, quem Iudex consulit de delicto digno morte?

Prima conclusio. Si consulatur in communi (quia tunc imminet casus in particulari) licèt dicat, quòd tale delictum meretur pœnam mortis, non manet irregularis;

gularis; manebit tamen, si casus immineat in particulari. ita Sylvest. verbo, homicidium. 1. num. 12. qu. 8. par. 2. qui citat Hostiensem & Panormitanum. tenet etiam Angelus eodem ver. §. 11. P. Henriq. c. 16. num. 4. & Villadiego cap. 6. num 82. Et secunda pars conclusionis est intelligenda, supposito quòd illud responsum influat in homicidium: nam si non influit, vt quia datum est firmiter parato ad occidendum malefactorem, non incurret irregularitatem, vt à fortiori tenet P. Henriq. sup. nu. 3. in glossa, litera E.

Secunda conclusio. Iste clericus consultus de casu in particulari respondeat, Consule Iurisperitos: hoc enim non pertinet ad me, quia nobis non licet interficere quemquam, vel non possum super hoc consulere. ita Tabien. verbo, irregularitas. 2. §. 4. nec in hoc vltimo inuenio scrupulum, quidquid dicat P. Henrique, num. 4.

Tertia conclusio. Licitè possunt Prædicatores generaliter prædicare, quòd Iudices seruent leges, & quòd debent purgare Rempublicam hominibus perditis. ita Villadiego, cap. 6. numer. 86. versicul. caueant ergo.

Sed quid faciet Confessarius, cui Iudex obligatus occidere malefactorem dicit, se nolle illum occidere?

Quinta conclusio. Sine periculo irregularitatis potest respondere, *Nisi proponas consulere Iuris peritos, & facere quod ipsi dixerint, non te absoluam*; imò dico, quod potest dicere, *Nisi proponas facere, quod teneris secundùm ius, non te absoluam.* sic P. Henrique, cap. 16. num. 4. in glossa, litera S, & aliqui Magistri. Et probatur conclusio; primò, quia directè tantùm intendit mederi animæ pœnitentis; secundò, quia non est auferenda Confessario libertas reddendi rationem, propter quam negat absolutionem.

DVBITATVR septimò, vtrùm sit irregularis Confessarius, qui obligat pœnitentem ad confitendum delictum dignum morte, de quo iuridicè interrogatur?

Conclusio negatiua. sic P. Henriq. cap. 16. num. 4. litera B, & aliqui Magistri. Probatur primò, quia tantùm concurrit (& iustè quidem) ex parte patientis mortem, non ex parte inferentium. Secundò, quia ipse tantùm intendit cõsulere animæ pœnitentis, & mors sequuta est per accidens, & præter eius intentionem. Idem dicendum est, si consulat reo consentire sententiæ mortis iustæ, & ne appellet iniustè; at verò si consulat omittere appellationem iure concessam, esset causa mortis, vel accelerationis, & consequenter irregularis. sic P. Henrique.

DVBITATVR octauò, vtrùm reus, & eius Aduocatus maneant irregulares, quando accusator defecit in probatione, & punitur pœna talionis, scilicet morte, vel mutilatione?

Prima conclusio. Si reus & eius Aduocatus petierunt accusatorem puniri pœna talionis, manent irregulares, secus verò si id non petierunt, sed solùm tractarunt de sua defensione. Primam partem tenet expressè Couarr. par. 2. §. 5. num. 5. versic. 12. Bernard. Diaz num. 20. P. Henriq. cap. 12. nume. 10. litera G, & in hoc casu intelligendus est Sylvest. verbo, homicidium. 3. num. 3. par. 1. Secundam verò partem tenet etiam Bernard. Diaz, & Anton. 3 par. tit. 28. cap. 2. §. 1. Couarru. & aliqui Magistri. Et videtur mihi certa, & eam tenet etiam P. Henri. qui aduertit, quòd si clericus Iurisperitus ex pietate patrocinetur pro reo, caueat obiicere accusatori exceptionem de calumnia, ne fortè damnetur pœna talionis.

Secunda conclusio. Quamuis accusator damnetur pœna talionis, & occidatur eius Aduocatus, non manet irregularis, quia ipse non se tenet ex parte Iudicis, nec rei, sed ex parte accusatoris, eum defendendo, & insequendo accusatum. Quæ conclusio est vera, licèt talis Aduocatus sit clericus in sacris, contra Villadiego, cap. 6. num 32. versicul. sed de Aduocato. Probo: nam licèt in hoc delinquat, & possit ab ordinario puniri, vt ait Bernardus,

num. 10. in fine. tamen mors non sequitur ex eius patrocinio. Et hoc intelligo, si nó fuit in culpa; at verò si propter eius imperitiam vel incuriam accusator occisus est, erit irregularis, licèt sit laicus, vt bene ait Villadiego versiculo & hoc limita.

DVBITATVR nonò, vtrùm accusator excusetur ab irregularitate per protestationem, qua protestatur se non intendere, quòd accusatus puniatur pœna sanguinis, scilicet homicidij vel mutilationis, sed tãtùm quòd fiat sibi satisfactio, vel quòd impediantur mala imminentia?

De quo tractat optimè Couarru. par. 2. §. 5. & Bernardus Diaz in sua Practica, cap. 98.

Sit prima conclusio. Prælati vel clerici, qui accusant aliquem in causa criminali ex qua sequitur mors, excusantur ab irregularitate, si expressè faciant prædictam protestationem. ita Couarru. & Nauarr. cap. 27. num. 213. Caiet. 2. 2. quæst. 33. artic. 7. & communiter Doctores, & est text. cap. Prælatis. de homicidio. in 6. Circa quam conclusionem notandum est, quòd hæc protestatio excusat etiam in sequentibus casibus. Primò, non solùm quando clerici denunciant, sed etiam quando verè & propriè accusant. ita Soto. lib. 5. de iust. qu. 5. artic. 1. ad 4. & Gemini. dicto cap. Prælatis. qui etiam citat Ioannem Andream. Secundò etiam excusat, quamuis non fiat simul cum ipsa accusatione, sed posteà coram Iudice ante prolationem sententiæ. ita Couarru. sup. numero 1. dicto 4. & expressiùs P. Henrique, cap. 11. numero 5. Emanuel cap. 170. concluf. 7. & Magistri, & est de mente Felini cap. cùm Ferrariensis. de constitutionibus, numero 54. Vbi tractans de protestatione in communi sic ait, *Sufficit protestari quandocumque, dummodò ante perfectum actum.* & allegat Bartol. Ioannem Andream, & alios. Et probatur: nam secundùm Couarru. ratio quare clericis prohibita est accusatio in causa sanguinis absque protestatione est, quia per accusationem sine protestatione censentur intendere mortem accusati, sed per protestationem postea factam reuocat voluntatem mortis, quam visus fuerat habere, ergo liberatur ab irregularitate, sicut liberatur, qui mandauit homicidium, & ante executionem mortis reuocat mandatum. Tertiò etiam excusat, quando clerici accusant non solùm pro iniuria vel damno illato suis personis, sed etiam suis rebus. ita Nauar. num. 226. & communis, & habetur ex dicto cap. Prælatis. ibi, *alias daretur materia trucidandi eosdem, & ipsorum bona liberè depradandi.* Hunc autem casum limitant Sylvest. verbo, homicidium. 2. quæst. 8. & Tabien. verbo, irregularitas. 3. §. 8. quando alio modo non posset recuperare bona sua; sed P. Henrique cap. 11. numero 4. in glossa, litera M, ait hanc limitationem non esse necessariam. Et probo: nam ius absolutè concedit hanc facultatem clericis, & irregularitas non incurritur nisi in casibus à iure expressis. Etiam excusatur clericus, si denunciet eos qui damnificarunt in sua Ecclesia; sic Emanuel cap. 170. concluf. 6. nam talis causa pertinet ad ipsum. Quartò excusat, non solùm quando clericus accusat, sed etiam quando reum detinet, & Iudici tradit. ita P. Henri. cap. 12. num. 8. & expressiùs Nauar. num. 226. Couarru. versic. 10. Sylvest. verbo, homicidium. 3. quæst. 5. part. 6. & Bernardus Diaz, num. 17. Quintò excusat protestatio, licèt ficta sit, & accusator habeat voluntatem, quòd accusatus occidatur. Hoc est contra Nauarrum modò citatum dicentem, quòd licèt iste in foro exteriori excusetur ab irregularitate, non tamen in interiori, & citat Ioannem Andream, & Geminian. idem tenet Sylvest. verbo, homicidium. 2. numero 7. quæst. 8. & Bernard Diaz, numero 15. Sed nostram sententiam tenet Paz in sua Pract. sup. tom. 1. cap. 3. numero 25. Couarru. numero 2. versic. 6. Felin cap. postulastis de homicidio. in fine. Tabien. verbo, irregularitas. 3. §. 8. P. Henri. cap. 11. circa finem. Et probatur; irregularitas solùm est inducta iure ecclesiastico, & non incurritur per solum actum interiorem, sed per illam protestationem exterio

exteriorem excusatur secundùm ius, ergo non incurrit per interiorem intentionem: nam hæc intentio non influit exteriùs in homicidium.

Ex quo infero cum Couarru. versic. 7. quòd si non protestatur exteriùs, quamuis interiùs habeat animum, quòd reus non occidatur, erit irregularis. idem tenet Bernardus Diaz numer. 16. Sextò, prædicta protestatio etiam excusat laicum accusantem de crimine digno morte. Probatur: nam si excusat clericum, ergo à fortiori laicum; solùm est differentia, quòd si clericus omittat protestationem, erit irregularis ex homicidio iniusto; at verò si laicus omittat, erit irregularis ex defectu perfectæ lenitatis, vt tenet Nauarr. num. 213. in fine. Et probatur: nam clericis prohibitum est accusare in causa sanguinis sine protestatione, vt patet ex cap. postulasti, de homicidio, iuncto dicto cap. Prælatis, vt aduertit glossa eod. cap. postulasti. in fine.

Dixi in conclusione, *si expressè faciant protestationem*, quia non sufficit tacita. ita glossa dicto cap. Prælatis. verbo, protestando. Bernardus Diaz num. 9. & est de mente Doctorum. & probatur ex ipso textu, ibi, *protestanda expressè*.

Secundò notandum est, prædictam protestationem non esse necessariam in sequentibus casibus. Primò, si accusator accusat de crimine leui, quamuis Iudex excedens limites iustitiæ, occidat accusatum. ita Couarru. versiul. 9. Bernard. Diaz num. 13. & aliqui Theologi. Hinc infertur cum Couarru. versic. 8. & cum glossa dicto cap. Prælatis. & aliis Doctoribus, quòd à fortiori excusabitur accusator in isto casu, si præmittat protestationem. Et probatur, quòd non requiratur protestatio, quia malitia Iudicis non debet nocere accusatori.

Secundò, non est necessaria, quando accusat de crimine leui, & tamen reus in carcere detentus propter delicta ab aliis cumulata punitur morte. ita P. Henrique, cap. 12. num. 8. in fine. & vtrumque casum ponit Nauarrus numer. 214. §. 5.

Tertiò, in causa ciuili, licèt ex accidenti contingat, quòd Iudex secularis, vel eius ministri accusatum contumacem & resistentem occidant. ita Couarr. versic. 5. Bernardus Diaz num. 12. & fatet c. postulasti, de homicidio.

Quartò, quando accusatio sit in tribunali Inquisitionis, vel in alio tribunali ecclesiastico. ita Bernardus Diaz nume. 14. & P. Henrique, c. 11. n. 5. Probatur, talis accusator non censetur concurrere ad mortem magis, quàm ipse Iudex ecclesiasticus, sed Iudex relaxando reum non concurrit ad mortem, ergo nec accusator.

Sit secunda conclusio. Prædicta protestatio etiam est necessaria, quando Prælatus vocat brachium seculare in defensionem Ecclesiæ suæ. sic P. Henrique, cap. 12. circa finem.

DVBITATVR decimò, vtrùm excuset protestatio, quando clericus accusat criminaliter, & petit vindictam citra deformationem?

Et videtur quòd sic: nam sicut non censetur causa mortis, quando agit ciuiliter, si protestetur, ergo nec etiam censebitur, si accusat criminaliter, petendo, quòd puniatur citra deformationem.

Conclusio, quòd non excusat, atque adeò sequita deformatione manet irregularis. ita P. Henriq. cap. 11. num. 4. litera N, Nauarr. lib. 5. Consiliorum, cons. 9. de homicidio. numer. 4. iuncto cons. 36. in solutione ad 2. Didacus Perez ad Villadiego capit. vlt. post finem. versic. quæritur clericus. & citat Ancharanum dicto cap. Prælatis. tenet etiam Felin. capit. postulasti. de homicidio. vbi ait, quòd protestatio excusat, dummodò clericus ciuiliter, vel criminaliter agens prætendat interesse. Probatur: nam cap. Prælatis. dicit, *querelam*; querela autem dicitur, quando agitur de crimine ciuiliter, vt notat ibi Geminian. in princip. nec obstat praxis, quòd clerici in principio libelli dicunt, accuso criminaliter: nam in fine tandem prætendunt solum interesse.

Ad argumentum in contrarium negatur consequentia: nam si semel petit vindictam, non est in sua manu limitare pœnam, maximè si sit iure statuta, atque adeò cùm Iudex puniat tunc ad instantiam accusatoris, accusator erit causa deformationis, & consequenter protestatio nihil proderit tanquàm contraria facto, vt inquit Didacus Perez.

Quæ autem forma sit seruanda in ponenda ciuili accusatione, tradit Ant. Gom. tom. 3. Variarum, c. 6. n. 7.

DVBITATVR vndecimò, vtrùm prædicta protestatio excuset clericum accusantem coram Iudice seculari pro iniuriis alienis dignis morte?

Pro solutione supponendum est, quòd iniuria vel est iam illata, vel non est illata, sed imminet.

Sit prima conclusio. Sicut potest clericus cum protestatione accusare malefactorem de iniuria vel damno sibi illato, ita etiam potest accusare de iniuria vel damno illato suis domesticis vel propinquis. ita Couarr. dicto §. 5. n. 4. vers. 11. P. Henrique, c. 11. n. 4. & aliqui Magistri. Probatur: nam damnum illatum domesticis & propinquis reputatur proprium.

Secunda conclusio. Si accuset de iniuria iam illata, si talis iniuria sit aliena, quia nec est illata sibi, nec domesticis, nec propinquis, quamuis protestetur, manet irregularis. ita Couar. vers. modò citato. Felin. cap. postulasti. de homicidio. Bernar. Diaz num. 7. Nauar. n. 213. & n. 218. §. 12. vbi dicit, esse communem, & probatur ex dicto cap. Prælatis. ibi, *de suis malefactoribus*; & ibi, *emendam sibi fieri.*

Tertia conclusio. Si iniuria non sit illata, sed immineat, vel contra Rempublicam, vel contra priuatum hominem etiam extraneum, potest clericus præmissa protestatione denunciare absque metu irregularitatis, dummodò non possit aliter impedire tale damnum. ita placet Caieta. 2. 2. q. 33. art. 7. Bannez ibidem. dub. 7. Soto relect. de tegendo secreto, memb. 2. quæst. 4. conclus. 2. in fine. Nauar. cap. inter verba, conclus. 6. n. 154. & c. 27. n. 213. Cou. loco modò citato. P. Henrique, cap. 12. nu. 8. & Doctores communiter. Probatur ex c. accusati. de accusationibus. ibi, *nisi pro pace.* P. Molina tom. 1. de Iust. tract. 2. disp. 109. post 3. conclus. §. illud etiam. dicit, quòd in isto casu non requiritur protestatio. Et optimè probat: nam quòd in hoc casu, in quo iure non tenetur denunciare, non incurratur irregularitas, vim habet ante ca. Prælatis. quia hic casus nunquàm fuit comprehensus legibus ecclesiasticis, sed protestatio solùm est necessaria in casu, in quo illa secluſa incurreretur irregularitas, & cùm in isto ca. nec in alio statuatur quòd in hoc casu adhibeatur protestatio ad effectum euitandi irregularitatem, fit consequens, protestationem non esse necessariam. Sic noster P. Molina.

Secundò, probant Caiet. Soto & Bannez: nam licèt Ecclesia aliquando prohibeat clericis, quod aliàs licitè fieri posset, nunquàm tamen prohibet illis, nec laicis id, ad quod ipsi aliàs tenentur iure naturali vel diuino, sed in isto casu tenentur denunciare, ergo.

Dixi, *dummodò non possit aliter impedire tale damnum*: nam si posset impedire non denunciando delinquentem, debet tacere.

Vltimò nota, quòd P. Henrique, c. 12. n. 8. dicit, quòd potest clericus accusare cum protestatione de dãno illato Reipublicæ, quod reputatur proprium; hoc autem ego intelligo, quando damnum est reparabile pecunia, vt si compilauit publicum ærariũ: nam tale delictum semper est veluti in fieri, quandiu non restituitur damnũm, non tamen intelligo, quando damnum non est hoc modo reparabile, vt quãdo quis commouit seditionem in Rempublicam, & delictum iam est finitum. Probatur: nam textus dicit, *nisi pro pace*, & Doctores citati dicunt, quòd solùm licet clericis accusare pro vitando damno imminenti Reipublicæ vel personæ priuatæ.

DVBITATVR duodecimò, vtrùm Aduocatus & testis excusentur ab irregularitate per protestationem?

Prima

Prima conclusio. Aduocatus non excusatur. tenet Graphis lib.2.cap.62.num. 45. & citat Abbatem in cap. de cætero. de testibus.& Imol.in cap. 1.de postul. P. Henrique,cap. 12. num.8.& Couarru. numer.5. versic. 12. qui dicit esse communem. Probatur:nam dictum caput,Prælatis.tantùm loquitur de accusatore, ne clerici iniustè patiantur iniurias; ergo hæc constitutio non habet locum in Aduocato,in quo nec verificantur verba textus, nec intentio Pontificis.

Secunda conclusio.Nec etiam testis excusatur.ita P.Henri. num. 9. Iulius Clarus li.5.q.24.n.8.Couar.n.5.vers.13.& vterque dicit esse communem,tenet etiam Bernar. Diaz num.21.& Felin.in cap. postulasti. de homicidio. Probatur tum ratione facta pro prima conclusione, tum etiam: nam testis est vnum de requisitis, ob quæ mors infertur, & ideò suo testimonio influit in sententiam.

Ex quo rectè infert P. Henrique, quòd licèt sint multi testes, omnes manent irregulares,imò Bernardus Diaz nume.21. dicit, quòd nemo est qui tantùm cooperetur sanguinis iudicio, quantùm ipse testis, super cuius attestatione firmatur sententia. Hinc etiam sequitur, quòd promotor fiscalis non excusatur per protestationem. sic P. Henrique,cap.12.n.8.sed duo restant notanda.

Primum,quòd prædicta habent verum, quamuis isti patrocinentur, testificentur, vel accusent coacti metu cadente in virum constantem. ita P.Henri cap.11.num. 4. & c.12.n.9.Tabien.verb.irregularitas.2.§.22. Armil ver.irregularitas,n.37.&Bern.Diaz c.99.n.21.Quod probatur primò: nam isti concurrunt ad homicidium voluntariũ ex parte Iudicis,qui sponte sumpsit officium. Hanc rationem tangit P.Henri. dicto n.9. Secundò probatur ratione, quam tangit Tabien.scilicet quòd Clem.si furiosus: solùm liberat ab irregularitate eum, qui occidit ipsum aggressorem; at verò hic testis occidit reum propter metum incussum ab alio.& hæc ratio magis placet.

Verum est, quòd quamuis iste testis sit clericus, excusabitur à peccato, & ideò erit irregularis ex defectu perfectæ lenitatis.

Secundum notabile,quod aliqui Theologi dicunt, esse satis probabile, quòd in casibus,in quibus testis tenetur iure naturali se offerre ad testificandum, non fit irregularis præmissa protestatione; idem significat P. Henri.cap.12.num.9. in fine. & mihi etiam videtur valdè probabile: nam ius concedens hoc priuilegium clerico accusatori, censetur consequenter concessisse testi in hoc casu, ne priuilegium reddatur inutile. Exemplum est, vt quando tenetur testificari ad liberandum à morte iniustè accusatum, vel quando tenetur testificari, ne ille, qui iustè accusauit machinantem contra Rempublicam, deficiens in probatione puniatur pœna talionis. Ad idem pertinet quod dicit P.Henri. ca.19.n. 7.litera N,de clerico,qui compulsus à Prælato testificatur in causa aliena:nam si non loquatur in casu,in quo clericus iure naturali tenetur se offerre in testem, magis inclino,quòd erit irregularis.

Sed contra hoc secundum notabile est argumentum. Quamuis Iudex teneatur occidere malefactorem, fit irregularis,ergo idem erit in teste,quamuis teneatur ferre testimonium. Respondetur, diuersam esse rationem: nam Iudex ipse se iniecit voluntariè in eam obligationem, quando sponte sumpsit officium,secus est in teste.

DVBITATVR decimotertiò,vtrùm clericus licitè possit ferre testimonium in causa sanguinis?

Prima conclusio negatiua. ita D. Tho. 2.2.q.7.art.1.ad 3.Soto li.5. de iust. quæ.7. art. 1.in fine.& latiùs Bernard. Diaz in sua Pract.cap.99.num. 21. vbi citat glossam in cap.testimonium.11.q. 1. &in cap. de cætero. de testibus. Probatur: nam generaliter prohibitum est clericis iudicium sanguinis. capit.his à quibus.23.q. 8.sed testis multùm cooperatur ad sententiam sanguinis, vt vidimus dub. præcedenti, ergo. Et intantùm est vera conclusio, quòd licèt

de facto non fuerit sequuta sententia sanguinis, sed alia mitior arbitraria, nihilominus clericus pro modo culpæ puniendus est arbitrio Iudicis. Ita Bernard. Diaz, qui dicit, ita se vidisse receptum: Præterea est adeò vera conclusio, vt Prælatus non possit concedere licentiam ad tale testimonium, & quamuis de facto concedat, non est illi obtemperandum, sic Bernardus num. 26. vbi citat alios, non tamen procedit conclusio, quando in causa, licèt criminali, non tamen agebatur de pœna sanguinis. sic Bernardus num. 22. Præterea est intelligenda conclusio, quando clericus fert testimonium contra reum, secus verò si ferat in eius fauorem, quia hoc non est prohibitum, & hoc quamuis ex tali testimonio, quod directè tendit ad probandam innocentiam rei. Ex accidenti tamen, quia deregitur accusatoris calumnia, punitur pœna talionis. ita Bernard. numer. 22. nam hæc mors sequitur per accidens ex eius testimonio. Vt autem clericus pro reo testificetur, requiritur licentia Prælati, & ita seruari in praxi testatur Franciscus Marantа relatus à Bernardo Diaz, quæ licentia, ab Episcopo, vel eius Vicario concedenda est maturo iudicio, & præuia causæ cognitione, sic Bernard. num. 23.

Ex dictis infertur secunda conclusio, Clericus non potest cogi ferre testimonium in causa sanguinis. ita D. Thom. sup. Didacus Perez ad Villadiego cap. 6. nu. 90. & latiùs in additio. ad capit. vlt. pag. 186. versicul. deinde dubitatur. vbi citat Innocentium & alios. Probatur, quia nemo potest cogi ad illicitum, imò Ioan. Andreas, & Guido Papæ citati à Bernardo dicto ca. 99. in fine. dicunt, nec laicum aspirantem ad clericatum cogi posse in foro seculari ad ferendum testimonium in causa sanguinis. idem tenet P. Henriq. cap. 12. num. 9. sed Bernardus ait, non esse receptum in praxi forensi.

DVBITATVR decimoquartò, vtrum peccet mortaliter clericus, si deliberatè faciat aliquid, ex quo maneat irregularis. Nauar. num. 226. solùm dicit, quòd peccat.

Sit conclusio. Non eo ipso quòd clericus faciat aliquid deliberatè, ex quo maneat irregularis, peccat mortaliter. ita P. Henriq. cap. 12. num. 4. litera T; & aliqui iuniores, vt si dicat fatelliti, quòd propereret, vel eo, quòd admoneat caput stipiti, & similia. Probatur: nam licèt prohibitum sit clericis, ne se immisceant in causa sanguinis, tamen hæc materia est leuis; at verò si esset Iudex vel Aduocatus, peccaret mortaliter, quia violaret præceptum in re graui; & Bernardus Diaz cap. 99. numer. 4. etiam ponit exemplum in clerico, qui accusat sine protestatione, de quo tamen dubius manet Didacus Perez in addit. ad ca. vlt. versi. sed quæro. pag. 183. vbi de hoc latè agit.

Præterea potest contingere, quòd ratione damni sequuti peccet mortaliter, vt si sit Parochus, & ex hoc quòd sit irregularis, sequatur grauo damnum suis, ouibus.

DVBITATVR decimoquintò, vtrum qui deregit malefactorem, vel clamat, adesse latrones, fiat irregularis morte sequuta?

Prima conclusio. Qui deregit malefactorem iis, quos sciebat illum quærere ad mortem, manet irregularis, secus est, si nesciuit, nec suspicatus est. ita Villadiego cap. 6. num. 51. versi. quòd si clericus. Nauar. num. 217. §. 12. Conarru. 2. par. §. 5. nume. 1. versicul. primò illud. vbi citat alios, secus ait Couarru. si solùm det signa, vt cognoscatur fur, qui comprehensus à Iudice fuit mutilatus, & habetur ex cap. tua nos. de homicidio. §. vlt. Probat Couarru. nam illa signa non effecerunt aliquod genus probationis, sed tantùm leue quoddam indicium, quod solùm reputatur causa remota mutilationis. Etiam manet irregularis, qui quamuis non deregat directè, deregit tamen indirectè, vt si fur non poterat ire nisi per duas vias, & interrogatus qua via pergit, respondeo, non iuit per hanc. sic Angel. verbo, irregularitas. qu. 4. Sylues. verbo, homicidium. 3. qu. 7. part. 6. P. Henriq. cap. 12. num. 9. litera A, & Di-

dacus

dacus Perez post versiculum modò citatum ex Villadiego. Et etiam ille, qui videns furem, clamat, latrones, latrones, ex quo aduertit, imminere periculum, quòd comprehendatur à Iudice, aut ab homine priuato occidatur. ita Nau. n. 236. nisi id faceret ob defensionem propriæ vitæ. sic Anton. 3. par. tit. 28. c. 2. §. 2. Sylues. q. 7. citata. part. 4. Henriq. c. 12. n. 3. qui addit, non excusari ex eo, quòd faciat protestationem ad concurrentes: nam protestatio non prodest, si fiat ad alios, quàm ad Iudicem, & Couarr. num. 2. versic. 8. qui tamen addit, rem esse sibi satis dubiam, de qua etiam dubitant Ananias, Socinus & Felinus ab eo citati, & ego etiam valdè dubito, imò multùm inclino, quòd non est irregularis: Primò, quia meritò potuit præsumere, quòd superuenientes, cùm non essent iniuriati, non occiderent, maximè attenta protestatione. Secundò, quia ipse non peccauit clamando, vt recuperaret sua, ergo mors sequuta præter, imò contra eius intentionem, non est sibi imputanda.

Notandum est tamen cum Nauar. num. 236. quòd si laicus faciat prædicta, erit irregularis ex defectu perfectæ lenitatis; si clericus, erit irregularis ex homicidio iniusto.

DVBITATVR decimosextò, vtrùm qui assistunt ad executionem sententiæ mortis maneant irregulares?

Prima conclusio, quòd non manent irregulares, nisi habeant temporalem iurisdictionem. Est communis, tenet Sylvest. verbo, homicidium. 1. q. 11. part. 3. & eam supponit P. Henriq. cap. 12. nu. 10. litera B, & Villadiego cap. 6. nu. 48. Probatur: nam per assistentiam non cooperantur ad mortem; quæ conclusio intelligitur tam de laicis quàm de clericis. Dixi, *nisi habeant temporalem iurisdictionem*: nam si Prælatus illam habens assistat præbens sua præsentia autoritatem suo Prætori, dum fert vel exequitur sententiam sanguinis, fit irregularis. sic Tabien. ver. irregularitas. 2. nu. 5. Villadiego, Sylvest. & Henriq. locis modò citatis. Probat Sylvest. ex cap. ex literis. de excessibus Prælatorum. Verum est, quòd non eo ipso quòd talis Prælatus assistat, censetur præbere autoritatem illi facto, vt si interfit ad consolandum, imò licèt assistat ex curiositate, quamuis peccet, non erit irregularis saltem in foro interiori, si quidem non intendit præbere autoritatem illi actui.

Secunda conclusio. Clerici assistentes absque rationabili causa peccant. ita Villadiego sup. Panormit. & glossa in cap. sententiam. ne clerici vel monachi. quam Nauarrus num. 214. dicit esse communiter receptam, qui eam meritò limitat ad clericos in sacris, & beneficiarios. Et licèt Villadiego dicat, quòd peccant grauiter, ego tamen firmiter iudico, quòd non peccant mortaliter, sed venialiter, propter paruitatem materiæ.

SECTIO III.

De irregularitate prouenient ex homicidio causa defensionis.

De quo tractat Anton. 3. p. titul. 24. cap. 2. §. 1. Sylvest. verb. homicidium. 3. Couarru. 3. p. §. vnico. Nauar. num. 211. Villadiego cap. 6. à num. 70. per aliquot sequentes, & P. Henriq. cap. 10.

DVBITATVR primò, vtrùm qui defendendo propriam vitam cum moderamine inculpatæ tutelæ occidit inuasorem, sit irregularis?

Quæ difficultas potest procedere secundùm ius antiquum, vel secundùm nouum. Et quidem loquendo secundùm ius antiquum, erat magna controuersia: nam prima opinio dicebat, quòd erat irregularis. hanc tenuerunt quidam Doctores relati à glossa in c. sicut dignum. de homicidio. verbo,

verbo, consilium. Caietanus 2.2. qu. 64. art. 7. circa ad 3. D. Tho. & 3. p. q. 89. art. 3. Soto in 4. dist. 25. q. 1. art. 4. & alij, & pro eadem citatur D. Thom. locis modò allegatis.

Secunda opinio est, quòd non manebat irregularis. ita glossa Clement. si furiosus. de homicidio. verbo, & idem. vbi citat Hostiensem dicentem, quòd suo tempore Clemens IV. & curia sic tenebat; tenet etiam Nau. num. 255. P. Henriq. n. 2. litera L; eandem significat Soto l. 5. de Iust q. 1. art. 8. ad 3. inquantùm conatur declarare c. citatum pro prima opinione, ita vt non contradicat huic secundæ, & hanc amplectuntur aliqui iuniores.

Sit prima conclusio. Secunda opinio est mihi probabilior: nam Clem. si furiosus. non continet verba inducentia ius nouum, sed explicantia ius antiquum, ibi, *& idem censemus, &c.*

Loquendo de iure nouo, sit secunda conclusio, quòd non manet irregularis. Quæ conclusio est certissima: nam est determinata in dicta Clemen. sed in contrarium est argumentum. Concilium Triden. sess. 14. cap. 7. de reformatio. loquens de homicidio, quod contingit vim vi repellendo, dicit, quòd dispensatio committatur ordinario, ergo supponit, quòd tale homicidium inducit irregularitatem. Respondetur, Concilium loqui in casu, quòd excessit moderamen inculpatæ tutelæ, quia scilicet aliter poterat se defendere. Vbi maximè aduertendum est, quòd si excessus in sui defensione non sit mortalis, sed tantùm venialis, non induceret irregularitatem. ita P. Henriq. cap. 3. nu. 1. iuncta glossa, litera B. Et probatur: nam ad irregularitatem, quæ est pœna, requiritur culpa mortalis, vt diximus disput. 1. Præterea notandum est, hanc conclusionem etiam habere verum in sequentibus casibus. Primò, quando aliquis non potens per se ipsum se defendere, præbet a. na alteri tertio, vt ipsum defendat: non enim manet irregularis, quamuis tertius occidat aggressorem. ita Nauar. nu. 212. P. Henriq. cap. 10. num. 3. Probatur, non manet irregularis occidendo propria manu, ergo nec occidendo per manum alterius. Vtrùm verò iste tertius maneat irregularis? infrà dicemus. Secundò habet verum, quamuis admisceatur animus sumendi vindictam. hoc est contra Villadiego cap. 6. nume. 71. versic. circa se defendentem. sed tenet P. Henrique, num. 2. in fine. nam occisio exterior est necessaria, vt suppono, ad defendendam propriam vitam, sed actus interior non sufficit ad inducendam irregularitatem, sicut diximus sect. præced. de protestatione ficta, ergo. Tertiò habet verum, quando occidit inuasorem ad vitandam mutilationem membri. hoc est contra Villadiego nu. 75. versic. secundus ergo. Sed nostram sententiam tenet Didacus Perez ibi. Cardinalis Clement. si furiosus. Couarru. 3. p. §. vnico. num. 2. Sylvest. ver. homicidium. 3. q. 4. part. 1. Nauar. num. 111. P. Henri. num. 3. & alij communiter: nam in iure mors & mutilatio æquiparantur in fauorem patientis, vel in regularitate. P. Henri. addit idem esse, si occidat inuasorem ad vitandum periculosum vulnus, vel grauem deformitatem vultus; aliqui iuniores tenent contrarium. Mihi videtur vera opinio Patris Henriq. quantùm ad vulnus periculosum, siquidem est medium de se tendens aliquo modo ad mortem; & idem dico, si timeret debilitationem brachij, quia in fauorem patientis potest æquiparari mutilationi; at verò quantùm ad deformitatem vultus, oppositum teneo cum Nauar. in Hispan. num. 224. nam talis deformitas potiùs inducit ignominiam, quàm mutilationem.

Sed petis, vtrùm conclusio habeat verum in eo, qui verbis vel factis iniuriando alium, dedit occasionem rixæ?

Nauar. l. 5. Consiliorum, cons. 33. de homicidio, tenet, quòd manet irregularis; sed contrarium credo verius cum Mercado li. 6. de contractibus, c. 4. pag. 11. versic. *est privilegio.* & est de mente Patris Henrique, ca. 10. in fine. Et bene probat Mercado, quia ista iniuria non dedit alteri ius, vt se vindicaret propria manu.

DVBITATVR secundò, quis dicetur non posse aliter vitare mortem, nisi occidendo inuasorem vel (quod idem est) quis dicetur occidere inuasorem cum moderamine inculpatæ tutelæ?

Prima conclusio. Quantùm ad effectum vitandi irregularitatem, ille dicitur non posse aliter se defendere, qui nec fuga, nec clamore, nec alia via potest se defendere, nisi occidat, vel mutilet inuasorem. ita glossa dicta Clem. si furiosus. & c. suscepimus. de homicidio. quas sequitur Naudicto num. 211. & alij communiter. Quæ conclusio intelligatur, supposito quòd aggressio sit iniusta: de hac enim intelligenda est Clem. si furiosus. vt bene ait Sylues. dicta quæst. 4. part. 3. & Tabien. verb. irregularitas. 2. §. 26. vnde si aliquis inuasus à ministris iustitiæ, illos occidat, vt se defendat, sit irregularis. sic P. Henri. n. 4.

Sed notandum est, non requiri, quòd arma sint omninò æqualia inuadentis & inuasi, sed debet attendi qualitas personarum, vt bene dicit Villadiego sup. numer. 71. & citat gloss. l. 1. C. vnde vi.

Secunda conclusio. Licitum est vti præuentione: non enim requiritur expectare primum ictum, sed eo ipso quòd est in probabili discrimine mortis, potest occidere. Vnde si quis videat inimicum contra se venientem euaginato gladio, potest illum sagitta, vel alio instrumento è longinquo emisso occidere; & si quis vnum, vel plures latrones inuadentes illum, occidat sagitta, vel sclopo, non fit irregularis, imò per foramen potest occidere inuasorem. sic Villadiego numero 73. & citat Abbatem in cap. significasti. el 2. de homicidio.

Tertia conclusio. Qui potest euadere mortem vulnerando tantùm, si occidat, fit irregularis, quia excedit modum inculpatæ tutelæ. ita Sylvest. dicta quæst. 4. part. 1. Medina in Sum. lib. 1. cap. 10. §. 10. regula 4 & P. Henrique qui bene limitat cũ Sylvestro, nisi adhibita sufficienti diligentia occidat præter intentionem: cùm enim det operam licitæ rei, non fit irregularis. Idem dico cum Sylvest. & Henri. ibidem, si potuit euadere mutilando, & occidit; contrarium tenet Tabien. ver. irregularitas. 2. §. 26. in fine. vbi citat Cardinal. Clement. si furiosus. Sed probatur nostra sententia: nam deficit moderamen inculpatæ tutelæ, nec Cardinalis clarè tenet contrarium: solùm enim dicit, quòd pro vitanda mutilatione potest occidere, quia quantùm ad contrahendam irregularitatem æquiparantur.

Ex dictis sequitur, quòd qui potest mortem euadere fugiendo, incurrit irregularitatem: nam licèt fuga non semper sit necessaria ad euitandum peccatum, vt ait Nauar. num. 211. & P. Henri. numero 3. Et patet in viro nobili aggresso, nihilominùs tamen ad euitandam irregularitatem requiritur, quòd non possit euadere fugiendo. ita Panormita. c. olim. el 1. de restitut. spoliatorum. Sylvest. ver. excommunicatio. 6. quæst. 9. glossa dicta Clem. si furiosus. verbo, non valens. Immol. ibidem. Couarru. sup. n. 4. Villadiego num. 75. versic. sed intellige. Et probatur: nam text. dicit, qui aliter mortem vitare non valens, sed iste non tam occidit pro defensione vitæ, quàm honoris ergo. Hoc intelligitur, dũmodò fuga non esset periculosa, vt si probabiliter dubitat de casu, vel de velociori cursu insequentis, vel quia aggressor audacior factus faciliùs occidet fugientem. ita Sylvest. dicta quæst. 4. part. 2. Couarru. n. 4. Villadiego & ibidem Didacus Perez, & P. Henri. non enim requiritur, quòd se exponat tali periculo, cùm qualitas temporis non patiatur plenius deliberandi consilium, vt inquit Perez, & Felin. in c. suscepimus. de homicidio. Dixi, *& patet in viro nobili aggresso*, quia monachis & clericis non licet interficere aggressorem, si possunt euadere fugiendo. ita Soto libro 5. de iust. qu. 5. art. 8. circa finem corporis. Panormita dicto c. olim. & Aragon 2. 2. quæ. 64. art. 7. colum. 13. Probatur, quia fuga non est illis ignominiosa, cùm eorum honor non in armis, sed in patientia consistat. Nec etiam licet homini plebeio. sic

Aragon, quia fuga non est illi adeò ignominiosa, vt liceat occidere inuasorem. Sed hìc est maximè aduertendum discrimen quoddam, quòd si quis occidat inuasorẽ, qui quamuis posset euadere fugiendo, non tamen tenebatur fugere, incurrit irregularitatem ex defectu perfectæ lenitatis; at verò si in sui defensione excessit moderamen, incurrit irregularitatem homicidij iniusti voliti non in se, sed causa defensionis, ex Trident. sess. 14. cap. 7. quod caput ponderat optimè Nau. num. 239.

DVBITATVR tertiò, vtrùm adulter, qui inuentus cum adultera inuaditur à marito, & occidit eum propter necessariam sui defensionem, sit irregularis?

Partem affirmatiuam tenet Nau. numero 238. & cap. 15. num. 7. & Antoni. 3. par. tit. 5. cap. 8. §. 1. Probatur: nam dat operam rei illicitæ & periculosæ ad homicidium. Confirmatur. Si quis probabiliter credat, quòd tali loco & tempore dormiẽdo occidit infantem, est irregularis morte sequuta: nam licèt dormiens excusetur ab irregularitate, Clem. si furiosus. hoc tamen intelligitur, quando adhibuit sufficientem diligentiam, quam iste non adhibuit. Ergo similiter licèt per dictã Clement. excusetur ab irregularitate, qui iustè se defendendo occidit inuasorem, debet intelligi, quando adhibuit sufficientem diligentiam ad vitandam causam, quam non adhibuit qui præuidens periculum, accessit ad adulteram.

Sit tamen prima conclusio. Probabilius est, quòd non manet irregularis. ita Soto lib. 5. de Iust. quæst. 1. art. 9. colum. 5. Medi. 1. 2. quæst. 73. art. 8. P. Henri. num. 3. in fine. & lib. 12. de matri. cap. vlt num. 1. lit. L, Nau. lib. 2. de restit. c. 3. p. 3. dub. 14. Syluest. verb. homicidium. 3. quæst. 4. par. 3. Tabien. verb. irregularitas. 2. §. 29. Mercado de contractibus. lib. 6. cap. 4. vers. *que diremos*. & multi iuniores. Et intelligitur conclusio, quamuis clericus præuideat periculum. Probatur conclusio; nam licèt peccauerit adulterando, tamen postea inuasus licitè se defendit, ergo non fit irregularis. Consequentia patet ex dicta Clem. quę generaliter loquitur de omni homine, qui iustè se defẽdit, non valens aliter vitare mortem. Antecedens probatur: licèt enim maritus in foro exteriori impunè occidat, tamen in foro conscientiæ peccat, & infert vim, ergo adulter iustè se defendit. Idem dicit P. Henri. cap. 10. circa finem. De fure etiam nocturno, qui inuasus à domino totum occidit illum, vt se defendat, quod ego solùm credo verum, quando dominus non cessaret ab inuadendo, quamuis fur relinqueret res: nam si cessaret, iam fur posset absque occisione euadere mortem, & per consequens si occidat, erit irregularis.

Sed obiter est aduertendum, quòd si adulter fecit prægnantem intrare per loca periculosa, vt per tectum domus, & mortua est, vel abortiuit, manet irregularis. ita Nau. cap. 27. num. 235. P. Henri. cap. 15. n. 4. Secus dicendum est, si fabrum lignarium expertum fecit incedere per tectum, vt illud reficiat. sic P. Henri.

Secunda conclusio. Quamuis maritus occidat vxorem propter adulterium, adulter non fit irregularis. ita Couarr. p. 2. §. 4. num. 10. Castro lib. 2. de lege pœnali cap. 15. Aragon, 2. 2. quæst. 64. art. 8. colum. 11. hæc est contra Nau. cap. 27. num. 238 Sed probatur: nam adulterium, vt tenet se ex parte adulteri, non ordinatur per se ad homicidium adulteræ.

Ad argumentum Nauar. patet ex dictis, satis esse nostræ opinioni, quòd ipsa defensio sit licita. Ad confirmationem, concesso antecedenti negatur consequentia, & ratio disparitatis est; nam dormiens in illo casu fuit totalis causa homicidij, & iniusta quidem, adulter verò non, sed ipse aggrediens censetur causa suæ mortis, cùm cessando ab aggressione (ad quod tenebatur in foro conscientiæ) posset illam vitare. ita respondent aliqui iuniores, & referunt sic respondisse Sotum consulrum. de hoc.

DVBITATVR quartò, vtrùm sit irregularis, qui occidit inuasorem, non valens

valens aliter defendere proprium honorem, vel diuitias, aut vitam vel diuitias proximi? Et nota, quòd modò non loquimur, quando tenetur defendere, sed solùm quando defendit licitè sub consilio.

Couarru. videtur tenere, quòd non est irregularis: nam in dicto §. vnico. nume. 1. videtur tradere regulam generalem, scilicet quòd ex homicidio facto ab homine priuato, si nulla sit culpa, nulla erit irregularitas, & num. 5. id tenet expresè de illo, qui non potest aliter defendere vitam proximi, & numer. 6. post longam disputationem, tandem circa finem §. tenet idem de eo, qui aliter non valet defendere proprias diuitias. Verum est quòd numer. 4. versic. quartò deducitur, circa medium, tenet, quòd qui occidit defendendo proprium honorem, manet irregularis, quia credit hunc peccare. Probatur ergo sententia Couarr. quòd in reliquis casibus non maneat irregularis. Primò, talis occisio in prædictis casibus non est voluntaria, iuxta mentem Caietan. 2.2. quæst. 64. art. 7. ergo non inducit irregularitatem. Secundò, qui percutit clericum ad defendendum proprium honorem, vel diuitias, vel personam proximi, non incurrit excommunicationem, vt diximus c. 5. de excommunic. disput. 3. dub. 13. ergo nec in his casibus incurrit irregularitatem. Tertiò: nam in c. 2. de homicidio. dicitur, quòd si aliquis defendens propriam vitam, & res proprias, occidat alium si fuerit presbyter, non deponatur, ergo non est irregularis.

Sit tamen conclusio. Occidens inuasorem in omnibus prædictis casibus manet irregularis, quæ conclusio est ita certa, vt opposita opinio parum probabilitatis habeat. Conclusionem hanc, quantùm ad defendentem proprium honorem, tenent Autores citati in quodam corollario posito post 3. concl. dubij 2. Quantùm ad defendentem proprias diuitias, tenet Villadiego cap. 6. num. 2. vers. secundus ergo. & Didacus Perez in fine ca. num. 90. vbi citat Antoni. 3. p. tit. 4. capit. 3. §. 2. & alios; tenet etiam P. Henri. cap. 11. num. 3. litera B, qui in num. 4. bene limitat hoc, nisi in extrema necessitate fur raperet id, quod actu est mihi necessarium ad vitæ sustentationem: tunc enim defendendo panem, defendo vitam. Eandem limitationem ponit Tabien. verb. irregularitas. §. 25. Armil. numer. 41. Sed hîc notandum est obiter cum P. Henri. dicto numer. 3. quòd pro defensione bonorum temporalium magni momenti, licitum est in vtroque foro, etiam sacerdoti, occidere illorum inuasorem, etiam clericum, in flagranti delicto, quando non posset aliter defendere res proprias à rapina. idem tenet Didacus Perez sup. nume. 91. & alios citat P. Henri. litera T, videte Couar. dicto num. 6.

Denique quantùm ad vitam vel diuitias proximi, tenet Villadiego cap. 6. nume 76. versic. quia textus. & ibi Dida. Perez num. 77. qui citat multos, inter quos refert Panormitanum dicentem esse communem. Tenet etiam P. Henri. cap. 11. num. 3. litera D, vbi (quod magis est) loquitur de defendente patrem, Rempublicam, vel Principem. Et quamuis probabile sit, non incurrere irregularitatem, qui occidit inuasorem patris, vel filij, vel vxoris, quod tenet Couarr. numer. 5. quia pater & filius reputantur in iure pro vna & eadem persona, l. fin. C. de impuberibus. & vir & vxor dicuntur vna caro; nihilominùs probabilius est, quòd manet irregularis. sic Villadiego, & Henri. & Sylvest. ver. bellum. 2. quæst. 8. ver. homicidium. 1. q. 9. Nau. num. 213. quia physicè loquendo non eadem persona. Clementina verò solùm loquitur de defendente propriam vitam, vt patet ibi, qui suum occidit inuasorem. Probatur conclusio, quoad omnes partes. Quicunque inuoluntariè occidit hominem, manet irregularis, nisi in casibus à iure expressis; sed dicta Clementina solùm excipit eum, qui non potest aliter defendere propriam vitam, ergo.

Ad primum in contrarium respondetur primò cum Henri. cap. 10. num. 2. quòd illud homicidium, licèt non sit voluntarium tanquàm finis, bene tamen tanquàm me-

dium per se ordinatũ ad sui defensionem. Secundò respondetur, quòd licèt daremus Caietano, homicidium non esse voluntarium tanquàm medium, nihilominùs necessariò dicendum est, quòd est voluntarium tanquàm effectus sequutus, & hoc sufficit ad incurrendam irregularitatem, excepto casu defensionis propriæ vitæ.

Ad secundum negatur consequentia: nã ad incurrendam excommunicationem, requiritur peccatum mortale; at verò irregularitas potest incurri sine peccato.

Ad tertium respondetur primò, quòd textus non loquitur de irregularitate, sed de depositione. Secundò respondetur, dato quòd loqueretur de irregularitate, non est sermo de sola rerum defensione, sed simul de defensione vitæ, vt patet ibi, *te tua que liberans.*

Ex dictis sequitur contra Couarr. quòd in homine priuato potest dari irregularitas ex defectu perfectæ lenitatis, vt quando occidit inuasorem ad liberandum proximum, quem licitè defendit, & quando occidit latronem ad defendendas res proprias, vel proprium honorem. Imò dico, quòd etiam in clerico potest dari irregularitas ex defectu perfectæ lenitatis, vt quando occidit ad defendendum patrem, vel proximum, quem licitè defendit, & quando compulsus metu mortis testificatur in causa sanguinis: tunc enim per metum excusatur à culpa, & non ab irregularitate, vt vidimus sect. præcedenti. Dixi, *in homine priuato*: nam in Iudice, & in milite, quia occidunt autoritate Reipublicæ, omnes vnanimiter concedunt, posse dari irregularitatem ex defectu perfectæ lenitatis.

Dvbitatvr quintò, vtrùm incurrat irregularitatem ille, qui occidit inuasorem, vt defendat Rempublicam, principem, vel proximum, in casu, quo ex præcepto naturali vel diuino tenetur defendere? Tres sunt opiniones.

Prima opinio extrema tenet absolutè, quòd manet irregularis; ita Caieta. 2. 2. qu. 40. art. 2. & Bannez ibidem. dub. 7. Naum. 215. & c. 15. nume. 2. Probatur primò, Iudex tenetur occidere malefactorem, & tamen fit irregularis, ergo. Secundò: nam irregularitas incurritur sine peccato. Tertiò: nam Clementina si furiosus. tantùm excipit eum, qui occidit ad defendendam propriam vitam.

Secunda opinio est media, quòd laici & omnes, qui non sunt sacris initiati, manent irregulares, non tamen initiati sacris. ita P. Henri. cap. 11. num. 2. & cap. 13. nu. 1. & aliqui iuniores. Probatur: Irregularitas respectu laicorum non habet rationem pœnæ, sed tantùm est impedimentum ad suscipiendos Ordines; at verò respectu eorum, qui sunt initiati sacris, habet rationem pœnæ, sed impedimentum ad suscipiendos ordines potest contrahi sine culpa, vt patet in bigamo & illegitimo, pœna verò non potest contrahi sine culpa, ergo laici manent irregulares, non tamen initiati sacris. Quòd autem in initiatis sacris irregularitas habeat rationem pœnæ, probatur: nam priuatio actionis debitæ in esse ex officio est pœna, sed irregularitas in his priuat exercitio & vsu, qui ex officio illis in esse debebat, & ad quem habebant ius, ergo est pœna.

Tertia opinio extrema (quæ semper visa est mihi probabilior) dicit, quòd siue sit clericus, siue laicus, non fit irregularis. ita Sylueſt. ver. bellum. 3. quæst. 3. Couarr. p. 3. §. vnico. num. 5. & P. Molin. tom. 1. de iust. tract. 2. disp. 109. conc. 3. & alij quàm plurimi, vt testatur Bãnez loco citato. Et probatur. Primò irregularitas homicidij nunquàm inducitur, nisi homicidium sit volitum, sed hoc homicidium non est voluntarium, sed quasi coactum, si quidem non est in manu mea non defendere, nisi velim peccare, ergo. Secundò, Clementina si furiosus, excipit occidentem, vt defendat propriam vitam corporalem, ergo etiam censetur exceptus, qui occidit, vt defendat vitam spiritualem animæ. Tertiò, quia non est credendum, quòd Ecclesia velit aliquem damnificare ex eo, quòd impleat præceptum naturale. Confirmatur: nam

oppo

oppositum esset, ponere offendiculum & impedimentum ad obseruationem præcepti: multi enim retraherentur ab eius impletione metu irregularitatis. Quartò, quia non potest dici defectus perfectæ lenitatis & mansuetudinis, quando exercet homo actum virtutis obligantis sub peccato, quoniam vna virtus non contrariatur alteri virtuti.

Ad primum argumentum concesso antecedenti negatur consequentia: nam homicidium in Iudice est voluntarium in causa: sponte enim assumpsit officium, vel saltem non ita coactè, vt non posset tunc sine peccato mortali recusare, & nunc etiam ab illo desistere.

Ad secundum concedo, irregularitatem incurri sine peccato, tamen irregularitas homicidij non incurritur, nisi ex homicidio voluntario.

Ad tertium respondetur primò, quòd Clementina loquitur, quando homicidium est voluntarium; secundò respondetur, quòd Pontifex in illa Clementina non condit nouum ius, sed explicauit antiquum in hoc casu particulari defensionis propriæ vitæ, quia grauissimus erat, & non rarò contingit; reliqua verò quæ non rarò contingunt, reliquit opinioni Doctorum. De dispensatione autem irregularitatis prouenientis ex defectu perfectæ lenitatis commodiùs dicemus disputatione sequenti; & in eadem disputatione dicemus de quadam irregularitate proueniente ex defectu perfectæ lenitatis, scilicet in bello iusto.

Disputatio VI.

De homicidio iniusto.

De qua tractat Villadiego cap. 6. Nau. à n. 219. P. Henri. c. 14. 15. & 16. Couarr. Clement. si furiosus. p. 2. per totam. Quam disputationem in quinque sectiones diuidam. Prima, de irregularitate proueniente ex homicidio casuali; secunda, de proueniente ex homicidio directè voluntario; tertia, de irregularitate contingente in bello publico, vel etiam priuato, nempe in rixa; quarta, de proueniente ex aborsu; quinta, de dispensatione.

Sectio I.

De irregularitate proueniente ex homicidio casuali.

De quo P. Henri. cap. 15. Couarr. §. 4.

PRo cuius explicatione supponendum est ex D. Thom. 2. 2. qu. 64. art. 8. quòd casus est causa agens præter intentionem, auctore Aristotele. Et ideò homicidium casuale simpliciter loquendo, non est intentum, nec voluntarium, & quoniam omne peccatum est voluntarium, ideò homicidium casuale, inquantùm casuale, non est peccatum, sed quia cõtingit id, quod nõ est per se volitum, nec intentum esse intẽtum per accidens, secundùm quòd remouens prohibens dicitur causa per accidens, ideò qui non remouet ea, ex quibus sequitur homicidium, si tenebatur, remouere vult secundùm quòd homicidium.

Hinc sequitur, quòd homicidiũ casuale est duplex. Vnũ, quod nullo modo est voluntarium, nec directè nec indirectè, alterum, quod est volitum indirectè & per accidens, & hoc vocatur à Nauarr. nu. 219. §. 2. homicidium mixtum ex voluntario & casuali. Et per hæc facilè intelligitur diuisio deformationis tradita à Nauar. scilicet quòd est triplex; merè voluntaria, scilicet,

quæ est volita in se & directè; merè casualis, quæ nullo modo est voluntaria; & mixta, ex voluntaria & casuali.

Secundò notandum est cum D. Thoma, ex duplici capite contingere posse, quòd homicidium casuale imputetur alicui, & fiat mixtum. Primo modo, quia non adhibuit sufficientem diligentiam ad cauendū illud. Secundo modo, quia dabat operam illicitæ rei. Hinc sequitur, quòd quando aliquis dat operam licitæ rei, & adhibet debitam diligentiam ne sequatur homicidiū, quamuis ex tali opere sequatur, non fit irregularis. Hoc corollarium est certissimum determinatum in c. lator. ca. dilectus filius. c. significasti. el 1. c. ex literis. el 1. y 2. c. Ioannes, de homicidio. Probatur, quia tale homicidium nullo modo est voluntarium, sed merè casuale; homicidium autem si non sit aliquo modo voluntarium, non inducit irregularitatem, vt vidimus disp. 5. in princ. Vnde quando Doctores dicunt, homicidium casuale inducere irregularitatem, loquuntur de homicidio secundo modo, scilicet mixto, non de casuali primo modo. Dixi, *& adhibet debitam diligentiam*: nam licèt aliquis det operam rei de se licitæ, tamen si non adhibet debitam diligentiam, & sequatur homicidium, erit irregularis. ita D. Thom. sup. & communiter Doctores, & habetur ex c. ad audientiam. cap. ex literis. c. significasti. de homicidio. Probatur: nam tale homicidium est voluntarium indirectè, inquantùm tenebatur, & poterat adhibere debitam diligentiam, & non adhibuit.

Vnde præcipua difficultas est, vtrùm qui dat operam illicitæ rei, morte sequuta, sit irregularis, quamuis omnem adhibeat diligentiam? Et hoc sit

---

PRIMVM DVBIVM.

Quam quæstionem tractat Soto li. 5. de iust. q. 1. art. 9. Caietan. sup. Couarr. §. 4. citato. Nauar. c. 27. à n. 228. & in commento de furto, in c. fin. 16. quæst. 6. à n. 13.

DE hac quæstione sunt tres opiniones; duæ extremæ, & vna media.

Prima opinio extrema vniuersaliter tenet, hunc esse irregularem. ita Caietan. sup. Sylu. ver. homicidium. 2. in princ. regula 3. Innocent. Ioan. Andr. in ca. tua nos. de homicidio. & alij multi Doctores Canonistæ. Quæ probatur primò ex iure Canonico, vbi sæpe excusantur aliqui ab irregularitate, quia dabant operam licitę rei, ergo à cōtrario sensu si darent operam illicitæ rei, essent irregulares. Antecedēs probatur prir ò ex c. dilectus. de homicidio. vbi quidā clericus infirmus, vt excitaret appetitū cibi, ascendit equum malè parētem habenis, & currens fracto fræno, proiecit à se clericum, & occidit puerum, & inquit tex. non esse irregularem, quia dabat operam licitæ rei, & similis casus habetur in ca. ex literis. el 1. y 2. eod. tit. patet etiam ex c. continebatur. & c. lator. eod. tit.

Si obiicias, argumentum à contrario sensu non esse firmum in iure, hoc non obstat primò: nam hoc est falsum, vt patet ex c. Apostolica. de his quæ fiunt à Prælatis sine consensu Capituli. Secundò: nam, vt inquit Nauar. nu. 221. hoc argumentum non est à contrario sensu, sed à cessante ratione & causa, quia scilicet ea ratione excusantur ab irregularitate, quia dabant operam licitæ rei; sed argumentum à cessante ratione est firmissimum in iure. c. cùm cessante. de appellationibus. ergo. Confirmatur, in multis textibus statuitur hæc regula, quòd occidens vel mutilans fit irregularis; sed ab hac regula non excipiuntur in iure, nisi qui dant operam licitæ rei. ergo omnes, qui dant operam illicitæ rei, sunt irregulares. Secundò probatur opinio ex D. Tho. 2. 2. quæst. 64. art. 8. dicente, quòd in duobus casibus fit homo irregularis. Primò, si dat operam illicitæ rei; secundò, si dat operam licitæ rei, non adhibita sufficienti diligentia, ergo clarè sentit, quòd in primo

primo casu non requiritur, quòd præcedat aliqua negligentia.

Secunda opinio extrema dicit, quòd dans operam illicitæ rei nunquàm fit irregularis, si adhibuit debitam diligentiam. Hanc tenuit Magister Cano, & tenet P. Henri. c. 15. n. 1. & pauci quidam iuniores. Probatur primò, irregularitas non incurritur propter opus præcedens homicidium, sed propter ipsummet homicidium, dummodò sit voluntarium; sed in eo, qui adhibet debitam diligentiam, nullo modo est voluntarium, ergo Confirmatur: nam licèt qui vult opus periculosum, censeatur virtualiter velle mortem inde sequutam, tamen per hoc quòd adhibet debitam diligentiam, ne mors sequatur, videtur excludi totaliter illa volitio virtualis, ergo mors non est huic voluntaria. Secundò: nam si tale opus alteri sit licitum, vt torneamentum respectu laici, homicidium inde sequutum non inducit irregularitatem, si adhibita fuit debita diligentia, ergo & hæc opinio valdè probabilis est.

Sed est tertia opinio media, nempe quòd si homo dat operam illicitæ rei, nó tamen periculosæ de se, vt ex illa sequatur mors non manet irregularis, si debitam adhibuit diligentiam; at verò si dabat operam illicitæ rei, & de se periculosæ ad homicidiũ, manet irregularis, quamuis debitam adhibuerit diligentiam. Hanc tenet Couar. sup. nu. 10. Soto Cordub. in Quæstionario. lib. 2. quæst. 26. Castro li. 2. de lege pœnali. ca. 14. Medina 1. 2. quæst. 73. art. 8. vt patet ex solutione ad 1. contra 3. regulam. Aragon. 2. 2. quæst. 64. art. 8. & communiter Magistri & Nauarr. in commento de furto. & in cap. 27. numer. 237. Vnde quando in eodem cap. num. 221. dicit, ex deformatione casuali ex opere illicito sequuta induci irregularitatem, intelligendus est, quando sequitur ex opere illicito & periculoso. Et hæc opinio est tenenda tanquàm probabilior, & communior, & quę seruatur in praxi. Et quoniam hæc opinio est contra duas præcedentes, ideò probata ea, illæ manent impugnatæ.

Pro eius ergo probatione supponendum est cum Couarru. sup. versic. secundò deducitur. cũ Soto, Cordub. suprà, & aliis, quòd opus potest esse illicitum & prohibitum dupliciter.

Primo modo, ex eo quòd est periculosum & inductiuum mortis, & hoc modo prohibitum est clericis pugnare, vel mittere bombardam ad arcem, exercere torneamenta, & alia pugnæ simulacra, item exercitium Chirurgiæ per adustionem, vel incisionem, facit cap. sententiam sanguinis. ne clerici vel monachi. & etiam venatio vrsorum & aprorum, quia solet fieri cum armorum strepitu, vt ait Nauar. num. 237. & P. Henri. c. 15. nu. 1. Secundo modo, non quia sit periculosum, nec inductiuum mortis, sed alia de causa; verbi gratia, si venatio cuniculorum prohibeatur certo tempore, quia tunc concipiunt. Hoc supposito probatur

Prima pars nostræ sententiæ, quæ est contra primam opinionem: nam illa vniuersaliter loquitur de dante operã rei quomodolibet illicitæ. Probatur, tale homicidium nullo modo est voluntarium, sed merè casuale, ergo non inducit irregularitatẽ. Antecedens probatur, non est volitum directè, vt patet, nec virtualiter in ipso opere, quia non continetur virtualiter in illo, siquidem tale opus non est periculosum, nec est volitum ratione alicuius negligentiæ, quia nulla fuit, vt supponimus, ergo nullo modo est voluntarium. quod argumentum euidens est meo iudicio.

Secundò probatur: nam ex prima opinione sequerentur innumera inconueniẽtia. Primò si aliquis tempore interdicti pulsaret campanam, quæ cadens occideret aliquem, pulsans esset irregularis, quamuis omnem adhibuerit diligentiam, & tamen si non esset interdictum, non maneret irregularis. Secundò, si aliquis cæderet arborem adhibita omni diligentia, si de facto opprimeret aliquem, maneret irregularis, si arbor esset aliena, vel cæderet in die festo, non tamen si esset propria, vel cæderet in die non festiuo. Tertiò, si

duo

duo venentur cuniculos, vnus in proprio nemore, alter in alieno, & vterque debitam adhiberet diligentiam, hic maneret irregularis, ille non.

Tertiò probatur ex optimo text. in ca. quantùm. 50. dist. vbi Gelasius Papa loquens de illo, qui equos furatus tulit, & casu offenderunt mulierem, quod fuit illi causa abortus, quòd si caballos alienos furatus tulerit, indè est culpabilis. nam de muliere, quæ casu inter caballos confracta est, vbi voluntas illius non agnoscitur pernicioſa fuisse, non potest puniri; ex quo textu constat, illum fuisse reum furti, non tamen homicidij.

Secunda verò pars, quæ est contra secundam opinionem, probatur, quando opus prohibetur quia periculosum, tunc homicidium inde sequutum est voluntarium in causa, ergo inducit irregularitatē. Antecedens probatur: Opus de se tendit ad homicidium, ergo qui vult illud, consequenter vult homicidium. Secundò probatur ex ratione c. vltimi, de homicidio. in 6. quia mandando in culpa fuit, & hoc euenire posse debuit cogitare.

Hinc sequitur, quòd dans operam illicitæ rei & periculosæ, nunquàm censetur adhibere debitam diligentiam, nisi cessando à tali opere; nam quamdiu vult opus, vult causam & periculum homicidij. Hanc autem sententiam ego limito, vt in foro conscientiæ solùm procedat, quando opus illicitum cui datur opera, est de se ita periculosum; vt sit proxima occasio mortis, vt mittere bombardam ad arcem, torneamenta, & etiam curare per incisionem, vel adustionem, & alia huiusmodi, in quibus frequenter contingit mors: in his enim verum habet ratio tradita, quòd quandiu quis non abstinet à tali opere, non adhibet debitam diligentiam. At verò in rebus, in quibus ratò contingit mors, vt in venatione aprorum & vrsorum, & alia huiusmodi, credo, quòd si adhibita fuit debita diligentia, non fit irregularis in foro conscientiæ. Et in his verum habet, quòd per talem diligentiam excusatur homo, ne imputetur sibi tale homicidium, nec sit illi voluntarium. Et hoc colligo ex mente Caietani dicentis, quòd clericus, qui mortaliter peccat in venatione, excusatur ab homicidio, quando laicus excusaretur, quia scilicet adhibita est omnis diligentia. Dico, *in foro conscientiæ*: nam in exteriori semper damnabitur tanquàm irregularis, qui dat operam rei prohibitæ, quia periculosæ: iura enim præsumunt, hunc non adhibuisse debitam diligentiam in præcauendo mortem, vt dicit P. Henri. c. 15. n. 2.

Nota.

Ad primum argumentum primæ opinionis respondetur, vt ibi tactum est, quòd argumentum à contrario sensu licèt in aliis materiis sit firmum, in materia irregularitatis nihil valet: nam ad irregularitatem requiritur expressa iuris decisio. Ad id autem quod dicitur, hoc argumentum non esse à contrario sensu, sed à cessante ratione. Respondetur, argumentum à cessante ratione non valere, nisi procedat à negatione totius causæ totalis & adæquatæ; causa autem adæquata excusandi aliquem ab irregularitate, non est, quòd dedit operam licitæ rei; sed potissima est, quòd debitam adhibuit diligentiam: nam licèt opus sit licitum, si non adhibet debitam diligentiam, erit irregularis. Ad confirmationem respondetur, quòd omnes textus, qui loquuntur de homicidio inducente irregularitatem, solùm loquuntur de homicidio quod sit aliquo modo voluntarium. Et quia quando est omninò casuale, nullo modo est voluntarium, licèt occasionetur ex opere illicito, ideò non includitur in illa regula generali, & consequenter non fuit necessarium, quòd de illo fieret aliqua exceptio. Respondetur secundò cum Soto & Couarru. sup. num. 10. versic. igitur. quòd si textus loquuntur de homicidio casuali ex opere illicito, loquuntur de opere periculoso.

Ad secundum respondetur, quòd D. Thom. intelligendus est de dante operam illicitæ rei, & periculosæ.

Ad primum argumentum secundæ opinionis

nionis patet ex dictis, quòd quandiu homo non cessat ab opere illicito & periculoso, non censetur sufficientem adhibere diligentiam, & per hoc patet ad confirmationem.

Ad secundum respondetur, bene contingere, quòd homicidium sit voluntarium & culpabile danti operam illicitæ rei & periculosæ, quod tamen non esset voluntarium danti operam licitæ rei, vt bene ostendit Nauarr. capit. 27. nume. 215. Et ratio est: nam qui dat operam licitæ rei, non vult homicidium in se, vt suppono, nec in causa, siquidem non tenebatur vitare illam, & adhibuit debitam diligentiam; at verò qui dat operam illicitæ rei & periculosæ, vult homicidium indirectè & in causa, quia tenebatur eam vitare in ordine ad euitandum homicidium, vt patet ex doctrina D. Thomæ 1. 2. quæstione 6. art. 3.

Ex dictis habemus duas regulas generales, quæ sunt præ oculis habendæ in hac materia.

Prima regula. Qui dat operam licitæ rei, si debitam adhibet diligentiam, non manet irregularis, manet tamen, si non adhibet.

Secunda regula. Qui dat operam illicitæ rei & periculosæ ad homicidium, & prohibitæ, hac ratione manet irregularis, quamuis omnem adhibeat diligentiam. Quæ regula intelligenda est secundùm moderationem dudum à nobis traditam, nempe quando opus illicitum est ita periculosum, vt sit proxima occasio mortis. Ex quibus regulis sequitur decisio multorum casuum.

Primò sequitur, quòd clericus, qui dat operam venationi aprorum aut vrsorum, non manet irregularis, secundùm limitationem à nobis traditam, quia in his rarò contingit mors. hoc est contra Nauarrum numer. 237. Couarru. numer. 10. corolla. 4. Soto sup. column. 6. & omnes, qui absolutè sequuntur tertiam opinionem: isti enim dicunt, quòd licèt aliàs omnem adhibeat diligentiam, fit irregularis morte sequuta; at verò si venetur perdices, vel cuniculos, & debitam adhibeat diligentiam, licèt talis venatio alia de causa sit clericis prohibita, non erit irregularis etiam secundùm illos, qui absolutè sequuntur tertiam opinionem sine limitatione à nobis tradita. Et ratio est, quia tale opus non est periculosum.

Secundò infertur, quòd equitans licèt currat & ex cursu equi sequatur mors, si omnem adhibuit diligentiam licèt sit clericus in sacris, non erit irregularis, contra aliquos, qui sequuntur tertiam opinionem. Probo ex eadem limitatione à nobis tradita, & ex ca. dilectus. de homicidio. secus verò si non debitam adhibuit diligentiam, vt si nesciebat equum regere, reliqua corollaria claritatis gratia proponemus per distincta dubia.

Vnde DVBITATVR secundò, vtrùm clericus in sacris exercens Chirurgiam per incisionem vel adustionem, sit irregularis morte sequuta, licèt omnem adhibeat diligentiam.

Conclusio affirmatiua, quia hoc est illis prohibitum, eò quòd est opus periculosum. ita Nauarr. capit. in fin. numer. 14. Couarru. sup. nume. 3. & 10. versic. secundò deducitur. & Cordub. lib. 2. quæst. 26. colum. 5. Et ideò in c. tua nos. de homicidio, iudicatur irregularis quidam monachus Chirurgiæ peritus, qui tumorem gutturis fœminæ ferro aperuit, ex quo mortua est, quia vento se exposuit contra prohibitionem monachi, & tamen si esset Chirurgus laicus, non maneret irregularis. Hæc conclusio partim est contra Sotum dicto art. 9. colum. 6. & Caietan. 2. 2. quæstio. 64. art. 8. dicentes, quòd si talis clericus exerceat Chirurgiam, propter quæstum, erit irregularis, non tamen si exerceat pietatis causa, & hoc modo intelligunt dictum caput, tua nos. Sed communis expositio tenet, quòd licèt exerceat pietatis causa, est irregularis. ita exponit Nauarr. Coua. Cordub. & Sylvest. ver. homicidium. 2. quæst. 12. Angel. numer. 13. Tabien. ver. irregularitas. 3. numer. 11. Et probatur ex textu, ibi,

 potest

potest cum illo misericorditer agi, quasi dicat, dignus est dispensatione, quia non esset dignus, si propter quæstum feciisset.

Hinc sequitur, quòd si iste Chirurgus esset laicus, quamuis esset illi prohibitum curare in pœnam alicuius criminis, non esset irregularis, si debitam adhibuisset diligentiam, quia tale opus non est illi prohibitum ratione periculi. ita Coua. n. 10. vers. tertiò subsequitur.

DVBITATVR tertiò, de magistro castigante discipulum, si ex castigatione casu sequatur mors? Felinus in c. presbyterum, de homicidio. absolutè tenet esse irregularem.

Sit tamen conclusio. Si non excessit in castigatione, & circunspectè fecit, non manet irregularis, quia tunc homicidium est merè casuale; at verò si nimis excessit modum, vel sine circunspectione, ne percuteretur in capite, vel loco periculoso, manet irregularis, vt patet ex cap. ad audientiam. de homicidio. ita Nauar. cap. 27. num. 235. Couarru. num. 5. versicul. ad eandem. P. Henri. cap. 14. num. 4. in fine. qui in glossa, litera D, infert, quòd si Iudex iubet furem flagellis cædi secundùm præscriptum legis, & tamen executor excedens occidit, executor fit irregularis, non Iudex.

Fauet cap. finale. de homicidio. in 6. ibi, *quia mandando in culpa fuit*, &c. & glossa, ibi, *verbo, culpa*, dicens secus esse in eo, qui licitè mandabat verberari. & idem tradit Nauar. num. 233.

Sed DVBITATVR quartò, si Iudex torquet reum, & ex tortura tandem sequitur deformatio alicuius membri, vtrùm maneat irregularis?

Pro resolutione supponendũ est, quòd tortura debet esse moderata secundùm qualitatem personæ, ita vt reus totus maneat saluus & illæsus, & non perdat vitam, nec aliquod membrum. sic Anton. Gomez tom. 3. Variarum. cap. 1 num. 5. & est tex. in l. quæstionis modum. ff. de quæstionibus reorum.

Sit prima conclusio. Si Iudex excessit modum torturæ, ex qua membrum aliquod incanceratum est & abscissum, Iudex fit irregularis. ita colligo ex P. Henri. cap. 12. num. 2. in fine. Et hæc irregularitas est ex homicidio iniusto casuali, quod est de mente P. Henri. cap. 14. num. 5. Et probatur conclusio: nam talis Iudex deliquit, & tenetur in syndicatu, vt dicit Hippolytus relatus à Bernardo Diaz cap. 125. nu. 10. Et Anto. Gomez sup. vers. si verò Iudex dicit, quòd debet puniri pœna arbitraria.

Sed maior difficultas est, quando non fuit excessus in tortura.

Sit secunda conclusio. Si deformatio sequatur ex malo regimine torti, vel ex imperitia Chirurgi, Iudex non manet irregularis. Est de mente P. Henri. in alio simili c. 14. num. 4. in fine.

Tertia conclusio. Si tortura fuit dura, manet irregularis ex defectu perfectæ lenitatis; at verò si non fuit dura, nec crudelis, non manet irregularis, meo iudicio, quia tunc canceratio & deformatio non tam est tribuenda torturæ, *quanto à la mala carnadura del delinquente*, & ideò talis deformatio erit merè casualis.

DVBITATVR quintò, vtrùm sit irregularis, qui illicitè percussit alterum vulnere non lethali, & tamen percussus moritur ex malo regimine, vel ex imperitia, aut negligentia Chirurgi?

Quòd non sit irregularis, tenet Caiet. 2. 2. quæst. 64. art. 8. & ibi Aragon, Soto lib. 5. de iust. quæst. 1. art. 9. colum. 4. & aliqui discipuli D. Thomæ. Quæ opinio probatur ex cap. exhibita. de homicidio. vbi excusatur ab irregularitate puer, qui fuit causa percussionis in altero, qui expirauit propter imperitiam Medicorum, & propter sui patris incuriam, qui laboribus & sudoribus illum exposuit.

Contrariam tamen sententiam, scilicet quòd sit irregularis, tenet Villadiego c. 6. num. 17. versicul. ex prædictis. & ibi Didacus Perez. tenet Couarru. p. 2. §. 2. num. 9. Nauar. commento de furto. num. 17. & cap. 27. num. 223. Sylvest. verb. homicidium. 2. quæst. 22. Anto. 3. p. tit. 28. cap. 2. in princ. Tabien. ver. irregularitas 1. §. 6. Cor

6. Cordub. in Sum. quæst. 34.

Sit ergo prima conclusio. Si vulnus erat graue, licèt non lethale de se, percussor manet irregularis. Quæ conclusio est de mente secundæ opinionis, & eam tenet P. Henri. cap. 14. num. 4. Probatur primò: Si vulnus non esset illatum, mors non esset sequuta, etiam posita imperitia Chirurgi, & malo regimine, ergo vulnus fuit causa mortis. Confirmatur: Si percussus moriatur, quia non est inuentus Chirurgus, percussor est irregularis, vt ipsemet Soto concedit, quia non est alius, cui possit mors imputari, ergo idem dicendum est, si moriatur ex imperitia Chirurgi. Patet consequentia: nam ex hoc quòd Chirurgus curet, sed malè, non sequitur quòd mors tribuatur soli Chirurgo, sed quòd tribuatur vulneri, & etiam Chirurgo, imò physicè loquendo solùm tribuitur Chirurgo, tanquàm causæ per accidés, quia non remouit prohibens. Secundò probatur argumento tex. cap. fin. de homicidio. in 6.

Dixi, *si vulnus erat graue*: nam si erat adeò leue, vt exiguo medicamine posset sanare, & tamen mors sequuta est, quia Chirurgus ex imperitia vel malitia adhibuit medicamenta nociua, tunc homicidium non imputabitur percussori, sed Chirurgo.

Secunda conclusio. Quamuis mors non sequatur præcisè ratione vulneris, quia non erat lethale, sed ratione febris, vel alterius infirmitatis inde prouenientis, percussor fit irregularis. ita Couarru. sup. Nauarr. dicto num. 223. P. Henri. dicto n. 4. litera V, & habetur expresè ex c. presbyterum, & cap. ad audientiam, de homicidio. Quæ conclusio est vera, etiãsi vulnus non fuerit graue. Et probo ex dicto c. ad audientiam. ibi, *in dorso aliquantulùm vulnerauit.* Probatur conclusio: nam cùm infirmitas inflictiua mortis originetur ex vulnere illato, percussor censetur moralis causa mortis. Discernere autem vtrùm superueniens infirmitas originetur ex vulnere, vel ex alia causa extrinseca, & etiam vtrùm vulnus sit lethale, vel non, ad Medicos pertinet, vt inquit Felinus cap. presbyterum. de homicidio. & videte glossam l. 1. in verbo, depulsa. C. de emendis seruis, dicentem, quòd si post vulnus vulneratus finito triduo ambulauit pedibus suis, non dicitur vulnus mortale; quam glossam Felinus dicit esse singularem secundùm omnes. Sed eam limitat Salicet. citatus à Felino, quando erat dubium, vtrùm esset mortale?

Tertia conclusio. Hæc irregularitas, de qua in præcedentibus conclusionibus, est homicidij mixti. ita Couarr. num. 9. versicu. his tamen. Probatur, quia nec vulnus fuit lethale, nec percussor intendebat occidere, vt suppono. Vnde Couarr. ibi, & Didacus Perez sup. aduertunt, quòd quantùm ad forum seculare percussor non tenetur de morte, sed de vulnere, & citant multos Doctores.

Quarta conclusio. Quando percussio est iusta, facilius excusatur percussor ab irregularitate, vt si pater castigans filium, vulnerauit leuiter, & tamen sequuta est mors ex culpa Medici, vel malo regimine, vel febri superueniente. sic P. Henri. num. 4. in glossa, litera C.

Ad argumentum pro prima sententia respondetur, quòd ille tex. supponit eum, qui fuit causa percussionis, nullam habuisse culpam, vt notant ibi glossa, Panormitan. Innocen. Felinus, & Villadiego sup. & Couar. versi. & ex his. Et patet ex ipso textu, ibi, *nihil ipsum in morte filij sui commisisse*; vnde text. iste potiùs est pro nobis.

Sed petis, si percussus post longum tempus mortuus est, quomodo cognoscemus, vtrùm decesserit ex vulnere?

Quinta conclusio. Si nunquàm conualuit, præsumitur ex primo vulnere decessisse; si verò conualuit, & posteà recidit, si mortuus est post octo menses, non præsumitur ex vulnere decessisse, secus tamen, si ante prædictum tempus mortuus est. ita Villadiego cap. 6. versicu. sed pone. num. 35. & est optimus textus ca. 2.

de clerico percussore. vbi tandem dicit Abbas, quòd hoc potest relinqui arbitrio Iudicis, & idem sequitur Villadiego, videte Felinum in cap. presbyterum. de homicidio.

DVBITATVR sextò, vtrùm saltans cum muliere grauida sit irregularis, aborso secuuto post animationem?

Sylvest. ver. saltus. absolutè dicit, quòd si saltatio erat illicita, vt si erat amator obscœnus, aut clericus, est irregularis. idé tenet Nau. nu. 236. & lib. 5. Consiliorum. cons. 20. de homicidio.

Sit tamen conclusio. Si saltatio fuit moderata, non inducit irregularitatem, licèt fuerit illicita, vt in clerico, vel amatore obscœno, secus verò si fuit ita immoderata, vt meritò ex illa timeretur aborsus. hæc colligitur ex P. Henri. cap. 15. num. 4. & ex Couar. dicto num. 10. vers. quintò libenter. & hic est actus intellectus ad c. sicut ex literarum. de homicidio.

DVBITATVR septimò, de alente feram, vt vrsum, vel leonem, qui tamen occidit aliquem?

Prima conclusio. Si custodit illam bene ligatam, & absque sua culpa soluta est, non incurrit irregularitatem, aliàs incurret. ita Nauar. numer. 227. Villadiego ca. 6. vers. & ex his infertur. numer. 31. Couarruuias §. 4. numer. 11. P. Henri. capit. 15. litera M.

Secunda conclusio. Quamuis habeat ligatam, si tamen ponit illam in via vel publico loco, quæ occidit incautè accedentes, fit irregularis. ita Couarru. & P. Henri. nam per legem ciuilem punitur pœna 200. solidorum.

DVBITATVR octauò, vtrùm qui custodiunt, vel seruiunt infirmis, maneant irregulares, si dent illis aliquod, ex quo sequatur mors, vel mortis acceleratio?

Prima conclusio. Si contra prohibitionem Medici detur aliquid, ex qu infirmus moritur, vel mors notabiliter acceleratur, manet irregularis: nam hoc opus est prohibitum ratione periculi. ita Sylvest. verbo homicidium. 2. quæstio. 15. & ver. Medicus. quæst. 7. Nauarr. numer. 228. Couarru. dicto §. 4. numer. 3. Villadiego c. 6. versic. item deseruiéntibus. numer. 39. P. Henri. cap. 15. numer. 5. & idem est de mandante & consulente. ita P. Henri. & Nauar. Dixi, *notabiliter*, cum P. Henri. quia tam exigua posset esse acceleratio, vt pro nihilo reputaretur.

Secunda conclusio. Si quis bona fide det aliquid, ex quo sequatur mors, vel acceleratio, licèt aliqua sit culpa, non erit irregularis, nisi sit culpa lata. ita P. Henri. Sylvest. & Nauarr. Quòd si habet scrupulum, deponat illud consilio viri prudentis, vt dicunt Doctores modò citati, vnde huiusmodi homines non facilè debent formare scrupulum, vt ait Sylvest. ver. homicidium. 2. q. 15. citata.

Tertia conclusio. Idem dicendum est de illo, qui bona fide reuoluit infirmum, vt commodiùs cibum subministret, vel magis quiescat: nam licèt acceleretur mors non erit irregularis: nisi ex lata culpa nimis acceleraretur. ita Soto lib. 5. de iust. quæst. 1. articul. 9. column. 4. Caietan. 2. 2. quæstio. 64. art. 8. circa medium. & P. Henri. sup. Et infert Caietan. tutò posse sacerdotes & Religiosos seruire infirmis etiam constitutis in vltimo vitæ, & eos voluere in lecto, & reliqua exhibere cum prudentia, quæ in huiusmodi consueta est: nam quidquid in hoc licet laicis, licet etiam clericis.

Quarta conclusio. Qui voluit & reuoluit infirmum, vt citiùs moriatur, licèt id faciat motus pietate, quia videt illum fatigari angore mortis, manet irregularis. ita Nauarr. numer. 229. Soto column. 4. Couarru. num. 3. Villadiego, & est certa conclusio.

DVBITATVR nonò, de extrahente sagittam vel gladium ab homine percusso?

Prima conclusio. Si non extraxit cautè secundùm regulas artis, & inde acceleratæ est mors, fit irregularis. ita Nau. num. 229. P. Henri. cap. 11. numer. 1. Villadiego cap. 6. versicul. item præstantes. numer. 34. & alij, quos

quos refert & sequitur Couarr. numero 3, vers. is verò. Probatur: nam opus fuit illicitum & periculosum.

Secunda conclusio. Si extraxit secundùm regulas artis, licèt casu acceleretur mors, non manet irregularis. ita Couar. & P. Henri. Et videtur de mente Nau. & probatur, quia opus erat licitum, & ipse fecit animo sanandi.

DVBITATVR decimò, vtrùm abscindens alicui membrum propter sanitatem (verbi gratia, quia est canceratum, vel demorsum à vipera) sit irregularis, siue sit laicus, siue clericus?

Prima conclusio. Si est laicus, & abscindit secundùm regulas artis, non fit irregularis. Ita Sylvest. verb. homicidium. 3. quæst. 3. particula 1. Nauarr. num. 209. & 219. & lib. 5. Consilior. cons. 9. de homicidio. vbi citat Panormitan. in c. sententiam sanguinis. ne clerici, vel monachi. & P. Henri. cap. 11. num. 1. Probatur: nam talis abscissio non ordinatur ad mutilationem, sicut ordinatur abscissio facta per Iudicem, sed ordinatur ad conseruandam vitam totius. vnde P. Henri. dicto numero 1. in glossa, litera B, ait, quòd Chirurgus non scindit membrum authoritate publica, sed priuata, vt sanet hominem. Sed conclusio intelligitur, quòd nullam incurrit irregularitatem, nec ex defectu lenitatis. Dixi, *secundùm regulas artis*: nam si abscindat contra eas, dolo vel negligentia, fit irregularis ex homicidio iniusto. ita Couarr. dicto §. 4. numero 3. Nauarr. numero 228; Sylvest. verb. homicidium. 2. quæst. 14. vnde si Medicus vel Chirurgus dubiter, vtrùm eius culpa vel negligentia infirmus fuerit mortuus, vel deformatus, & velit ordinari, petat dispensationem. sic Henrique numero citato in glossa, litera A. Dico, *si dubitet*: nam si sit moraliter certus; vel probabiliter credat, non habuisse culpam, securè potest ordinari, nulla petita dispensatione. tex. est in cap. ad aures. de ætate & qualitat. ordinandorum. & ibi Abb. numero 1. & Anton. de Butrio numero 1. & 2. Sylvest. verbo, Medicus, numero 8.

Secunda conclusio. Nec etiam adiuuantes Chirurgum in tali abscissione fiùt irregulares. ita Nauar. in vltima editione, numero 217. & est certa: nam si Chirurgus, qui est principalis, non incurrit, ergo nec adiuuantes, qui sunt minùs principales, & Nauar. cons. 18. de homicidio. ait, quòd licèt adiuuans sit clericus, non fit irregularis, quia nullo iure est illi prohibitum. Idem tenet Henri. lib. 14. c. 11. num. 1.

Sed de clerico abscindente est maior difficultas. Et quidem Nau. cons. 9. citato. dicit esse irregularem. Probat: nam hoc est prohibitum clericis. Pro resolutione sunt aliqua supponenda.

Primò supponendum est, non esse specialiter prohibitum clericis, etiam in sacris, vel beneficiariis, officium Medici aut Chirurgi citra incisionem vel adustionem, supposito quòd sint in arte periti. c. sententiam sanguinis. ne clerici vel monachi. & tenet Hostiens. cap. significasti. el 2. de homicidio. vers. nos igitur. ibi, *alia culpa est.* Felin. c. tua nos. eod. tit. circa finem. vbi ait, *Et ita videmus Romæ & alibi seruari, quòd clericus excellens in aliqua cura assumit officium Medici.*

Si opponas c. super specula. ne clerici vel monachi. vbi presbyteris prohibetur audire Leges, & Physicam. Respondetur, quòd licèt prohibeatur audire, non tamen exercere. Quæ solutio est de mente Panormitani dicto c. super specula. vbi ait, quòd quamuis non liceat presbyteris audire Leges; licet tamen eas docere. Verum est, quòd non licet clericis in sacris exercere prædictum officium, nisi pietatis causa, præcipuè erga pauperes vel cognatos. sic P. Henri. cap. 11. num. 1. in glossa, litera F. Angelus ver. Medicus. num. 11. Tabien. n. 4. Armil. eodem num. Nau. cap. 25. nu. 111. §. 34. vbi ait, quòd licèt specialiter non sit in iure prohibitum clericis officium Medici vel Chirurgi citra adustionem vel incisionem; nihilominus prohibita sunt, in quantùm sunt officia secularia: generaliter enim omnia officia secularia sunt prohibita clericis in sacris & beneficiariis. c.

multa, ne clerici, vel monachi. ibi. *talia & similia ministris altaris, & monachis omninò prohibemus.* At verò quando fiunt pietatis causa, non dicuntur officia secularia, sed opera misericordiæ, quæ sunt valdè propria clericis. fauent omnia tria capita de postulando. & iuxta hæc posset intelligi Panormita. in c. sententiam sanguinis. ne clerici, vel monachi. nu. 22. vbi dicit, quòd exercere officium Medici, prohibitum est clericis in sacris.

Secundò supponendum est, quòd exercere officium Chirurgi, per incisionem vel adustionem, prohibitum est clericis in sacris vel beneficiariis, dicto c. sententiam sanguinis. ibi, *nullam Chirurgiæ artem, quæ adustionem vel incisionem inducit.* Dixi, *in sacris*, quia clericis in minoribus, dummodò non sint beneficiarij, non est prohibitum. ita Syluest. verb. Medicus. num. 2. Panormit. dicto c. sententiam sanguinis. nu. 22. Felin. sup. & probatur ex eodem c. sententiam. ibi, *Subdiaconus, Diaconus, vel Sacerdos*, & etiam ex dicto c. ad aures. Vnde c. tua nos. de homicidio. intelligitur de religioso Sacerdote, vt inquit Felinus.

Tertiò supponendum est, quòd si vrgente necessitate quando alius non reperitur, clericus id munus exerceat, non peccat, ita P. Henri. num. 1.

Quartò supponendum est, clericis non prohiberi consilio, aut auxilio iuuare peritum Chirurgum ad secandum membrum, sed tantùm secare per se ipsos. ita P. Henri. ibidem. Probatur: nam dictum c. sententiam. inquit, *ne exerceat.*

Hinc sequitur, licitum esse clerico perito Medico dare consilium, quòd fiat minutio sanguinis, dummodò per se ipsum non faciat dictam minutionem. His suppositis sit

Tertia conclusio. Quamuis clericus in sacris Chirurgus scindens membrum peccet contra prohibitionem iuris, si aderat alius qui id facere posset, non tamen sit irregularis, si abscindat secundùm regulas artis. sic P. Henri. cap. 11. num. 1. litera I. Probatur: nam licèt hoc officium sit illis prohibitum, eò quòd est periculosum, & inductiuum mortis, vel mutilationis, intelligitur de periculo mutilationis non necessariæ, nec ordinatæ ad conseruandam vitam totius. Vnde generaliter loquendo dicimus, quòd quando iura inducunt irregularitatem ex mutilatione, loquuntur de mutilatione, quæ ordinatur ad priuationem partialis vitæ, membri, vel totius suppositi, non tamen de mutilatione membri, quæ ordinatur ad conseruandam vitam totius suppositi.

Quarta conclusio. Si clericus scindat membrum, & inde sequatur mors, erit irregularis, quamuis alias debitam adhibuerit diligentiam, vt patet ex dicto dub. 1. nam hoc est illis prohibitum, quia periculosum, & hic est casus in c. tua nos. de homicidio.

Sed quid si clericus in sacris peritus Medicus curet, & omni adhibita diligentia, moritur infirmus? Villadiego c. 6. vers. dicitur autem. num. 38. Couarru. p. 2. §. 4. num. 10. & alij tenent, esse irregularem; Medicus tamen laicus, cui non est prohibitum, non erit irregularis.

Sit quinta conclusio, quòd non manet irregularis: nam tale officium citra incisionem & adustionem non est prohibitum clericis ratione periculi, sed solùm generaliter, quatenus est officium seculare, vt vidimus, ergo si mors non proueniat ex aliqua culpa clerici, non inducit irregularitatem. Imò ampliùs dico, quòd si Sacerdos peritus Chirurgus curauit bene secundùm artem, per incisionem vel adustionem, & infirmus mortuus est, non ex tali adustione vel incisione, sed ex grauitate morbi, non manet irregularis. ita P. Henri. cap. 3. num. 10. litera G, & Couar. numer. 3. vers. primum ad prioris. circa finem.

DVBITATVR vndecimò, quæ culpa requiratur in his casibus & similibus ad incurrendam hanc irregularitatem prouenientem ex homicidio casuali? De quo variæ sunt opiniones.

Prima opinio est glossæ in c. significasti el 1.

el 1.de homicidio. & in cap. consuluisti. 2. qu. 5. quòd sufficit culpa leuissima, quamuis homo det operam licitæ rei, & probat ex dicto cap. consuluisti. vbi Stephanus Papa V. consultus de infantibus, qui in vno lecto dormientes cũ parentibus mortui reperiuntur. Respondet, monendi sunt parentes, ne tam tenellos in vno lecto secum collocent, ne negligentia qualibet proueniente suffocentur, vnde ipsi homicidij rei inueniantur.

Secunda opinio est, culpam leuissimam, quæ contingit in omittendo, non sufficere, bene tamen, quæ contingit in committendo. Hanc tenet Panormita. ca. quæsitum. de pœnit. & remissio. Couarru. p. 2. §. 4. num. 9. §. ipse quidem. quia commissio est magis voluntaria, & consequenter grauius peccatum. Imò addit Couarr. culpam leuissimam etiam in omittendo sufficere, quando quis mercede conductus tenetur adhibere diligentiam, vt in eo, qui mercede curat infirmum.

Tertia opinio est, quòd culpa debet esse lata, vel leuis. ita Villadiego cap. 6. §. idem dico. num. 42.

Pro resolutione supponendum est, quòd culpa sumitur dupliciter: vna enim est Theologica, & hæc diuiditur in mortalem & venialem; altera est iuridica. Pro quo supponendum est cum glossa l. quod Nerua. ff. depositi. quòd dolus propriè loquendo differt à culpa: nam dolus fit à proposito & scienter, culpa verò fit ignoranter, vel negligenter; vnde simplex culpa communiter diuiditur in leuissimam, leuem, & latam, vt tradunt Sylvest. verb. culpa. num. 2. Nau. cap. 17. numer. 178. Leuissima est, deuiatio incircunspecta à diligentia, quam communiter habent homines diligentissimi; leuis est, deuiatio incircunspecta ab ea diligentia, quam communiter habent homines diligentes illius professionis; lata est, deuiatio incircunspecta ab ea diligentia, quam communiter habent homines eiusdem professionis. Quo supposito, sit

Prima conclusio. Quando aliquis dat operam illicitæ rei, & ideò prohibitæ, quia periculosa, sufficit ad irregularitatem culpa leuissima in præcauendo ea, quæ poterant causare homicidium. ita Villadiego cap. 6. vers. sed ego limito. num. 43. Probatur, nam, vt diximus, iste quamuis omnem adhibeat diligentiam, fit irregularis, imò illa sola culpa exercendi tale opus sufficit ad irregularitatem: nam quandiu quis non cessat à tali opere, non adhibet debitam diligentiam, vt vidimus dubio 1.

Secunda conclusio. Quando aliquis dat operam rei licitæ, vel illicitæ, sed non periculosæ, non sufficit culpa leuissima, nec leuis ad inducendam irregularitatem, sed requiritur lata. Quòd non sufficiat leuissima, tenet Angelus verb. irregularitas. §. 3. Sylvest. verb. homicidium. 2. qu. 23. particula 2. P. Henri. cap. 3. numer. 1. Probatur primò, quia in his non requiritur tam exacta diligentia, quanta à summè prudentibus adhiberi solet. Secundò probatur: culpa leuissima contingit sine vlla malitia mortali nec veniali, sed irregularitas, quæ est pœna, non potest incurri sine peccato, ergo. Maiorem concedit Couarr. regula possessor. 2. p. §. 7. nu. 7. dicens, quòd culpa leuissima est quædam negligentia à crimine etiam veniali libera. Et probatur: Peccatum etiam veniale non incurritur sine transgressione alicuius legis diuinæ vel humanæ, sed nulla lex diuina nec humana obligat ad omnem diligentiam, quam homines diligentissimi adhibere solent (nam talis diligentia magis pertinet ad perfectionem consilij, quam ad obligationem præcepti) ergo. Minor verò patet ex disput. 2. dub. 3. concl. 1. & hanc partem conclusionis intelligo contra Couarru. licèt quis fuerit mercede conductus; nam quando aliquis locat suas operas, non se intendit obligare ad adhibendam exactissimam diligentiam, quam homines diligentissimi adhibere solent: hoc enim esset grauissimum onus. Quòd verò non sufficiat culpa leuis, sed requiratur lata, tenet Cajeta. 2. 2. qu. 64. ar. 8. circa

medium. Anto. 3. p. tit. 28. cap. 2. §. 4. vbi de his, qui seruiunt infirmis, dicit, quòd non tenentur, nisi culpa sit lata, & negligentia dissoluta. Tabien. ver. irregularitas. 3. n. 12. idem videtur tenere Nau. num. 228. dicens quòd non tenentur, nisi culpa fuerit notabilis. & P. Henri. cap. 15. num. 1. in fine. vbi ait, non esse irregularem patrem, qui infantem lecto positum oppressit casu sine culpa lata. Probatur primò. Irregularitas non contrahitur sine dolo, ergo requiritur lata culpa, quæ dolo comparatur. Antecedens tenet Panormita. c. pastoralis. §. verum. de appellationibus. Geminia. c. solet. de sent. excommunicat. in 6. Felin. cap. Rodulphus. de rescriptis. Nau. num. 249. dicto 7. Secundò probatur ex c. quæsitum. de pœnitent. & remissionibus. vbi Papa consultus de sacerdotibus Græcis, qui filios in lecto oppresserunt, respondet quòd si ipsi procurarunt, vel studiosè neglexerunt, sunt irregulares; ex quo apertè constat requiri studiosam negligentiam, quæ prope dolum est, vt ait ibi glossa, verbo, negligentibus. & Panormit.

Tertia conclusio. Non sufficit culpa lata nisi sit peccatum mortale. ita P. Henri. c. 15. in fi. & est de mente Doctorum, quos citauimus disput. 2. dub. 3. concl. 3. quòd nulla irregularitas, quæ sit pœna, est imposita nisi pro mortali. Et probatur: nam lex non punit nisi actus perfectos & consummatos in illa materia, quæ prohibetur, vt patet in excommunicatione posita contra hæreticos, quæ tantùm comprehẽdit hæreticum completè & in multis aliis exemplis. Et quamuis in aliquibus contractibus sufficiat culpa iuridica, licèt nulla interuenerit culpa Theologica, vt patet in contractu commodati secundùm Doctores communiter, quos sequitur Nauarr. c. 17. numero 184. quia hæc obligatio non tam nascitur ex peccato, quàm ex natura contractus; non tamen sufficit in materia irregularitatis, nisi sit culpa Theologica, & quæ sit mortalis: nam irregularitas est pœna spiritualis, ergo præsupponit culpam Theologicam. Ex quo infero vnũ corollarium valdè notandum, quòd quando Iudex in foro exteriori declarat aliquẽ irregularem, quia præcessit iuridica culpa lata, hæc sententia fundatur in præsumptione, quòd talis culpa fuit mortalis, at verò si non fuit mortalis, liber erit quoad forum interius; corollarium hoc est de mẽte P. Henri. in alio simili cap. 15. num. 2.

Sed pro maiori explicatione tertiæ conclusionis notandum est cum P. Henri. eodem num. 2. contingere aliquando, id quod de se est tantùm veniale, fieri mortale, quia est causa homicidij, attentis circunstantiis.

Ad c. consuluisti. citatum pro prima opinione respondetur, explicandum esse per dictum c. quæsitum. nam quod in consulto dixit Pontifex in cap. consuluisti. id expressit distinctè in c. quæsitum. dicens, requiri negligentiam studiosam. Et quoniam si quæ irregularitas incurritur per homicidium factum à carente vsu rationis, pertinet ad irregularitatem homicidij casualis: nam ea, quæ fiunt ab homine non habente vsum rationis, præter intentionem fiunt; ideò

DVBITATVR duodecimò, vtrùm furiosus, infans, vel dormiens, si aliquem occidat, incurrat irregularitatem?

Conclusio negatiua, quam tenet Couarru. 3. part. in initio per totum. Castro lib. 2. de lege pœnali. cap. 14. concl. 1. Syluest. ver. homicidium. 3. num. 1. Nauar. c. 27. num. 218. P. Henri. cap. 15. num. 17. & est definita in Clemẽt. si furiosus. de homicidio. Et ratio est: nam vt occisio inducat irregularitatem; debet esse volita, vt vidimus disp. 5. in princ. Præterea probatur: Isti in foro ciuili non tenentur de homicidio, ergo nec in foro canonico. Antecedens patet ex l. infans. ff. ad leg. Corneliam. de sicariis. vbi dicitur, *Infans vel furiosus si hominẽ occiderit, lege Cornelia non tenetur, cum alterum innocentia consilij tuetur, alterum facti infelicitas excusat.*

Sed circa singulas partes conclusionis aliqua sunt notanda circa furiosum.

Notandum est primò, quòd intelligitur, quamuis ex culpa graui in furorem vel

vel phrenesim inciderit.ita Henriq.num. 7.& Nauar.num. 230.vbi citat alios.

Secundò notandum est, quòd intelligitur durante fauore: nam si habeat lucida interualla, & occidat tempore sanæ mentis,manet irregularis,quia est occisio volita.Præterea:nam in foro ciuili punietur.text.est in l.Diuus Marcus.§.si verò.ff. de offic.Præsidis.

Sed difficultas est,si dubium sit, vtrùm occiderit tẽpore furoris, vel sanæ mentis?

Sit secunda conclusio.In foro exteriori pendet ex qualitate ipsius actus, & circunstantiis eius. ita Couarru. 4. Decretalium.par. 2. cap. 2. n. 5. vbi citat Iasonem & alios. Et ad iudicandum, quòd occidit tempore furoris,magnum indicium est,si paulo antè erat in furore. ita colligo ex eodem Couarru. quòd si omnibus pensatis fuerit dubium, potiùs iudicandum est occidisse tempore furoris, iuxta ea, quæ tradit Antonius Gomez tom.3. Variarum,cap. 1. num. 71.Dixi, *in foro exteriori*, quia in interiori (in quo cessant præsumptiones,& insistitur veritati)standum est confessioni ipsius.

Sed notandum est tertiò,non sufficere, quòd habeat imperfectam libertatem, sed requiritur perfecta, quæ sufficiat ad peccatum mortale, & hoc idem intelligendũ est in infante & dormiente.ita Henri.n.7. & patet ex dictis disputat.2.de infante.

Dvbitatvr decimotertiò, vtrùm si puer intra tempus infantiæ, scilicet ante septẽnium, habeat plenum vsum rationis sufficientem ad peccandum mortaliter,& occidat,fiat irregularis?

Partem affirmatiuam tenet Couar.3.p. num. 5. versic.de infante. vbi citat Ioannem Andr.& alios.idem tenet Villadiego cap.6.n. 58. versic. an autem. Emmanuel in Sum.ver.irregularitas.cap.176.concl.1. Nauar.n. 230. nam licèt in Latino obscurè loquatur,tamen in Hispano clarè id tenet. Fundamentum est, quia cessat ratio dictæ Clement. scilicet quòd occisio non est voluntaria in infante.

Sit prima conclusio.Probabilius est nõ manere irregularem. ita Hentiq. c.3.n.4. litera Z,& Didacus Perez ad Villadiego, vbi hoc copiosè tractat. idem tenet Ananias in cap. pueris. de delictis puerorum. licèt falsò citetur ab Hippolyto pro contraria sententia. Probatur : Irregularitas non incurritur nisi in casibus à iure expressis,sed nõ est expressum in iure, quòd talis infans maneat irregularis ; ergo. Secundò:nam generaliter excipitur infans, & cùm sit beneficium legis absque præiudicio tertij, est amplè interpretandum. Confirmatur : nam quando beneficium concessum est causa miserationis & pietatis, ad hoc vt excludatur, requiruntur verba non solùm specialia, sed specialissima.

Ad fundamentum in contrarium respondetur,argumentum à cessante ratione non valere,nisi à negatione causæ totalis & adæquatæ,quæ non cessat in præsenti, quia non cessat ætas tenera,in cuius fauorem hoc beneficium est concessum.

Sed quid,si sit maior septennio,& non habeat plenum rationis vsum? Hostiens. in cap. 1. de delictis puerorum. tenet esse irregularem.

Sit secunda conclusio. Non est irregularis.ita glossa dicta Clem.si furiosus. Villadiego cap.6.n.68.versic. vlteriùs quæro. & ibi Didac.Perez,qui citat multos.

Sed quid,si sit maior septennio,& dubitetur, vtrùm habeat plenum rationis vsum?

Tertia conclusio. Non est iudicandus irregularis.ita Henriq.cap.3.num.4.litera Y,quia in dubio fauendũ est puero.Confirmatur ex doctrina Bartoli, & communi,in l.non solùm. §. sed vt probari. ff. de noui operis nunciat.vbi dicit,quòd quando actus vel delictum potest fieri tempore licito & illicito,ille, qui accusat, tenetur probare : factum esse tempore illicito & punibili.De dormiente

Dvbitatvr decimoquartò, vtrùm aliquando fiat irregularis,si occidat?

Conclusio. Communiter loquendo nõ fit irregularis ; aliquando tamen fiet. ita

Henriq.cap.num.715.litera M. Probatur secunda pars conclusionis: nam si homicidium fuerit formaliter, vel interpretatiuè volitũ & præuisum in causa, inducet irregularitatem, sicut pollutio nocturna volita in causa, est peccatum. vt docet D. Thom.2.2.q.154.artic.5.

Tunc autem homicidium erit volitum & præuisum in causa, quando homo præuidet, vel præuidere debet, quòd dormiẽs solet arripere arma, & percutere, & tamen non adhibet diligentiam ad euitandum homicidium, nempe includendo se in cubiculo obserato, vel aliam diligentiam arbitrio boni viri: ita tenet Alexand. & Ancharanus dicta Clemen. si furiosus. & Couarru. num.6. Et cõfirmatur: nam iste punietur pœna temporali, vt probat Anton. Gomez sup. num.74.

Ex hoc infert Palud. in 4 distin.32.q.1. artic. 3. quòd si aliquis maximo conatu desiderauit occidere inimicum, & hoc desiderio cat dormitum, & somnians ea, quę acciderunt in vigilia, sumat arma, & occidat inimicum, est irregularis. Probat: Si ex simili desiderio fornicandi sequatur in somniis pollutio, erit peccatum mortale; ergo. Sed corollarium hoc falsum est, nisi in casu sup. posito, quòd præuideret se solitum arma sumere & percutere. ita Henr. sup litera P, Villadiego cap. 6. n. 69. Castro lib. 2. de lege pœnali. cap. 14. versicul. prima principalis conclusio. Nau. n. 230. Couarr. sup. num. 6 & alij. Probatur: nam tale homicidium nullo modo est voluntarium.

Ad argumentum Paludani, concesso antecedenti, negatur consequentia: nam desideriũ fornicandi plerunque solet causare pollutionem in somniis; at verò illa imaginatio occidendi in vigilia contingens, non solet similes effectus producere, & ideo est causa multùm remota homicidij.

Dvbitatvr decimoquintò, vtrùm eadem ratio sit de ebrio, ac de furioso & dormiente? De quo latè Couarru. num.3. & 4. & quidem Cardinalis & Immola in dicta Clem. tenent, esse irregularem, quia Papa non excepit illum; quam sententiam tenet Villadiego cap.6.num.54.versic.sed ego limitarem, & quidam alij limitant in eo, qui culpabiliter inebriatus est. Sit prima conclusio. Quando aliquis ante ebrietatem præuidit formaliter, vel interpretatiuè (quia scilicet debuit præuidere) homicidium sequendũ ex ebrietate, si ebrius occidat, fit irregularis. Exemplum est in eo, qui factus ebrius consueuit arma sumere, vel lapides proiicere, & occidere homines, nec adhibuit diligentiã in præcauendo. ita Couar. num. 4. versic. posset quidem. Castro sup. post primam conclusionem. Nauar. n.230. Henriq. c.15.n.7. & alij communiter. Probatur: nam tale homicidium est volitum in causa, & idem à fortiori dicendum est in illo, qui eo fine se inebriauit, vt liberiùs posset occidere. ita Castro sup. versicul. prima principalis conclusio. Henriq. num.7. & Couar. n. 3. versic. huic autem quæstioni. in fine.

Secunda conclusio. Si homicidiũ non est præuisum formaliter, nec interpretatiuè, non inducit irregularitatem, quamuis homo peccauerit mortaliter inebriando se: ita tenent Doctores citati. Probatur, quia tale homicidium nõ est volitum in se, nec in causa: ebrietas enim secundùm se, non est causa periculosa homicidij, & ideo solùm est causa remota & per accidens.

Ad argumentum Cardinalis & Immolæ respondetur, quòd Papa excipiens furiosum, excepit tacitè ebrium: nam in iure æquiparantur. c. venter. 35. dist. & eadem est vtriusque ratio.

Sectio II.

De irregularitate proueniente ex homicidio directè voluntario.

De quo tractat Nauarrus. capite. 27. numero 240. Couar. Clement. si furiosus. part. 2. in initio. numero. 1.

Henri

Henriq. cap. 14. Emmanuel in Sum. verb. irregularitas. cap. 178.

DVBITATVR primò, quòd homicidium dicatur directè voluntarium, cuius dispensatio semper excipitur in omnibus priuilegis.

Prima conclusio. Illud homicidium dicitur directè voluntarium, quando est volitum in se formaliter & expressè, vel in causa adeò propinqua, vt moraliter loquendo sit impossibile velle illam, & non velle mortem, vt præbere venenum, quod scit esse mortiferum, vel ferire punctim circa præcordia, & qui ense grauiter percutit in capite. ita Nauarr. n. citato. Henr. n. 1. litera L, Emmanuel post tertiam conclusionem. Idem est in eo, qui præbet mulieri remedium ad aborsum, si sequatur aborsus post animationem. ita Emmanuel colum. 1.

Sed dubium est, vtrùm quando nihil horum contingit, sit homicidium directè voluntarium, verbi gratia, qui mulierem grauidam percutit sine animo causandi aborsum, volens percutere leuiter, & tamen occidit?

Couarru. loco citato, & clariùs §. 1. versicul. quibus ita. num. 2. tenet esse voluntarium, & idem Caiet. 2. 2. q. 64. art. 8. in responsio. ad 2. nec sumit voluntarium pro casuali culpabili, sed pro directè voluntario, vt patet ex verbis immediatè præcedentibus.

Sit tamen secunda conclusio. Contraria sententia est probabilior; quam tenet Nauar. num. citato. Henriq. num. 1. citato, litera N, Ludouicus Lopez in Instructorio conscient. part. 2, cap. 93. versic. sed si quærat aliquis. Probatur primò: nam secundùm D. Thom. 2. 2. quæst. 64. ar. 8. homicidium directè voluntarium in hoc distinguitur à casuali culpabili, quòd hoc est volitũ in causa, illud autem est volitũ in se; ergo homicidium, quod non est volitum in se, nec in causa adeò propinqua, vt non se comparatur, velle illam, & non velle homicidium, non erit directè voluntarium.

Ex dictis sequitur, quòd qui mandat seruo percutere aliũ citra deformationẽ, quamuis seruus excedens mandatũ occidat, mandans non est homicida voluntarius. ita Nauar. n. citato, Henr. in glossa, litera N, contra Couar. versic. modò citato, nec etiam ille qui intendens leuiùs vulnerare, non temperauit manum, sed inflixit vulnus lethale. Hoc videtur contra Nau. cons. 28. de homicidio. vbi refert, quòd quidam lacessitus leui iniuria ab amico, quæsiuit illum animo leuiter percutiẽdi, & inuentum percussit ense in capite absque intentione occidendi, & altera die mortuus est, & dicit, quoad forum exterius iudicandum esse homicidã voluntarium, & quòd vix poterit non iudicari voluntarius, etiam quoad forum interius.

Sed ego dico, quòd si quando percussit, intendit leuiter vulnerare, sed non tẽperauit manum, non est homicida voluntarius, secus verò si voluit grauiter percutere, licèt non intenderit occidere.

Præterea dico, quòd si quis in rixa inopinata occidat aduersariũ præcipuè autorem rixæ, non est homicida volũtarius. ita Henriq. c. 14. num. 1. in fine. Didacus Perez lib. 8. ordinamenti. tit. 13. in Rubr. colum. 4. part. 256. vbi id latè tractat, & Emmanuel verb. irregularitas, c. 179. notab. 1. & 2. Probatur, quia talis occisio magis est defensio, quàm occisio. Secundò probatur ex Trident. sess. 14. cap. 7. de reformat. dicẽte, *cùm etiam qui per industriam occiderit proximum, & per insidas, &c.* & ex illis verbis non ex proposito, sed casu; quę verba non sunt intelligẽda de homicidio casuali non volito in se, sed in causa: sed intelligẽda sunt de homicidio, quod casũ solo contingit, ad differentiam homicidij voliti ex proposito. Patet hoc: nam Conciliũ ibi loquitur de homicidio occulto, cuius dispẽsatio reseruatur Papæ, & tamẽ certum est, quòd post Concilium Episcopus potest dispensare in homicidio occulto casuali volito non in se, sed in causa;

ergo non loquitur de hoc homicidio, sed de homicidio, quod contingit casu, idest, non ex proposito.

Inquiris, vtrùm qui directè voluit mutilare, dicatur irregularis ex homicidio directè voluntario?

Tertia conclusio affirmatiua, ita Medina in Sum. libr. 1. c. 11. §. 12. Henriq. c. 9. num. 3. litera Z, vbi citat alios. Vtrùm verò dispensatio talis mutilationis reseruetur soli Papæ, sect. vlt. dicemus, scilicet sect. 5. dub. 4.

Quarta conclusio. Qui in bello clarè iniusto occidit per se, vel per alium suo consilio, est homicida voluntarius. Idem dico de Iudice, qui prætextu publicæ autoritatis occidit iniustè. Sic Henriq. c. 14. num. 5. vbi citat alios. Idem etiam dico de illo, qui per falsam accusationem, vel testificationem fecit aliquem occidi à Iudice. Ita Emmanuel cap. citato. concl. 3.

Et quoniam etiá qui præcipit, vel consulit homicidium, fit irregularis, ideo de hoc agendum est, aduertendo priùs quòd in dubiis sequentibus quædam irregularitates sunt ex homicidio volũtario, quædam verò ex casuali, quod secundùm regulas modò traditas facilè discernetur.

DVBITATVR secundò, vtrùm mandans occidere sit irregularis, morte sequuta? De quo P. Henriq. num. 16. Couar. p. 2. §. 1. n. 2. & 3.

Sit prima conclusio. Certum est, quòd manet irregularis. ita Nauar. num. 233 & Doctores, & est text. c. si quis viduam. 30. distinct. Probatur: nam secundùm omnes Theologos, inter causas mortales cõcurrentes ad aliquem effectum connumeratur, qui mandat illum fieri, imò hic dicitur causa principalis; qui exequitur autẽ, est causa minùs principalis. Quæ conclusio habet verum, non solùm quando mãdatum est expressum, sed etiam quando est tacitum, vt si iniuriatus dicat filio, vel famulo, ne occidas illum; veruntamen ne redeas domum donec aliquid nouidè audiam. Ita Bartol. quem Doctores communiter sequuntur; vt testatur Couarru. num. 3. vers. cæterùm. tenet etiam Henriq. n. 1.

Secunda conclusio. Etiam est irregularis, qui illicitè mandat percutere circa deformationem, si mandatum excedens occidat. Nauar. num. 233. & alij, & est tex. cap. finali, de homicidio. in 6. vbi redditur ratio, quia mandando in culpa fuit, & hoc euenire posse debuit cogitare; verùm hoc homicidium non est directè voluntarium in mandante, vt vidimus dub. 1.

DVBITATVR tertiò, vtrùm consulens homicidium fiat irregularis, eo sequuto? De quo Henriq. c. 17. Dico, *eo sequuto*: nam licèt excommunicatio possit aliquando incurri à consulente, vel mandante, etiam effectu non sequuto, vt patet in mandante aliquem interfici per assassinos, licèt ille à parte rei non occidatur, vt patet in materia de excommunicatione; at verò nullum mandatum, nec cõsilium homicidij facit irregularem, antequã sequatur. ita Couar. p. 2. §. 2. n. 1. & est manifestum ex dictis disp. 2 dub. 1.

Præterea supponendum est, quòd vt consilium inducat irregularitatẽ, requiritur, quòd sit causa homicidij; vnde si cõsilium, vel fauor detur post commissum homicidiũ, non inducit irregularitatem, nisi fortè consilium, vel fauor promissus excitaret animum occidentis: tunc enim nõ vt futurus, sed vt præuisus, & separatus causaret homicidium. ita Couar. dicto n. 2. & Henriq. c. 14. n. 2. & quia consilium potest esse bonum, vel malum, de vtroque dicendum est.

Vnde inquirimus, vtrùm qui consulit minus malum, fiat irregularis, verbi gratia, qui consulit mutilationem membri ei, quem aliter non potest auertere ab homicidio? Et ratio dubitandi est, quòd licèt tale consilium sit licitum, vt communiter dicunt Theologi, tamen irregularitas potest incurri sine culpa. Cæterùm hoc non obstante.

Sit prima conclusio. Talis consulens non fit irregularis. ita Henriq. c. 16. num. 4. & multi viri docti. Probatur: nam talis mutilatio

mutilatio non est voluntaria consulenti, nec tale consiliũ est causa mortalis mutilationis, sed potiùs est causa, ne fiat homicidium. Loquendo de consilio malo;

Sit secunda conclusio. Consulens homicidium ei, qui aliàs non erat paratus ad occidendum, fit irregularis; hæc est certa apud omnes, & habetur ex cap. si quis viduam. 50. dist. & cap. finali. de clericis pugnantibus in duello. Probatur: nam qui consulit, est verè causa mortalis influens in effectum.

Tertia conclusio. Quamuis is, cui datum est consilium, esset aliàs occisurus, quia iam erat determinatus ad occidendum, tamen si ego per consilium auxi voluntatem illius, & veluti exacui, sum irregularis; hæc est contra nõnullos, sed eam tenet Couarru. numer. 2. versic. est igitur. Henriq num. 3. & multi Theologi. Probatur conclusio: nam verè influo in homicidium; augendo enim voluntatem, consequenter auxi actum exteriorem à voluntate procedentem. Secundò probatur ex cap. sicut dignum. §. qui verò. de homicidio. vbi dicit Pontifex, *Qui verò se asserunt animum Regis inflammasse ad odium, vnde homicidium fuit sequutum, dure & aspere, sed non ita scienter sunt puniendi, nisi forte Regem ad illud homicidium suis suggestionibus provocassent*; subintellige, aliàs non facturum, vt inquit glossa, quo casu tenerentur de homicidio, sicut ipsimet occisores.

Quarta conclusio. Quando consilium fuit ita simplex, quòd non influxit in effectum, quia alter erat alioqui occisurus, & consilium non auxit voluntatem, nec conatum; consulens non fit irregularis. ita Henri. & alij communiter, imò dico cum Emanuele verbo, irregularitas. cap. 178. concluſ. 11. quòd si consultus fuit exiguè motus, consulens non fit irregularis, & idem dico de mandante cum eodem concluſ. 9. Et notate tertiam conclusionem intelligendam esse, dummodo consilium operetur aliquid in opus exterius, scilicet vt faciliùs, citiùs, aut crudeliùs cõmittatur homicidium. ita Henriq. num. 3.

Quinta conclusio. Ab ipso consulto & ex aliis coniecturis accipiendũ est, vtrùm consilium influxerit in effectum, vel non. Explicatur conclusio: nam si dicat, se non motum esse consilio, nec ad substantiam homicidij, nec voluntatem suã fuisse auctam, liber manet consulens ab irregularitate. ita Henriq. num. 3. Cæterùm si hoc non possit sciri ab ipso, prudens vir perpendet coniecturas: nam si ego dedi consilium Ioanni, qui ardenti voluntate occidit statim, signum est, quòd meum consilium influxit; at verò si occidit post multos dies, non potest sumi certa coniectura: nam licèt pro tunc quando ego dedi consilium, fortassis excitauerim & intenderim eius voluntatem; at verò post tot dies potuit ille feruor elanguescere, & voluntas redire ad statum pristinum, in quo erat ante consilium, & tunc ego non sum irregularis. Si autem omnibus pensatis maneat dubium, vtrùm meum consilium influxerit, debeo me reputare irregularem, quia in dubio præsumendum est, quòd alter non committeret delictum sine consilio, vt ait Couarru. versicul. in eo verò casu. Tabien. ver. consilium, num. 4. qui citat Felinum, & aliqui viri docti, licèt contrarium teneat Henriq. num. 3. in glossa, litera D.

Sed inquiris, vtrùm quemadmodùm consulens homicidium ei, qui aliàs erat ita determinatus, vt meum consilium non auxerit eius voluntatem, non manet irregularis, ita etiam nec mandans? Couarru. loco citato dicit manere irregularem, & quòd ea, quæ dicta sunt in consulente, non habent locum in mandante.

Sit sexta cõclusio. Oppositum est probabilius, & est de mente Nauar. in alio simili. cap. 27. num. 51. ante versicul. adeò quòd refert. tenet Emmanuel concl. 9. citata. Et probatur: nam licèt habuerit animum influendi in effectum, tamen de facto non influxit.

DVBITATVR quartò, vtrùm mandans vel consulens homicidium fiat irregularis, si ante executionẽ reuocat mandatum

datum vel consilium,& tamen post reuocationem mandatus vel consultus occidit. Et quidem loquendo de mandante,

Sit prima conclusio.Si reuocauit mandatum,ita vt reuocatio peruenerit ad notitiam mandati, non incurret irregularitatem. sic Innocent. receptus communiter,vt ait Nauar.num.233.& alij multi,vt refert Couarru.2.part.in initio,numer.9. versic. 5. ex his. & P. Henriq cap.16.n.2. Quæ conclusio intelligitur , licèt reuocatio fuerit tacita , vt si restituat aduersariũ in pristinam amicitiam,vel cõtrahat cum eo affinitatem sciente mandato.sic Henr. & Emmanuel cap.178.post 7.concl. Probatur,quia talis mandatus,non occidit vt mandatus,nec vt causa instrumẽtalis mota à mandante , sed vt causa principalis: mandatus enim vt sic, solùm operatur in gratiam mandantis.

Secunda conclusio. Si reuocatio non peruenit ad mandati notitiam, mandans fit irregularis. ita Felinus in cap.ex parte. de rescriptis.Couarru.versiculo modò citato,vbi allegat alios,Nauar.num.citato. Henriq.num.2. Probatur:nam mandatus verè occidit virtute mandantis, & motus ab ipso.

Sed contrà, mandans in isto casu non incurreret excommunicationem, si occisus esset clericus; ergo nec manet irregularis. Admisso antecedenti tanquam valde probabili,quod videtur de mẽte Henriquez litera R,negatur consequẽtia:nam secundùm hanc opinionem , qui iam est cõtritus,non potest excommunicari : excommunicatio enim est medicinalis,quia imponitur , vt homo exeat à peccato , & ideo pro illo puncto requiritur contumacia,secus autem est de suspensione,interdicto,& irregularitate, quæ solent infligi etiam in pœnam præteritorum criminum, nulla præcedente contumacia. Loquendo de consulente,

Sit tertia conclusio. Qui consulit homicidium , vt liberetur ab irregularitate, debet efficacius reuocare cõsilium,quàm mandatum , quia in mandato agitur res mandantis , in consilio verò agitur res ipsius consulti.Vnde consulens debet conari precibus importunis , ne consilium mandetur executioni; quòd si non firmiter credit preces profuturas , debet indicare occidendum in particulari,vel in generali , ad arbitrium viri prudentis,vt caueat ; qua diligentia facta, liber erit ab irregularitate,quia tunc mors imputabitur negligentiæ occisi. ita Sylvest. verb. homicidium.1.num.12.in fine.Anton.3.par. tit.28.cap 2.§.2.Henr.num 5. Emmanuel cap.178.conclus.12. & alij contra Nauar. num.253.

Hinc sequitur , quòd si consulens non potest occidendum monere de periculo, manet irregularis. sic Henriq. ibidem; at verò mandans non tenetur monere,vt inquit Henriq.num.2. Præterea dicit Henr. n. 5. non manere irregularem clericum, qui non potest dimouere coniugatum à consilio dato aborsus , quia iam monuit infantem in matre.Sed contrarium teneo cum Nauar num.233.& Cordub.in Sum. quæst.173.§.6.& Emmanuele concl.12.in fine : nam illa monitio infantis in matre nullius est momenti , siquidem ipse nullo modo potuit se liberare. Præterea dico quòd si consultus deponat omnes rationes, quibus motus fuit ad acceptandum consilium , & dicat , non propter consilium,sed propter alias causas velle homicidium exequi(cui in hoc credendum est) consulens non manet irregularis , & hoc quamuis non moneat occidendum. ita Emmanuel concl.12.

Dvbitatvr quintò,vtrùm qui consulit alteri,quòd exponat se periculo mortis, sit irregularis morte sequuta? Innoc. & Hostiens.in cap.ad audientiam.de homicidio.dicunt esse irregularem,quando verisimiliter debuit cogitare mortem euentrum;excipiun tautem consulentem alteri, vt exponat se pro defensione fidei vel Ecclesiæ.

Prima conclusio. Qui consulit alteri, vt exponat se periculo mortis pro bono publico,vt pro defendenda patria,non fit irregu

irregularis.sic Angel.verbo,homicidium. 1.num.15.Supplementum, & Rosella citati à Sylvest.verbo,homicidium.1.quæst. 8.part.8.& est de mente eiusdem Sylvestri.Probatur,quia non est irregularis,qui in bello iusto adhortatur milites ad pugnandum.

Hinc infertur à fortiori, non esse irregularem eum,qui consulit alteri,vt moriatur pro fide vel Ecclesia.ita Couarru. par.2.§.5.n.6. & alij , quia hoc nihil aliud est , quàm exhortari militem Christi ad fortiter pugnandum.

Secunda conclusio.Nec etiam est irregularis,qui consulit alteri , vt exponat se periculo mortis pro bono particulari in casu quo ipse tenetur , imò quamuis non teneatur , dummodo licitè possit. Prima pars patet in casu, quo filius tenetur patrem à morte defendere: nam tunc consulo,quòd euitet peccatum.Secunda pars patet,quando consulo Petrum,vt liberet amicum lapsum in flumen. Hæc colligitur ex Sylvest.& Panormit.in cap. ad audientiam.vbi explicat dictũ Innocentij , quando consilium datur in causa iniusta,secus quando in causa iusta.Et probatur : nam sicut amicus liberans amicum cum periculo propriæ vitæ nõ peccat, ita nec consulens;ergo non vult directè nec indirectè mortem consulti.

Tertia conclusio. Qui consulit alteri, vt illicitè se exponat probabili periculo mortis, fit irregularis. Probatur: nam qui iniustè & temerariè exponit se periculo mortis,censetur homicida sui; ergo consulens est causa. Quæ conclusio est de mente Nauar.num.235.& Henriq.cap.15. num.4. dicentium , esse irregularem eum qui fecit prægnãtem intrare per loca periculosa,vt per tectum domus , & mortua est,vel abortiuit.

Ex dictis sequitur decisio trium quæstionum.Prima est,si ego mãdo vel consulo Ioanni occidere Paulum , & tamen Ioãnes occiditur à Paulo , vtrùm ego sim irregularis? Partem negatiuam tenet Henriquez c.16.num.1.

Sit quarta conclusio , quòd sum irregularis.ita Nauar.num. 233. & Couarru. par.2.§.2.num.1. versic. quòd si ex prauo. vbi citat alios.tenet Armil. verbo, irregularitas.num.29.Tabien. verbo, irregularitas.2.§.12.Emmanuel c. 178. & quantùm ad mandantem tenet Sylvest.verbo , homicidium.1.quæst. 7. part. 4.quantum ad consulentem verò tenet quæst. 8. part. 2. Probat Tabiena,quia fuit in culpa,& hoc euenire posse debuit cogitare ; vnde Sylvest.in vlt. loco modò citato , & Tabien. sequentes Panormitanum,non admittunt limitationem Innocentij & Hostiensis, scilicet quòd conclusio solùm procedat, quando erat verisimile , quòd iste poterat occidi à Paulo inuadendo , vt quia mandatus vel consultus erat longè debilior Paulo, vel quid simile. Nihilominus placet mihi limitatio Innocentij, quia nõ est omnino eadem ratio , quando occiditur inuadendus , & quando occiditur inuadens.

Secunda quæstio est, quando ego illicitè rixor cum Ioanne,& amici mei occiduntur ab amicis Ioannis,vtrùm ego maneam irregularis , sicut maneo , si amici mei occidunt amicos Ioannis?

Partem negatiuam tenet Henriq. c.15. num.4.litera O,& Panormit. cap. Petrus. de homicidio. Contrarium tenet Nauar. & Emanuel cap.citato.concl.18.Idem videtur tenere Villadiego cap. 6. num. 37. versic.si verò quis.& aliqui iuniores.

Sit quinta conclusio. Probabilius iudico,quòd ero irregularis; quam conclusionem intelligo, si ego vocaui amicos in mei defensionem,quod tenet Armil.num. 35.vel etiamsi verisimiliter debui cogitare amicos meos superuenturos.

Tertia quæstio est , si scribat clericus, quòd aliquis capiatur , & ex captione sequatur mors,vtrùm sit irregularis?

Sit sexta conclusio , quòd si scribendo fuit in culpa , est irregularis , secus verò si non fuit in culpa. Primam partem tenet Hostiens. cap. sententiam sanguinis , ne clerici vel Monachi. Sylvest. verbo, homicidium.

micidium. 3. q. 5. part. 8. Henriquez c. 12. n. 10. litera N, & quoad vtramque partem conclusionis tenet Villadiego c. 6. n. 51. vbi sic ait, *Quod intellige verum, si iste fuit in culpa, hoc scribendo, fortè quia non spectabat ad officium suum*; pro quo citat Abbatem dicto cap. sententiam.

Ex hac cõclusione infero, quòd si Prælatus ecclesiasticus iustè mandat apparitori suo, scilicet *alguazil*, quòd capiat aliquem, & quia iste se defendit sequitur mors, Prælatus non fit irregularis, quia cùm det operam licitæ rei, non est imputandum sibi homicidium per accidens & indirectè sequutum.

DVBITATVR sextò, vtrùm sit irregularis, qui ratum habet homicidium suo nomine factum, quod antequam fieret, potuit mandare? Dico, *suo nomine factum*, & dico, *quod antequam fieret, potuit mandare*, quia inter alias conditiones hæ duæ requiruntur, vt ratihabitio æquiparetur mandato, vt vidimus cap. 4. de excommunicat. disput. 3. dub. 9.

Partem affirmatiuam tenet Nauar. n. 233. Felin. & alij relati à Couarru. p. 2. §. 1. n. 4. Probatur primò: Ratihabitio comparatur mandato, sed mandans homicidium fit irregularis. Secundò: nam qui ratam habet percussionem clerici, incurrit excommunicationem, cap. cùm quis. de sentent. excommunicat. in 6.

Sit conclusio. Qui non fuit causa homicidij, quia scilicet nec dedit auxilium, consilium, nec fauorem, quamuis illud ratum habeat, non fit irregularis. sic Angel. verb. homicidium. 2. num. 6. Tabien. ver. irregularitas. 2. num. 7. Couarr. sup. Perez ad Villadiego cap. 6. num. 21. Henriquez cap. 15. num. 2. & glossa c. si quis viduam. 50. dist. Probatur: nam ratihabitio cùm sit posterior, nullo modo est causa homicidij. Secundò, irregularitas non incurritur nisi in casibus à iure expressis, sed non est expressum in iure, quòd ratihabitio inducat irregularitatem; ergo.

Ad primum argumentum respondetur cum Couarru. quòd ratihabitio mandato comparatur, nisi in casibus, in quibus requiritur expressa iuris decisio, qualis requiritur in irregularitate. Secundò respõdetur cum Henriq. cap. 12. num. 10. quòd licèt ratihabitio comparetur mandato quoad culpam, non tamen quoad pœnas iuris, nisi exprimatur.

Ad secundum respondetur, quòd de excommunicatione est expressum in iure, dicto cap. cùm quis.

DVBITATVR septimò, vtrùm non impediens homicidium, cùm tamen possit, fiat irregularis?

Prima opinio est, quòd si non impediuit ex dolo, manet irregularis; secus tamen si omisit defensionem non ex dolo, sed ex negligentia, vel ex pusillanimitate, vel quia noluit se immiscere rumoribus. Hoc tenet Angelus verbo, homicidium. 1. num. 17. & Couarru. 2. par. §. 2. num. 7. in fine. vbi ait, quòd qui ex dolo non obstat percussioni clerici, est excommunicatus; & statim dicit, quòd in eisdem casibus, in quibus incurritur excommunicatio propter non defensionem, in eisdem incurritur irregularitas. Quæ opinio probatur ex cap. sicut dignum. de homicidio. §. illi. vbi non defendentes puniuntur grauiter, quia scriptum est (ait Pontifex) *Qui potuit hominem liberare à morte, & non liberat, tam occidit.*

Secunda opinio est, quòd licèt impediat ex dolo, non fit irregularis, imò generaliter videtur sentire hæc opinio, quòd in nullo casu incurritur irregularitas propter non defensionem; hanc opinionem tenet Anton. 3. p. tit. 28. cap. 2. in princip. Armil. verb. irregularitas, num. 2. Tabien. verb. irregularitas. 1. §. 2. vbi citat Hostiensem, Archidiaconum, & alios. Probat, quia lex promotionis requirit factum. cap. finali. 15. quæst. 1. sed in eo, qui solùm permittit, nullum reperitur factum; ergo. Vnde ait Tabien. semper requiri aliquem actum positiuũ, qui sit causa mortis. Confirmatur, quia non est expressum in iure, quòd ex sola permissione contrahatur irregularitas.

Inter

Inter has opiniones extremas media via incedendum est. Pro quo nota, quòd duplici titulo potest aliquis obligari ad impediendum homicidium. Primo modo ratione charitatis, & hoc modo tenentur omnes proximum defendere, quando, commodè possunt. vt patet c. nō inferenda. & cap. vlt. 23. quæst. 3. Secundo modo, ratione iustitiæ, nempe Iudex, Ministri Iustitiæ, Gubernator, dominus erga vassallos, herus, pater, maritus, tutor, & è contra vassalli, famuli, filius, vxor, pupilli, & custoditi, vt tradit Nauarr. cap. 24. num. 18. Henri. cap. 12. num. 7. in glossa, litera D.

Quo supposito, sit prima conclusio. Qui non impedit homicidium, si solùm tenetur ex charitate, non fit irregularis. ita Nauarr. cap. 27. num. 231. & cap. 24. num. 22. Henri. n. modò citato. vbi allegat alios, tenet Sylvest. ver. homicidium. 3. §. 2. reg. 3. & Emanuel. ver. irregularitas. cap. 178. concl. 5. Probatur: nam iste non peccat peccato homicidij: homicidium enim est contra iustitiam.

Secunda conclusio. Iudex, & qui ex iustitia tenetur impedire homicidium, si possit impedire absque graui damno suo, & non impediat, manet irregularis. ita Sylvest. & Nauarr. locis modò allegatis. Henri. num. 7. Emanuel concl. 4. Felin. c. 1. de potestate Iudicis delegati. num. 4. & Autores primæ opinionis. Probatur: Qui non obstat, si ex officio tenebatur obstare, obligatur ad restitutionem secundùm communem sententiam; ergo concurrit moraliter ad damnum; ergo idem est in homicidio.

Ex dictis sequitur primò, quòd si quis volenti ex charitate defendere alium, persuaserit, ne defendat eum, non fit irregularis, licèt id faciat dolosè ex prauo animo, scilicet vt alter moriatur. Corollarium hoc est cōtra Angelum, Sylvestrum ver. homicidium. 1. quæst. 9. part. 1. Tabien. ver. irregularitas. 2. num. 16. Armil. 31. Nauarr. dicto num. 231. Sed illud tenent quidam iuniores, quorum rationes videntur mihi efficaces. Prima est, qui recipit consilium, non fit irregularis; ergo nec consulens. Patet cōsequentia: nam est causa magis remota. Secunda: nam talis consulens non peccat cōtra iustitiam, quia non consulit aliquid illicitum contra iustitiam, sed contra charitatem. Idem corollarium videtur tenere Henri. dicto n. 7. sed obscurè loquitur; videtur etiam de mente Emanuelis post 6. concl. Dixi, *si persuaserit*: nam secus erit, si per violentiam, iniuriam, vel fraudem retraheret illum à defensione: tunc enim ageret cōtra iustitiam, & fieret irregularis, sicut si aliquis volenti dare eleemosynam, persuadeat, ne eam det, solùm peccat contra charitatem, nec tenetur restituere: cæterùm si per vim vel fraudem retrahat, peccat cōtra iustitiam, & tenetur restituere, quoniam licèt ille pauper non habeat ius iustitiæ ad illam eleemosynam, habet tamen ius ad hoc, vt nemo illam impediat per iniuriam, vt dicitur in materia de eleemosyna.

Secundò sequitur, quòd si aliquis sciat homicidium tractari, & non reuelet, non manet irregularis, si ex sola charitate tenebatur reuelare. ita Nau. c. 24. n. 22. Henri. dicto num. 7.

Sequitur tertiò, quòd si Medicus non stipendiatus omittat curare infirmum, ex quo moritur, non manet irregularis; secus verò si erat stipendiatus, vel ab illo infirmo, vel in oppido pro incolis, quia in primo casu tantùm agit contra charitatem, in secundo verò agit cōtra iustitiam. ita Emanuel c. 173. concl. 13. & alij.

Sequitur quartò, quòd si fœmina dicat illi, ex quo concepit, se velle sumere medicinam ad abortum, & ille taceat, & sequitur abortus post animationem, manet irregularis, si credebat se profuturum. ita Emanuel cap. 178. post decimam conclusionem.

Ad argumentum primæ opinionis respondetur, quòd Pontifex in illo §. non loquitur de non impedientibus, sed de auxiliantibus, vt patet ex illis verbis, *sed*

vt percussoribus opem ferrent. Secundò, respondetur, quòd non impediens homicidium, cùm commodè posset, reputabitur irregularis in foro exteriori, quia præsumetur ideo non impedisse, vt opem ferret; quod est de mente Nauarr. c. 24. n. 20. ver. in 28. n. & habetur ex dicto §. illi. & capit. quantæ. de sent. excommunicat.

Ad argumentum secundæ opinionis respondetur, quòd omittens defensionem debitam ex iustitia licèt non concurrat physicè ad factum, concurrit tamen moraliter. Ad confirmationem respondetur: Concedo nullum esse textum expressum, qui determinet, non impedientes homicidium, esse irregulares: nam dictus §. illi, non loquitur de hoc, quidquid dicat Couar. nisi fortè intelligatur quoad præsumptionem in foro exteriori, nihilominus tamen satis est, quòd in iure sit expressum, omnes concurrentes ad homicidium auxilio, fauore, vel consilio esse irregulares, & qui non defendit, cùm teneatur, ex iustitia verè concurrit moraliter ad homicidium, vt dictum est.

Sectio III.

De irregularitate proueniente ex homicidio contingente in bello.

De quo tractat Sylvest. verb. bellum 3. Couarr. p. 2. §. 3. Henriq. cap. 13. Nauar. à num. 215. Emmanuel cap. 172.

Dubitatur primò, vtrùm qui in bello occidit propria manu, fiat irregularis?

Prima conclusio affirmatiua, siue bellum sit iniustum, siue iustum, ita Nauar. num. 215. Couarr. num. 2. Henriq. num. 2. & communiter Doctores, & habetur cap. petitio, de homicidio. Sed aduertite ex Nau. n. 213. & 214. quòd quando bellum est iustum, erit irregularitas ex defectu perfectæ lenitatis; quando verò fuerit iniustum, erit ex homicidio iniusto.

Sed difficultas est, vtrùm miles, qui in bello propria manu occidit in casu, quòd sit necessarium ad euitandam mortem, fiat irregularis?

Communiter Doctores conueniunt in hoc, quòd qui se conferunt ad bellum iustum, non quidem ad pugnandum propria manu, sed ob aliã causam, verbi gratia, ad exhortandos milites, vel ad adiuuandum in spiritualibus, si coniiciantur in has angustias, quòd nisi occidant propria manu, non possunt se à morte defendere, non manent irregulares. ita Nau. in misp. c. 27. num. 214. Sylvest. ver. homicidium 3. quæst. 6. part. 6. Henr. num. 1 litera E. Probatur apertè ex Clem. si furiosus. Idem dicendum est de illis qui se conferunt ad bellum iniustum, non quidem ad pugnandum, nec ad inducendos milites, sed ad adiuuandos eos in spiritualibus, vel ad componendam pacem. ita Sylvest. quæst. 4. part. 3. Probat, quia isti licitè se defendunt; vnde tota controuersia est de milite, qui quidem profectus est ad prælíandum.

Nam Henr. num. 1. Emmanuel concl. 6. & aliqui iuniores tenent esse irregularem quamuis bellum sit iustum. Probant, quia sponte sua accessit ad bellum, vt autoritate publica occideret, sicut Iudex, licèt teneatur occidere malefactorem, manet irregularis, quia sponte accepit officium. Confirmatur: Qui in duello occidit alterum, quamuis sit in defensionem propriæ vitæ, manet irregularis; ergo.

Sit tamen secunda conclusio. Isti milites, quando bellum est iniustum, manent irregulares, non tamen quando est iustum. Prima pars est Sylvest. quæst. 4. p. 3. citata. Probant, quia isti non habent licitam defensionem. Clementina autem si furiosus tantùm loquitur, quando defensio est licita. Ponit optimum exemplum Sylvest. si delinquens comprehendatur à ministris iustitiæ, & occidat, vt euadat mortem, fit irregularis; secundam verò partem tenet Sylvest. quæst. 6. citata. part. 2. & aliqui viri docti. Probatur: nam ista defensio est licita. Confirmatur, si Iudex, vel carnifex inuadatur à reo, quem vo-

lebat

lebat decapitare, & pro necessaria sui defensione occidat illum; non manet irregularis.

Ad argumentum P. Henriq. respondetur, quòd Iudex suscipit officium, in quo aliquando tenebitur occidere malefactorem sine necessitate defendendi propriam vitam, & ideo manet irregularis; at verò si daretur casus, in quo occideret illum ad defendendam propriam vitam, non maneret irregularis; vt dictum est, quia licitè se defendit. Ad confirmationem: Concesso antecedenti, negatur consequentia: nam pugna in duello, est illicita ex vtraque parte, vnde nouter eorum, qui pugnant in duello, est propriè defensor, sed iniustus aggressor, quod iam est omnino certum post Trident. sess. 25. cap. 19. de reformat.

DVBITATVR secundò, vtrùm qui non occidunt propria manu, sed pugnãt, & solùm assistunt bello ad adiuuandum, vel exhortandos milites, maneant irregulares sequuta deformatione?

Prima conclusio. Quando bellum est iniustum, manent irregulares, non tamen si sit iustum. Primam partem conclusionis tenet Sylvest. ver. bellum. 3. quæ. 4. & ver. homicidium. 3. q. 6. part. 1. Nau. num. 216. & 234. & Couarru. num. 2. qui dicit esse communem. Probatur: nam omnes isti censentur quasi vna causa moralis; excipiuntur tamen illi, qui solùm assistunt ad componendum pacem, vel adiuuandum milites in spiritualibus. ita Sylvest. quæ. 6. citata.

Hinc sequitur, etiam esse irregulares, qui custodiunt sarcinas militum. ita Nau. num. 234. Idem dico de conducente milites: hoc à fortiori est de mente Nauarri num. 224. & Emanuelis cap. 178. concl. 2. sed est contra Didacum Perez ad Villadiego, cap. 6. num. 16. vbi citat alios. Et probat, quia iste est causa remota; sed certè ex hac ratione sequeretur, quòd conducens, vel rogans aliquos, vt adiuuent amicum in rixa iniusta, non esset irregularis morte sequuta. Idem etiam dico cum Nauar. num. 224. de præbentibus arma ad bellum iniustum. Idem dico cum Henri. num. 5. de gubernantibus nauem in bello iniusto. Secundam verò partem conclusionis tenet Nauarr. num. 216. Henri. n. 1. & 2. Couarru. §. 3. num. 2. & communiter Doctores, qui apertè deducunt eam ex cap. petitio tua. de homicidio. Et probatur: nam alias milites in bello iusto essent irregulares. Et hæc secunda pars intelligitur etiam in illis, qui percutiunt, & vulnerant, dummodo non deforment, quod etiam habet locum in personis ecclesiasticis. ita Panorm. cap. penult. & vlt. de clerico percussore. Henri. n. 2. Nauar. num. 215. facit dictum cap. petitio. ibi enim solùm inducitur irregularitas ex occisione, non ex percussione. Idem tenet Sylvest. ver. homicidium. 3. quæst. 6. part. 6. vbi id limitat, nisi intulisset vulnus lethale, & taliter vulneratus occisus ab aliis. Idem tenet Armil. ver. irregularitas. num. 57. Hanc autem limitationem intelligo, nisi fortè tale vulnus non concurrit ad mortis acceleratione, vt si taliter vulneratus occisus est à bombarda, iuxta ea quæ dicemus agendo de rixa. Aliam limitationem apponunt Sylvest. & Armil. locis citatis, & Anto. 3. p. tit. 28. cap. 2. §. 6. scilicet nisi percussierit animo occidendi: tunc enim licèt vulnus non fuerit lethale, si percussus fuit occisus ab aliis, sit irregularis. Sed Henri. cap. 12. num. 4. in fine, non approbat hanc limitationem, & meritò, quia voluntas occidendi non sufficit ad inducendum irregularitatem, nisi sequatur occisio. Præterea, nam cap. petitio. non ponit hanc limitationem.

Ex dictis sequitur, quòd vendentes vel donantes arma militibus ad bellum iustum, non manent irregulares. ita Nauar. num. 215. & hoc intelligo, quamuis præbeat arma etiam offensiua in ipso conflictu belli, & quamuis sit clericus in sacris. hoc est de mente Nauarr. ibidem. §. 7. vbi citat Innocentium, quamuis Sylvest. ver. homicidium. 3. quæst. 6. part. 6. Henri. c. 12. num. 4. litera N, & num. 11. & Villa-

diego cap. 6. num. 5. versic. consequenter quæro, limitant, quando arma offensiua dantur ante conflictum prælij.

Sed probatur nostra sententia, quia, vt dicemus in solutione ad 2. noluit ius, vt pugnantes in bello iusto essent irregulares, nisi propria manu occidant.

Sed contra secundam partem conclusionis arguitur. Primò: nam, vt dicemus infrà, quando plures concurrunt ad occidendum, licèt vnus tãtùm occidat, omnes manent irregulares, quia omnes censentur vna causa moralis, sed in bello omnes concurrunt tanquam vna causa, quia mutuò se iuuant vocibus, exhortationibus, & opere ipso, nempe pugnando; ergo manent irregulares.

Secundò arguitur ad probãdum, quòd saltem clerici pugnantes propria manu, sunt irregulares, licèt non occidant, quia dant operam illicitæ rei & periculosæ: clericis enim prohibitum est bellare propria manu, vt dicitur in materia de bello; ergo.

Ad primum respondent aliqui, quòd pugnantes in bello iusto, ideo non manẽt irregulares, quia licèt sint vna causa moralis, tamen dant operam licitæ rei, quod non contingit pugnantibus in bello iniusto, quæ solutio coincidit cum solutione Nauarr. num. 216. quòd pugnans, vel exhortans in bello iusto nec formaliter, nec virtualiter vult mortem, si non deformat propria manu; at verò facientes hæc in bello iniusto, virtualiter & indirectè volunt homicidia, quia poterant, & tenebantur vitare tale opus, & non vitant, & hoc sufficit ad indirectè voluntarium, vt patet ex 1. 2. quæst. 6. art. 3. Verumtamen licèt daremus, quòd hæc solutio posset satisfacere quantùm ad laicos, sed non quoad clericos, qui bellantes propria manu dant operã illicitæ rei, vnde aliter respondent, quòd licèt adiuuates pugnãtes propria manu in bello iusto ex natura rei possint dici vna causa moralis occisionum ibi contingentium, nihilominus nõ incurrunt irregularitatem, nisi propria manu deforment, quia ita decretum est in dicto cap. petitio. secundùm communem expositionem Doctorum. Quod meritò factum est: nam si omnes pugnantes in bello iusto manerent irregulares, magna hominum multitudo redderetur inhabilis ad Ordines, & hac de causa multi retraherentur à bellis iustis. Hanc solutionem dat Henri. c. 13. num. 2. & quidam iuniores.

Ex hac solutione sequitur, quòd licèt clerici in sacris exhortẽtur milites in bello iusto, non solùm ad vincendum & fortiter agendum, sed etiam ad occidendum & mutilandum, non manent irregulares; Corollarium hoc est contra Nauarrum num 215. & alios. Sed illud tenet Henri. cap. 12. num. 4. litera R, & citat alios; & nonnulli recentiores dicũt esse satis probabile. Quod corollarium ego limito cũ Henri. ibidem, & num. 11. litera C, dummodo non incitent ad occidendum hunc, vel illum in particulari: nam hæc est intentio multum specialis homicidij.

Ad secundum respondetur, quòd licèt clerici in sacris pugnando propria manu peccent mortaliter contra honestatem status clericalis, tamen si bellum sit iustum, non fiunt irregulares, nisi propria manu occidant propter rationem modò traditam in solutione ad primam, & patet apertè ex dicto cap. petitio.

Si opponas cap. quod in dubiis. de pœnit. & remissionibus. vbi decernitur, sacerdotes, qui in bello exhortantur ad pugnandum, esse deponendos?

Respondetur cum glossa, quòd ibi est sermo de bello iniusto.

Secunda cõclusio. Clerici in sacris pugnantes in bello iusto ex dispensatione Papæ, quamuis occidant propria manu, non manent irregulares, quia tacitè & virtualiter dispensauit in iure inducente irregularitatem. ita Sylues. ver. homicidium. 3. quæst. 6. part. 6. Tabien. ver. irregularitas. 3. §. 21. concl. 2. Couarru. §. 3. num. 2. qui dicit esse communem; pro qua conclusione videte doctrinam traditam à

Nauar.

Nauar. cap. 25. n. 74. & à P. Molina tom. 1. de iust. tract. 2. disp. 108. §. est verò. & disp. 110. in fine. vbi dicit hoc non esse intelligendum de laicis etiam ex dispensatione Papæ pugnantibus. Sed nota, quòd ex hoc, quòd Papa det licentiam clericis in sacris, vt assistant in bello iusto, non concedit facultatem pugnandi propria manu: intentio enim Papæ solùm est, quòd assistant ad exercendum munera sacerdotalia. ita communiter moderni.

Tertia conclusio. Qui pugnauit in bello iusto, si dubitat, an occiderit, taliter quòd probabiliter reputet occidisse, debet se iudicare irregularem, aliàs non. ita Nauarr. lib. 5. Consiliorum, cons. 21. de homicidio. & Henri. cap. 3. n. 4. casu 5. & c. 13. num. 2. in fine. vbi id probat ex dicto c. petitio. ibi, *si de interfectione cuiusque tua conscientia te remordet*: nam si solùm dubium sufficeret ad irregularitatem in his, qui pugnant in bello iusto, innumeri essent irregulares.

Ex dictis sequitur, quòd licèt clericus det cõsilium, vt indicatur bellum iustum, non manet irregularis; vnde clericus potest esse de consilio rerum bellicarum. ita Henri. cap. 13. n. 1. Agendum est iam de bello priuato, nempe de rixa. Vnde

DVBITATVR tertiò, quando plures concurrunt ad homicidiũ, vtrùm omnes maneant irregulares? Quam quæstionem tractat Henri. cap. 14. num. 2. & latissimè Couarru. p. 2. §. 2.

Sit prima conclusio. Quando plures præmisso consilio aggrediuntur aliquem ad occidendum eum, licèt vnus tantùm percusserit, & occiderit, omnes manent irregulares, siue ignoretur, quis illum percusserit, siue sciatur. ita Couarru. num. 3. versic. primus casus. Henri. num. 2. Ludoui. Carrerij in sua Practica criminali. quæ. 5. n. 2. & 8. Sylvest. ver. homicidium. 1. q. 11. & Doctores communiter in c. significasti. el 2. de homicidio. Probatur: nam omnes isti fuerunt velut vna causa moralis homicidij, sicut communiter dicunt Doctores, quòd quando plures vno consilio concurrunt ad furtum, quilibet tenetur in solidum restituere damnum illatum, si reliqui non restituant. Secundò, probatur ex c. sicut dignum. de homicidio. §. illi autem. imò addo, quòd qui sciẽter associat euntem ad occidendum, licèt non suadeat homicidium, imò licèt dissuadeat, & solùm associet animo defendendi eum (si opus fuerit) ne succumbat, manet irregularis, si ille occidat. ita Plouius reg. 30. Anton. 3. p. tit. 28. cap. 2. §. 5. Felin. dicto c. sicut dignum. num. 6. & allegat Speculatorem & Hostiensem, tenet etiam Henri. cap. 14. num. 2. litera I, & clariùs cap. 16. num. 1. litera L, & Couarru. num. 2. versic. quatenus verò. in fine. Fauet dictum c. sicut dignum. §. illi etiam. Et ratione probatur, quia talis associatio auget animum delinquentis; ex qua ratione colligo, hanc doctrinam limitandam esse, ne procedat, quando non est auctus animus occisoris, quippe qui viribus & armis multum superabat aduersariũ; & ita colligo ex doctrina Henri. cap. 14. num. 2. litera E, limitat etiam Henri. cap. 16. n. 1. nisi socius sit pater, vel filius, aut intimus amicus, qui bono animo associauit, ne periclitaretur: nunc enim dat operam licitæ rei. Quę limitatio placet mihi, & est etiam Nauarri cons. 32. de homicidio. vbi dicit, non esse irregularem eum, qui bono animo tenebat ensem euaginatum in manu sine alia læsione, quamuis alius percussus à fratre in rixa, postea obiit ex percussione.

Sed quid, quando plures concurrunt non præmisso consilio, sed in rixa subitò contingenti, & vulnerarunt Petrum, & solùm vnum vulnus fuit lethale, nescitur tamen à quo fuerit inflictum, vtrùm omnes maneant irregulares?

Couarru. num. 5. versic. quoad irregularitatem, magis inclinat in hoc, quòd omnes debent se reputare irregulares. idẽ tenet Anto. 3. p. tit. 28 c. 3. § 6. tenet etiam Graphis lib. 2. c. 62. n. 47. & Ioan. Andr. Gofredus, Ananias, & alij citati à Couarr. at verò Hostiens. Plouius, & alij citati à

Couar. tenent relinquendos esse suæ conscientiæ.

Sit tamen secunda conclusio. Si aliquis scit se percussisse lethaliter, iste manet irregularis; si scit, vel credit, quòd non percussit lethaliter, liber manet ab irregularitate: si autem omnes dubitent, omnes debent se reputare irregulares, iuxta c. ad audientiam. de homicid. & secundùm hoc possunt reconciliari Autores citati.

Hinc sequitur, quòd Iudex, cui non cōstat, quis illorum percussit lethaliter, omnes debet reputare irregulares. ita Didacus Perez ad Villadiego cap. 6. numer. 45. versic. idem ex prædictis. & est ad mētem Couarru. Auto. Ioann. Andr. Gofredi, & Ananiæ.

Sed quid, quando non ex dolo, nec ex mutua cooperatione, sed ex aliqua negligentia quatuor proiecerunt lapides, & constat vno tantùm lapide percussum obiisse? Perez versic. de quæstione tamen supradicta, tenet, quòd Iudex omnes reputabit irregulares, vnde malè allegatur à P. Henri. num. 3. in glossa, litera S, pro parte contraria.

Sit tamen tertia conclusio, quòd omnes absoluuntur. ita Villadiego c. 6. n. 45. versic. sed pone quatuor. vbi citat Hostiensem & Ioannem Andr. tenet etiam Henri. num. 3. in fine. vbi citat alios. Probatur, quia licèt dubitetur, an occiderit, non tamen constat, quòd aliquis deliquerit; quando autem censebitur negligentia in huiusmodi proiicientibus lapides? Videte in Villadiego num. 37. versic. si verò quis.

Maior autem difficultas est, quando plures simul concurrunt non præmisso consilio, sed in rixa subitò contingenti, & multi vel omnes percusserunt, sed vnus tantùm percussit vulnere lethali, & cognoscitur quis iste sit?

Couarru. versic. secundus casus, dicit, quòd hic solus manet irregularis, reliqui verò non, quia licèt teneantur de percussione, non tamen de homicidio. Probatur primò ex dicto c. significasti. Secundò probatur ex doctrina communi in materia de restitutio. Quòd si plures cōcurrūt ad furtum non coadunati, nec præmisso consilio, sed diuisim, non tenētur singuli ad restitutionem in solidum, sed solùm ad illam partem, quam quilibet furatus est. Ergo similiter dicendum est quantùm ad irregularitatem. Eandem sententiam tenet Villadiego cap. 6. numer. 47. & aliqui iuniores.

Sit quarta conclusio. Quamuis hæc sententia sit valde probabilis, opposita tamen videtur mihi probabilior, quam tenet Nau. cap. 17. num. 224. §. 10. & conf. 32. de homicidio. in fine. & aliqui iuniores; eandem videtur tenere Henri. num. 2. liter. E, iuncta doctrina eiusdem num. 3. liter. N, quamuis obscurè loquitur. Et probatur conclusio. Omnes facto ipso mutuò se iuuant, & debilitant aduersarium; ergo omnes concurrunt ad occisionem. Vnde ex hac ratione colligo, nostram conclusionem esse de mente Emanuelis cap. 178. concl. 16. inquantum dicit, *ni ayudan dos vnos a otros.* Confirmatur: nam licèt non concurrunt præmisso consilio, tamen ex quo omnes simul ex vna parte oppugnāt aduersarium, concurrunt tanquam vna causa totalis moralis. Secundò probatur: Si aggressus ab vno detineretur, vel impediretur ab alio, ne posset se defendere, & ob id occidatur ab aggressore, talis impediens vel detinens maneret irregularis; sed hoc contingit in præsenti saltem virtualiter; ergo.

Ad primum argumentū respondetur, casum c. significasti. esse diuersum; nam loquitur, quādo primò Parochus percussit latronem, & postea parochiani superuenientes occiderunt, & tunc si vulnus inflictum à Parocho erat leue, non maneret Parochus irregularis; at verò si Parochus & parochiani simul aggrederentur latronem, etiam Parochus maneret irregularis, licèt vulnus ab eo illatum non esset mortale.

Ad secundum respondetur, non esse eandem rationem de restitutione, & irregularitate

gularitate, quia rationes factæ pro quarta conclusione non currunt in restitutione: & est aliud simile: nam qui per vulnus non lethale est causa, quòd percussus ab alio vulnere lethali citiùs moriatur, fit irregularis, & tamen non tenetur ad restitutionem. ita Henri. n. 2. litera B.

Ex dictis sequitur, incertam esse illam regulam traditam à Cardinali & Anania in dicto c. significasti. quòd qui non tenetur de occiso, non manet irregularis: contrarium enim tenent, & meritò, Panormita. & gloss. Ioannis Andr. quos sequitur Villadiego cap. 6. num. 17. versic. ex prædictis iuncta glossa Didaci perez.

Quinta conclusio. Quando vnus est percussus à pluribus, & obiit ex illis vulneribus, nec constat potiùs ex vno quàm ex altero vulnere obiisse, tunc omnes percussores manent irregulares. ita Couarru. versic. quartò constituitur. vbi citat multos, tenet etiam Henri. num. 3. litera R, & habetur ex dicto c. significasti. §. quòd si discerni, quia tunc creditur ex multitudine vulnerum obiisse.

Dvbitavr quartò, quando plures concurrunt diuisim, & percutiunt, & vltimi tandem occidunt, vtrùm primus percussor maneat irregularis?

Prima conclusio. Certum est, quòd vltimi percussores manent irregulares. Loquendo autem de primo percussore est prima opinio, quòd si sit certum, primum vulnus fuisse lethale, manet irregularis, non tamen si sit dubium.

Secunda opinio est, quòd etiam quãdo sit dubium, vtrùm primum vulnus fuerit lethale, manet irregularis. Authores harũ opinionum refert Couarru. p. 2. §. 2. n. 4. & dicit primam esse communem, videte etiã illum num. 6.

Tertia opinio est Zazij apud Couarr. qui dicit duo. Primò, quòd quamuis constet primum vulnus fuisse lethale, si tamen percussus ab alio statim obiit, primus percussor non manet irregularis. Secundò dicit, quòd si non obiit statim, manet irregularis; hanc tenent aliqui viri docti. Quæ opinio quantùm ad primum dictum probatur primò, quia non est expressum in iure, quòd in hoc casu primus percussor sit irregularis; ergo non incurrit irregularitatem.

Si opponas c. significasti. el 2. de homicidio. respondetur, textum solùm definire, quòd primus vulnerans lethaliter manet irregularis, quando dubium est, vtrùm de facto obierit ex primo vulnere, vel ex secundo: at verò quando certum est, percussum obiisse ex secundo vulnere, textus nihil definit. ita Couarru. versicul. tertia subiicitur in fine. Secundò probatur: Ad irregularitatẽ homicidij requiritur, quòd homo sit causa proxima & efficax homicidij, sed quando percussus obiit statim ex secundo vulnere, primus percussor non fuit de facto causa efficax homicidij; ergo. Confirmatur: Si percussus à Petro vulnere lethali, statim occidatur à fulmine Petrus non manet irregularis, quia vulnus de facto non causauit mortem; ergo nec in præsenti casu.

Sit secunda conclusio. Tertia opinio quoad primum dictum videtur mihi probabilior prima opinione; quam conclusionem amplector in casu, quòd certò cõstet secundum vulnus per se solùm ita causasse statim mortem, vt primum vulnus non accelerauerit eam. nam si accelerauerit, primus percussor etiam erit irregularis. Ex Medicorum autem iudicio & coniecturis constabit, primum vulnus de se lethale non concurrisse de facto ad mortis accelerationem, vt si secundus percussor *le paso la cabeça con vn arcabuz, o por los pechos, o si le paso de vna estocada por el cora con.* Hæc conclusio est de mente Henri. num. 3. in princ. & probatur ex argumentis modò factis.

Tertia conclusio. Secundum dictum tertiæ opinionis est verum: nam cùm percussus non obierit statim post accepta vltima vulnera lethalia, certum est, quòd primum vulnus concurrit ad mortis accelerationem.

Sed quid, si primum vulnus fuit lethale,

thale,& vltima non fuerunt lethalia?

Quarta conclusio. Solus primus percussor manet irregularis,nec ista conclusio contrariatur quartæ cõclusioni dubij præcedentis:nã modò loquimur, quando plures concurrerunt diuisim;prędicta autem quarta conclusio loquitur, quando de facto concurrunt simul & associatim, licèt non præmisso consilio.

Quinta conclusio. Qui percutit alium iniustè,licèt non lethaliter,si est causa per illud vulnus,quòd inimici illum quærentes inueniant & occidãt, manet irregularis,ita Nauar.n.223.& Emanuel cap. 178. concl.18.quod aliqui viri docti meritò limitant , quando verisimiliter id debuit percussor cogitare,vt in simili docet Syluest.ver. homicidium. 3.q.5.p.7.& Henr. c.14.n.2.in fine.

DVBITATVR quintò,quando Petrus rixatur cum Ioanne,& superueniunt consanguinei, vel amici Petri,& occidũt Ioannem,vtrùm Petrus maneat irregularis,quamuis expressè prohibuerit suis, ne quid mali inferrent Ioanni?

Couarruuias p.2.§.2.n. 8.casu 1.dicit, quòd si rixa erat illicita ex parte Petri , manet irregularis, non tamẽ si erat licita, idem tenet Emanuel c. 178. concl.18.& Nauarr.n.227.& conf.26. de homicidio. nec oppositum dicit cap. 27.num. 231. si attentè legatur, licèt ab aliquibus citetur pro contraria opinione.Et quidé quando rixa est licita ex parte Petri,nulla est controuersia inter Doctores , vnde solùm est dissensio , quando fuerit illicita ex parte Petri. De quo sit

Prima conclusio. Probabilius est, non esse irregularem.ita glossa cap.finali.23.q. vlt.& alij citati à Couarru. Henriq. c.13. num. 4.& communiter Theologi recentiores. Probatur: nam per prohibitionem impediuit, quantum erat de se , mortem, & ideo non est causa illius.

Secunda conclusio. Si Petrus qui fuit causa rixæ,vel si passus est iniuriam,videns amicos vel consanguineos tentare,vt occidant Ioannem,tacet, & non contradicit,fit irregularis. ita Henr. dicto num. 4. Nau.n.231.§.18.Couar.n.8. casu 4.& alij communiter in c.Petrus.de homicidio.Et probatur ex eodem textu , vbi quidã diaconus ideo excusatur ab irregularitate, quia quantum potuit,prohibuit suos;Secundò probatur:nam ista taciturnitas est virtualis cõsensus,siquidem homicidium tractatur intuitu Petri,& hoc habet verũ, non solùm quando in præsentia eius tractatum est de morte, sed etiamsi tractatum sit in absentia eius,ipse tamen id sciuit.ita Emanuel c.178.concl.17.& Henr. dicto num.4.litera Q. Probat, quia tenebatur admonere,vt si desisterẽt, & videns quòd non proficiebat,tenebatur monere occidendum. Sed vt verum dicam, hoc non est mihi omnino certum , quia videtur tantùm peccasse contra charitatem.

Tertia conclusio.Si superuenerunt inimici Ioannis,& occiderunt eum, non intuitu Petri,sed priſtinæ inimicitiæ,Petrus non manet irregularis.ita Panormit. cap. Petrus.de homicidio.Armil.ver.irregularitas.num.45. Henr. dicto n.4.& Couarr. casu 3.contra Villadiego c.6.

SECTIO IV.

De irregularitate proueniente ex aborsu.

DVBITATVR primò , vtrùm qui est causa aborsus,sit irregularis?

Prima conclusio.Qui est causa aborsus, antequã fœtus esset animatus anima rationali,iure antiquo non erat irregularis; at verò quia hoc peccatum reducitur ad homicidium,Sixtus V. in quadam Extrauaganti decreuit,hunc manere irregularem,quam tamen irregularitatem sustulit Gregorius XIV. successor eius, & reducit ad terminos iuris communis. Prima pars cõclusionis est communis Doctorum , & habetur c. sicut ex literarum. de homicidio.& ratio est aperta,quia ibi non cæditur homo : nam fœtus non habens animam rationalem,non est homo.Secunda verò

verò & tertia pars conclusionis constat ex Extrauagantibus Sixti V. & Gregorij XIV. quas refert Henri. lib. 10. de sacramento Ordinis.c.vlt.num.3.in glossa,litera F, & Emmanuel in Sum.verb.aborsus. c.5. Quãdo dicatur homicida directè voluntarius,vide sup.sect.2.dub.1.concl.1.

Secunda conclusio. Si fœtus erat animatus anima rationali,qui est causa aborsus,taliter quòd fœtus occiditur in vtero, vel extra,manet irregularis,hæc etiam est communis Nau.cap.27.n.222.Summistæ ver.aborsus,& habetur dicto c.sicut ex literarum.

Tertia cõclusio. Qui est causa aborsus, si dubium sit,vtrùm fœtus erat animatus anima rationali,debet se reputare irregularem;Nau.dicto num.222.Henri.cap.15. num.6.Couarru.p. 2. §.2.n. 1. & Summistæ. Probatur argumento textus c. ad audientiam.de homicidio.

Pro explicatione conclusionis supponendum est, quòd fœtus masculinus animatur anima rationali quadragesimo die à conceptione, fœmineus verò octoagesimo die.ita Couarr.Nau. Henri. locis modò allegatis , & communiter Doctores. Dixi, *anima rationali*:nam anima sensitiua & vegetatiua antea infunditur , vt docet D.Th.1.p.q.118.ar.2.ad 2.

Ex dictis sequitur , quòd qui post quadragesimum diem causat aborsum,est irregularis ; sed in hoc casu faciliùs impetratur dispensatio secundùm stylum pœnitentiariæ,vt inquit Henri.dicto n.6.

DVBITATVR secundò, vtrùm qui dat fœminæ medicinam,aut venena sterilitatis,ne concipiat,aut viro, ne possit generare,incurrat irregularitatem? Conclusio,non incurrit.ita Nau.num.222. Villadiego cap. 6. versicul.sed contrarium est. num. 36. Henri. n. 6. & omnes.Ratio est, quia iste non causat homicidium;& licèt Sixtus V. imposuit irregularitatem contradantes fœminæ medicinam,ne conciperet,tamen eam abstulit Gregorius XIV. & reduxit ad terminos iuris communis. De saltante cum muliere grauida , quæ passa est aborsum , diximus sectione 1. dubio 6.

SECTIO V.

De dispensatione irregularitatis prouenientis ex homicidio iusto & iniusto.

ET primò dicemus de iusto , secundò de casuali , tertiò de directè voluntario.

DVBITATVR primò,vtrùm irregularitas proueniens ex homicidio iusto sit reseruata Papæ?

Prima conclusio. Stando in iure communi solus Papa potest dispensare.ita Syluest.verb.dispensatio.q. 10.part.1. Nauar. num.194.§.7.& num.217.in fine. Henriq. c.17.n.3.litera L.

Secunda conclusio.Qui habet priuilegium dispensandi in omnibus irregularitatibus , excepta bigamia , & homicidio voluntario,bene potest dispensare in irregularitate ex defectu perfectæ lenitatis. ita Caieta.2.2.q.64.art. 8. & in Sum. ver. irregularitas. Armil. eodem ver. num.13. & Henri.num.3.litera K,& Nau.in vltima editio.num. 240. & patet etiam ex Compẽdio Societatis.ver.dispensatio.§.secundo in vsu.Probatur primò,quia loquendo in rigore nõ est homicidium,sed hominis occisio : nam homicidium est crimen.Secundò : nam licèt occisio iusta aliquando dicatur homicidium,vt ait Henri.cap.10. num.1.litera A,tamen non comprehenditur in exceptione homicidij voluntarij: nam homicidium voluntarium , quod semper excipitur in prædictis priuilegiis, est homicidium illicitum volitum in se, aliàs quàm causa vitandæ suæ mortis , vt tradit Nau.num.240.Vnde per tale priuilegium poterit dispensari cum Iudice,qui iustè deformauit cum teste & aliis , qui concurrerũt ad talem deformationem,& etiam cum milite, qui in bello iusto occidit.ita Bañez 2.2.quæst.40.ar.2.dub. 4. &

Emanuel cap. 174. conclusio. 4.

Tertia conclusio. Si priuilegium specialiter & specificè concedat facultatem dispensandi in homicidio casuali, non potest virtute talis priuilegij dispensari in irregularitate ex defectu lenitatis. Hæc conclusio est aliquorum iuniorum, & est contra Couarr. 2 p. §. 3. in fine. vbi dicit, quòd habens potestatem dispensandi in homicidio casuali, potest dispensare in homicidio iusto: nam quoad hoc censetur casuale, cùm nullam habet culpam. idem tenet Plaza de delictis. lib. 1. cap. 11. n. 11. non tamen est contra Caietanum, nec Armillam, vt quidam putant: nam solùm loquuntur in casu secundæ conclusionis. Et probatur nostra conclusio: nam tale priuilegium expressè limitatur ad homicidium casuale; homicidium autem iustum non potest dici casuale, quicquid dicat Couarru. nam casuale dicitur, quod non est directè volitum; at verò homicidium iustum est directè volitum, quamuis iustè & licitè.

Ex dictis sequitur primò, quòd Episcopus per facultatem Concilij Trident. sess. 24. c. 6. non potest dispensare in irregularitate ex defectu lenitatis. ita Nauarr. n. 194. §. 7. Emmanuel c. citato 174. concluſ. 3. Henr. cap. 19. num. 4. litera L, & in glossa dicit esse communem recentiorum contra Couarr. Vnde quando Henr. c. 9. n. 3. circa finem videtur dicere oppositum, nō loquitur resolutoriè, sed resolutionem reseruauit in cap. 19. Probatur corollarium. Concilium solùm loquitur de irregularitatibus ex delicto occulto prouenientibus, sed hæc non prouenit ex delicto; ergo.

Sequitur secundò, Episcopos Indiarum non posse dispensare in hac irregularitate ex defectu lenitatis per priuilegiū Pij V. (cuius summa refertur in Concilio Limensi celebrato anno 83.) Probatur: nam tale priuilegium solùm loquitur de irregularitatibus ex delicto prouenientibus.

Sequitur tertiò, quòd Commissarius Cruciatæ potest dispensare, quia in eius commissione dicitur, *& super quacunque alia irregularitate, quæ non procedit ex homicidio voluntario, &c.*

Vtrùm verò Episcopus possit dispensare in hac irregularitate quoad minores Ordines, postea dicemus.

DVBITATVR secundò, quis possit dispensare in irregularitate homicidij casualis, seu mixti?

Prima conclusio. Ante Concilium Tridentinum non poterat Episcopus dispensare ad sacros Ordines. ita Couar. p. 2. §. 3. n. 5. vbi citat alios, & Emmanuel cap. 178. concl. 2. dicit tamen Hent. c. 19. n. 2. litera V, quòd in casu occulto vrgente scandalo poterat dispensare, vt ministraret in susceptis sacramentis.

Secunda conclusio. Post Concilium bene potest dispensare ad sacros Ordines in totum, & ad quodcunque beneficium etiam curatum, si homicidium sit occultum, nec deductum ad forum contentiosum. ita Nauarr. n. 194. & Henr. c. 19. n. 3. & ita disponit Concilium sess. 24. c. 6. vbi conceditur Episcopis facultas dispensandi in omnibus irregularitatibus ex delicto occulto prouenientibus, excepta irregularitate homicidij voluntarij. Sed homicidium casuale condistinguitur voluntario secundùm omnes; ergo. Dixi, *in totum*, quia non solùm potest dispensare, vt ministret in susceptis, sed etiam vt recipiat.

Tertia conclusio. Ad minores Ordines & etiam ad beneficium simplex potest Episcopus dispensare etiam post Concilium, quamuis homicidium casuale sit publicum. ita Henri. c. 19. num. 2. litera T, iuncto c. 57. de excommunicat. num. 1. vbi agit de beneficio.

Probatur conclusio: Iure antiquo id poterat; ergo etiam modò: nam Concilium dicto cap. 6. non aufert id, quod Episcopus poterat iure antiquo, vt ait Henri. cap. 19. num. 1. litera H, & dicto c. 57. nam potestatem Episcoporum olim restrictam reducit Concilium ad ius commune antiquum, vt bene ponderauit ipse Henriq. lib. 14. cap. 20. num. 1. Illud autem antecedēs, scilicet quòd id poterat iure antiquo,

loquen

loquēdo quantum ad Ordines, tenet Sylueſt. ver homicidium, 3. q. 8. part. 5. Henri. cap. 19. num. 4. littera T. Nau. num. 240. in fine, & habetur in c. ad audientiam. de homicidio. vbi idem tenet Panormita. num. 4. Felin. Loquendo autem quoad beneficium, tenet Sylueſt. loco modò citato, part. 6. Panormita. cap. 2. de clericis pugnantibus in duello. & Nau. modò citatus, qui dicit, hoc c. eſſe omnium iuris ỏprimum. Dixi, *ſimplex*: nam ad curatum non poteſt, vt inquit Sylueſt. & Villadiego. c. vlt. verſic. aut eſt homicida. & Nau. modò citatus, vbi allegat Decium: concedit tamen Nau. quòd poterit diſpenſare ad retinendum Curatum iam obtentum; & quòd Nau. loquatur de homicidio caſuali publico, patet: nam ſi eſt occultum, etiam poteſt diſpēſare ad ſacros Ordines, & ad obtinendum Curatum. Vtrùm verò poſſit Epiſcopus diſpenſare in homicidio iuſto ad minores Ordines & beneficium ſimplex? Nau. n. 218. in fine videtur negare, & Emanuel cap. 174. concl. 1. dicit, quòd ſolùm poteſt diſpēſare, vt miniſtret in ſuſceptis, non vt ſuſcipiat.

Sit quarta concluſio. Probabilius eſt, quòd poteſt diſpenſare etiā ad ſuſcipiendos minores, & beneficium ſimplex. ita Medina in Sum. lib. 1. cap. 11. §. 12. & ait ita tenere multos Doctores. Probatur, quia nullus datur textus, in quo id prohibeatur Epiſcopo.

Dvbitatvr tertiò, quis poſſit diſpenſare cum homicida directè voluntario? Et inprimis ſupponendum eſt, Papam diſpenſare poſſe, vt tenet communis opinio; pro qua refert multos Doctores Couarru. p. 2. §. 3. num. 3. verſic. hinc planè cōſtat. Et ratio eſt, quia omnis irregularitas eſt inducta iure humano; vnde iura, quæ dicunt Papam non diſpenſare, referenda ſunt non ad poteſtatem, ſed ad difficultatē, quia rarò & difficulter diſpenſat. ita Sylueſt. ver. homicidium, 3. quæ. 8. p. 1. & Didacus Perez ad Villadiego c. 6. num. 14. Nota, quòd impetratio diſpenſationis pro ſecundo homicidio commiſſo non valet, niſi fiat mentio de diſpenſatione data pro primo. ita Gulielmus l. 2. C. de Epiſcopal. aud. quem ſequitur Baldus ibid. n. 4. communiter receptus, vt tradit Felinus c. ſuper literis. de reſcrip. & Nau. conſ. 1. de conſanguin. & aff. ad 2. & Emanuel c. 233. de matrim. concl. 4. & 5.

Secundò notandum eſt, quòd ſi aliqua religio habeat aliquod priuilegium diſpenſandi cum homicida voluntario, non derogatur, licèt in alio priuilegio excipiatur homicidium voluntarium: nam talis exceptio ſolùm intelligitur quoad conceſſa ab eodem Pontifice. ita Henri. c. 9. n. 3. litera I, & in gloſſa citat Doctores. Ego addo, quòd nec etiam derōgatur per Concilium Trident. & eſt de mente P. Henri. cap. 19 num. 1. in gloſſa, litera H.

Tertiò ſupponendum eſt, quòd homicida volūtarius, vel etiam caſualis, quamuis ſit occultus, indiget diſpenſatione, contra Caſtrum impugnatum ſup. diſp. 2. dub. 2. & patet ex Trident. ſeſſ. 24. c. 6.

His ſuppoſitis, eſt prima opinio, quæ dicit duo. Primò, quòd Epiſcopus poteſt diſpenſare cum homicida directè voluntario, vt miniſtret in minoribus Ordinibus iam ſuſceptis. ita Ioann. Andr. Hoſtienſ. Cardinalis, & alij in cap. 2. de clericis pugnantibus in duello. Secundò dicit, quòd etiam poteſt diſpenſare ad beneficiū ſimplex; non ad curatū. ita Hoſtienſ. & Panormitan. dicto cap. 2. & Felin. c. ad audientiam. de homicidio. Sylueſter ver. homicidium, 3. q. 8. p. 3. & vtrumque dictū colligitur ex dicto cap. 2. vbi de quodam homicida dicit Papa, quòd non debet in ſacris Ordinibus miniſtrare, per quod videtur conceſſa diſpenſatio in minoribus, & ſecundum dictum colligitur ex fine c. vbi dicitur, *Poterit tamen cum eo circa habendum beneficium miſericorditer diſpenſare*, vbi licèt expreſsè nō reſtringatur ad ſimplex, tamen, vt ibi notant Panormitan. & Hoſtienſ. quando in iure conceditur Epiſcopis diſpenſatio in beneficio, intelligitur de ſimplici, maximè quòd in iſto c. prohibetur homicidæ miniſtratio in ſa-

cris, sine qua non potest quis seruare beneficium curatum; ergo hæc dispensatio non intelligitur de curato.

Secunda opinio tenet, quòd si homicidium est occultum, potest Episcopus dispensare, vt ministret etiam in sacris iam susceptis. ita Archidiaconus c. de his. 50. dist. Ancharanus in reg. peccati venia. in 6. col. 3. imò Angelus ver. homicidium. 5. §. 1. dicit, quòd etiam potest dispensare ad suscipiendos sacros.

Sit prima cõclusio. Quoad sacros Ordines nec poterat Episcopus iure antiquo dispẽsare, nec potest modò, quod non poterat iure antiquo, tenet Syl. ver. homicidium. 3. q. 8. p. 4. & à fortiori Cou. & Emmanuel citati in dub. 2. cõcl. 1. vbi id tenẽt de casuali, & probatur ex c. miror. 50. distin. vt ibi notat glossa. Et intelligitur conclusio, quamuis homicidium sit occultũ contra Emmanuelem c. 179. notab. 5. ita tenet, & bene probat Nau. in Hisp. c. 27. n. 239. vbi dicit esse communẽ; tenet etiam Syl. sup & probatur: nam iura absolutè loquũtur, nec distinguũt de homicidio occulto, vel publico. Præterea intelligitur conclusio etiã quoad vsum susceptorũ, vt patet ex dicto c. maiori. ibi, *in sacerdotio ministrare*; quòd verò nõ possint modò, tenet Nau. in Latina c. 17. n. 240. in fine. & Emanuel dicto notab. 5. Ludouicus Lopez in Instructo. conscientiæ. p. 2. c. 93. Probatur ex illis verbis Tridentini, sess. 14. c. 7. *Qui voluntate homicidiũ perpetrauerit, & si crimen occultum fuerit, nullo tempore ad sacros ordines promoueri possit, nec illi aliqua ecclesiastica beneficia, etiamsi curam non habeant animarum, conferre liceat, sed omni ordine, ac beneficio & officio ecclesiastico perpetuò careat.* Quibus verbis tollitur Episcopis omnis potestas dispensandi: est enim cõmunis regula Canonistarum, quòd quotiescunque in iure prohibetur aliqua dispensatio, intelligitur respectu Episcopi, quia respectu Papæ non habet locum circa ius humanum, sicut è contrario, quando in aliquo canone conceditur dispensatio, talis concessio fit Episcopo: nam hæc verba debent aliquid operari, & si referrentur ad Papã, nihil operarẽtur, quia de Papa non erat dubiũ, & lex debet seruire dubio. Hãc regulã tradit Innoc. c. dilectus. de temporibus ordinandorum. Henr. c. 19. n. 2. & alij relati à Syl. ver. dispensatio. n. 15. & specialiter probatur conclusio, quãtum ad vsum ordinum, ex illis verbis Cõcilij, *ab altari euelli debeat*, & ibi, *omni officio ecclesiastico perpetuò careat.* sed vsus sacrorum ordinum est officium ecclesiasticum; ergo. Credo tamen cum P. Henriq. c. 19. n. 1. iuncto n. 2. liter. V, quòd Episcopus iure antiquo & modò potest dispensare, vt vrgẽte necessitate ministret in susceptis sacris, si delictum sit occultũ, & vrgeat scandalum, nec sit facilis recursus ad Papam; quod probo ex doctrina Syluestri ver. dispensatio. n. 15.

Secunda conclusio. Quãuis ad vsũ minorum Ordinum, & ad obtinẽdũ beneficiũ simplex poterat olim Episcopus dispẽsare, modò tamẽ post Conciliũ nõ potest.

Primam partem tenent Autores citati pro prima opinione. Secundam verò partem tenet Nau. n. 240. in fin. & cons. 17. de homicidio. Ludouicus Lopez supr. & alij relati ab Henr. c. 19. & quantùm ad beneficiũ tenet Emmanuel c. 180. concl. 2. Hęc secũda pars cõclusionis est cõtra P. Henr. qui c. 19. n. 1. dicit, Episcopum posse modò dispensare ad vsum minorum Ordinũ, & lib. 13. de excom. c. 57. n. 1. ait, posse dispensare ad beneficium simplex: sed nostra sententia patet ex verbis Concilij citatis, *omni officio ecclesiastico, ac beneficio perpetuò careat*, sed vsus minorum Ordinum est officium ecclesiasticum; ergo.

Tertia cõclusio. Prædictum c. Concilij non priuat ipso iure clericum homicidam voluntarium beneficiis antea acquisitis. ita Emmanuel c. 180. vnde quantùm ad hoc immutatum manet ius antiquum, de quo plura disp. 2. dub. 6. concl. 2. Vide inf. disput. 8. in fin.

DVBITATVR quartò, vtrũ quemadmodũ dispensatio in homicidio directè voluntario reseruatur soli Papæ, ita etiã reseruatur dispensatio in mutilatione voluntaria?

Partem

Partem affirmatiuam tenet Henri. cap. 9. num. 3. litera Z, & Medina in Summ. lib. 1. cap. 11. §. 12. Partem verò negatiuam tenet Emanuel cap. 181. concl. 1. Et hanc amplector tanquam benigniorem, imò eandem videtur amplecti ipse Henri. cap. 19. num. 1. in gloſſa, litera I, vbi ait, quòd Concilium non excepit expreſsè irregularitatem ex mutilatione, quæ minor eſt, ſed ex ſolo homicidio voluntario. Et probatur: nam reſeruatio, quæ fit Epiſcopis, eſt quid odioſum; ergo ſtrictè eſt interpretanda. Nec obſtat, quòd in materia irregularitatis homicidium & mutilatio reputantur pro eodem, quia non habet verum in omnibus, vt oſtendit Emanuel.

Hinc infero cum Emanuele concl. 2. quòd ſi homicida petat diſpenſationem, non ſufficit dicere ſe mutilaſſe, ſed debet dicere, quòd occidit.

DVBITATVR quintò, vtrùm Epiſcopus poſſit modò diſpenſare in homicidio volito in ſe cauſa defenſionis, excedendo moderamen inculpatæ tutelæ, ſi homicidium ſit occultum?

Dixi, *c. cauſa defenſionis*, quia eſt duplex genus homicidij voliti; vnum volitum in ſe nõ cauſa defenſionis, alterum volitum in ſe cauſa defenſionis, vt bene oſtendit Nauar. n. 239. in fine.

Prima concluſio, quòd poteſt Epiſcopus diſpenſare. Probatur: nam poſt Tridentinum ſeſſ. 24. cap. 6. potest diſpenſare in omni irregularitate ex delicto occulto proueniente, excepto homicidio voluntario, ſed ibi nomine homicidij voluntarij intelligitur homicidium illicitum volitum in ſe, aliàs quàm defendendo propriam vitam, vt dicit Nauarr. num. 240. ergo.

Sed contrà: nam in Concilio ſeſſ. 14. cap. 7. dicitur de hoc homicidio, quòd cõmittatur loci ordinario, quod verbum non ſignificat commiſſionem factam, ſed faciendam. Reſpondetur, quòd hæc commiſſio intelligitur reſpectu homicidij publici, vt patet ex verbis Concilij, qui non niſi cauſa cognita, & probatis precibus ac narratis, nec aliter diſpenſare poſſit, ita quòd ſi homicidium fuerit volitum in ſe non cauſa defenſionis eſt indiſpenſabile, id eſt, tariſſimè diſpenſatur; at verò ſi fuerit volitum in ſe cauſa defenſionis, & fuerit occultum, diſpenſat Epiſcopus, ſi verò fuerit publicum, non eſt indiſpenſabile, quia non adeò difficulter committetur loci ordinario, vt cauſa cognita diſpenſet. Et hæc eſt legitima explicatio Concilij, quam approbarunt viri doctiſſimi à me cõſulti, & per hæc facilè intelligetis quod dicit Nauar. dicto n. 239. & lib. 1. Conſiliorum, conſ. 37. de temporibus ordinand. circa finem: & Emanuel. c. 179. concl. 4. quamuis partim tenet contra noſtram concluſionem. Videte Henri. c. 19. n. 3.

Secunda concluſio. Quod diximus de homicidio volito in ſe cauſa defenſionis, idem dicendum eſt de homicidio caſuali, id eſt, contingente non ex propoſito, ſed caſu, vt in rixa ſubitò contingenti; quando quis ſuccenſus ira occidit autorem rixæ: in hoc enim ſi fuerit occultum, poteſt Epiſcopus diſpenſare. ita Henri. & Emanuel, & Didacus Perez citati ſect. 2. dub. 1. ante 3. cõcl. Et Didacus ait ita ſæpe reſpõdiſſe conſultus poſt Concilium Tridẽtinum. fauet Plaga de delict. lib. 1. cap. 12. n. 3. tenet Additionator ad Bernard. Diaz in Pract. cap. 94. verbo, erit ſanè homicidium.

Ex dictis ſequitur, quòd ſi clericus in ſacris contra prohibitionem iuris occidit propria manu in bello iuſto, poteſt Epiſcopus diſpenſare, ſi homicidium ſit occultum. ita colligo ex Henri. cap. 19. n. 4. litera G, quia iſte non eſt homicida voluntarius.

Sed contrà: nam iſtud homicidium eſt volitum & illicitum? Reſpondetur, debet eſſe illicitum contra iuſtitiam, hoc autem ſolùm eſt illicitum cõtra prohibitionem iuris Canonici propter indecẽtiam; idem dicendum eſt de irregularitate, quam clericus contraxit accuſando in cauſa ſanguinis ſine proteſtatione, vel teſtificando, vel ſi fuit aduocatus, & vicit contra

reum; vnde etiam in his potest dispensare Prælatus Religionis per priuilegiũ ad dispẽsandum in omnibus irregularitatibus, excepto homicidio voluntario. ita Henri. n. 4. Præterea dicit Henri. n. 3. solum Papã posse dispensare cum eo, qui vertit infirmum animo accelerandi mortem, vt viret angustias infirmi; sed meo iudicio homicidium voluntarium indispensabile est illud, quod fit animo crudeli, non verò quando fit ex commiseratione.

DISPVTATIO VII.

De irregularitate proueniente ex iteratione Baptismi.

De qua tractat Soto dist. 3. quæst. vnica. art. 9. Henri. cap. 4. Emanuel ver. irregularitas. cap. 147. Nauar. cap. 27. num. 246. Summistæ ver. Baptismus.

DVBITATVR primò, vtrùm iterantes Baptismum sint irregulares?

Prima conclusio. Qui scienter rebaptizatur, vel rebaptizat, & Acolytus ministrans, manent irregulares. De rebaptizato est tex. can. confirmandum. 50. dist. & can. si bis. de consecrat. dist. 4. De Acolyto est text. c. ex litterarum. de Apostatis, vbi Acolyto publicè ministranti secundo Baptismo imponitur pœna irregularitatis. De rebaptizante id tenẽt Sylu. ver. Baptismus. 5. q. 3. & ver. irregularitas. q. 4. Nauarr. n. 246. Henri. n. 4. & vnanimiter Doctores, quia licèt nõ inueniatur textus expressus, satis tamen cõlligitur ex dicto cap. ex litterarum. nam si imponit irregularitatem Acolyto ministranti, potiori iure imponit ministro rebaptizanti; colligitur etiam ex can. 47. Apostolorum, vbi imponitur pœna depositionis Episcopo vel presbytero rebaptizanti.

Sed circa illud verbum, *publicè ministranti*, notandum est, quòd nonnulli tenent Acolytum manere irregularem, qui vis ministret in occulto, & solum esse hanc differẽtiam, quòd si ministrat publicè, debet perpetuò manere irregularis sine spe dispensationis, præterquam si religionem ingrediatur, quia tunc fauore religionis, poterit Episcopus dispensare. Si verò ministrauit in occulto, poterit Episcopus cum eo post peractam pœnitentiam dispensare etiam manendo in seculo, & hoc modo explicant prædictum cap. ex litterarum. at verò probabilius reputo, quòd si ministrat in occulto, non manet irregularis, sed poterit post peractam pœnitentiam promoueri. ita Sylues. ver. irregularitas. quæst. 4. Henri. num. 4. & aliqui Magistri: nam lex pœnalis præcipuè in materia irregularitatis strictè est interpretanda. Sed aduertite, quòd rebaptizans, licèt sit in occulto, manet irregularis. sic Hostiens. sup. dicto cap. ex litterarum.

Secunda conclusio. Paruulus, quirante vsum rationis rebaptizatur, non manet irregularis. ita Soto dicto art. 9. & est tex. can. placuit, & can. qui apud. 1. q. 4.

Si opponas cap. qui in qualiber. 1. q. 8. vbi dicitur, eos qui in qualibet ætate rebaptizati sunt, ad ecclesiasticam militiam non esse admittendos? Respondetur cum glossa, intelligendum esse de qualibet ætate adulta, in qua sit vsus rationis. Et probatur: nam canon qui apud. reddit hanc rationem, *quia prorsus ignorarunt.*

Tertia conclusio. Si non baptizatus rebaptizet, non manet irregularis. ita Henri. num. 4. in glossa, litera L: nam cùm pœna hæc sit ecclesiastica, non comprehendit non baptizatum.

DVBITATVR secundò, vtrùm qui ex ignorantia rebaptizat, vel rebaptizatur, fuit irregularis?

Nota, quòd ista ignorantia potest esse facti, vt quia ignorat, hunc esse baptizatũ, vel iuris; & hæc rursus potest esse, vel iuris diuini prohibentis rebaptizationem, vel humani imponentis pœnã irregularitatis contra rebaptizantes vel rebaptizatos.

Prima conclusio. Qui ignorãtia inculpabili & inuincibili facti rebaptizat absolutè & sine conditione, non fit irregularis

laris, ita Sylvest. verb. Baptismus, 5 quæst. 3. Soto colum. 12. Henr. num. 4. & Doctores communiter.

Probatur primò: Hæc irregularitas imponitur ratione delicti; ergo vbi nullum est delictum, nulla erit irregularitas. Secundò: nam iste propriè loquendo non dicitur reiterare Baptismum, quia non censetur iteratum, quod nescitur esse factum. c. solemnitates. el 1. de consecrat. dist. 1.

Secunda conclusio. Idem dicendum est de rebaptizato; hæc est contra Ant. 3. par. tit. 14. cap. 13. §. 12. & contra glossam, & Turrecremat. in cap. qui bis. de consecrat. dist. 4. Primum fundamentum eorum est, quòd irregularitas potest incurri sine peccato. Secundum est dictum c. qui bis, vbi dicitur, *Qui bis baptizatur ignoranter, licèt pœnitere non egeat, non tamen potest ad sacros Ordines promoueri.* Sed nostram conclusionem tenet Soto sup. colum. 11. Couarru. p. 1. §. 8. Nauar. num. 246. Henri. num. 3. Probatur: Iste excusatur à culpa; ergo etiam à pœna.

Ad primum fundamentum respondetur primò, quòd licèt irregularitas incurratur aliquando sine peccato, non tamen per solum actum alterius sine actu meo libero præterquam si irregularitas sit ex defectu corporis. Secundò respondetur, quòd hæc irregularitas cùm sit pœna, non incurritur sine peccato.

Ad secundum fundamentum respondetur, ibi sermonẽ esse de ignorantia culpabili, quia vix præsumitur ignorantia inuincibilis si iuris communis; at verò si de facto daretur, excusaret ab irregularitate. Nec obstat, quòd textus dicit, *non tenetur pœnitere*; ergo ignorantia erat inuincibilis; non, inquam, obstat, quia non loquitur de pœnitentia sacramentali, sed de publica. Vnde sensus est, quòd non tenetur perferre septem annos pœnitentiæ ibidem expressos, sicut teneretur, si scienter fecisset.

Hinc infero cum Soto & Henr. contra Sylvestrum, verb. irregularitas, quæst. 4. prædictas duas conclusiones intelligendas esse non solùm de ignorantia inuincibili facti, sed etiam iuris diuini prohibentis rebaptizationem; patet: nam iste excusatur à culpa; ergo.

Sed nota, quòd hæc ignorantia iuris diuini in presbytero nó erit inuincibilis, quia cùm ex officio teneatur baptizare, tenetur scire hoc ius diuinum & canonicum.

Tertia conclusio. Iste sic ignoranter rebaptizatus, licèt postea sciẽs ratum habeat, non fit irregularis. Hæc est contra Emmanuelem concl. 1. & alios. Sed eam tenet Henr. n. 3. in fine, & patet ex dictis disp. præcedenti, sect. 2. dub. 6.

Quarta conclusio. Qui rebaptizat, vel rebaptizatur sciens ius diuinũ, quod prohibet rebaptizationem, licèt ignorer inuincibiliter ius humanum imponens irregularitatem contra rebaptizantes, manet irregularis, ita Henriq. num. 3. & alij Doctores citati disput. 2. dub. 7. concl. 2. & ratio est, quia pœna irregularitatis non requirit contumaciam, sicut requirit excommunicatio.

Sed quid, quando post factam diligentiam manet dubium probabile facti, scilicet vtùm aliquis sit baptizatus, & alter rebaptizat illum absolutè & sine conditione?

Inprimis certum est, in hoc peccare, quia debebat baptizare sub conditione; quod verò ad irregularitatem attinet;

Sit quinta conclusio. Probabilius est, non manere irregularem. ita Henr. num. 4. & aliqui Magistri, nonnulli citant Nauarr. num. 246. sed si attentè legatur, solùm loquitur de baptizante sub conditione; nam intendit excusare illum à culpa. Probatur conclusio, quia non iudicatur iteratum, quod dubitatur esse factum. c. finali. de presbytero non baptizato. Secũdò: nam hæc irregularitas imponitur cõtra eos, qui absolutè rebaptizant; hic autem non potest absolutè dici rebaptizator, cùm non constet de priori Baptismo. Tertiò: nam iste tacitè & virtualiter censetur

fetur habere intentionem non baptizandi, si est baptizatus, vt ait Henri. num. 4. in glossa, litera I.

DVBITATVR tertiò, vtrùm rebaptizans sub conditione eum, quem scit esse baptizatum, fiat irregularis?

Supponẽdum est ex materia de Baptismo, quæst. 66. art. 9. dub. 2. iustum graviter peccare: nam iura, quæ concedunt rebaptizare sub conditione, solùm loquuntur, quando res est dubia. Soto colum. 9. dicit esse irregularem, idem Cordub. in Sum. quæst. 37. & Emanuel concl. 3.

Sit conclusio. Probabilius est, non esse irregularem. ita Nauarr. num. 246. & expressiùs in HISP. Henriq. num. 4. litera E, & multi Magistri. Probatur primò, iste non rebaptizat; ergo consequentia patet. Antecedens verò probatur, si iste sine vlla intentione baptizandi absolueret iam baptizatum, non rebaptizaret, quia deficeret id, quod ex parte ministri est necessarium ab substantiam sacramenti, nempe intentio baptizandi; ergo. Idem dicendum est quando rebaptizat sub conditione: nam tunc solùm habet animum baptizandi in casu, quòd non sit baptizatus, & in casu, quòd sit baptizatus, non habet animum baptizandi; illa enim propositio, *Si non es baptizatus, ego te baptizo*, virtualiter continet hanc propositionem, *Si es baptizatus non te baptizo*; & per hoc intelligitur ratio Nauarri, scilicet quia conditio de præsenti & de præterito, si non adsit, facit cessare actum. Secundò probatur, si quis contrahat cum consanguinea cum hac conditione, *si non es consanguinea*, non incurrit excommunicationem positã cõtra eos, qui scienter contrahunt in gradibus prohibitis; ergo. Ex dictis sequitur, quòd licèt iste nullam explicet exteriùs conditionem, tamen si apponit interiùs, non erit irregularis in foro conscientiæ. ita Nauarr. in HISP. n. 246. & patet ex doctrina tradita in materia de sacramentis in communi.

DVBITATVR quartò, vtrùm qui timore mortis rebaptizat, vel rebaptizatur, sit irregularis?

Prima conclusio. Si rebaptizat, vel rebaptizatur fictè & sine intentione, non fit irregularis. ita HENRI. numer. 4. litera N. Probatur, quia non est vera rebaptizatio: ab hanc enim requiritur intentio ministri, & eius qui rebaptizatur.

Secunda conclusio. Si verè & ex animo rebaptizat, vel rebaptizatur, fit irregularis. Probatur, quoniam ad hoc nullo timore poterat efficaciter cogi, siquidem in sua erat libertate, non habere interiùs intentionem.

Hinc sequitur id, quod Emmanũel ait concl. 2. sequutus Maiolum, quòd ille, qui ligatus pedibus & manibus, & cui incussus est metus cadens in virum constantem, rebaptizatus est, manet irregularis, intelligendum esse, si habuit interiùs intentionem recipiendi secundum Baptismum.

Sequitur secundò, quòd qui recepit primum Baptismum simulatè & sine intentione legitima, non rebaptizatur, nec est irregularis. ita Henri. n. 4.

DVBITATVR quintò, vtrùm reiterans reliqua sacramenta, fiat irregularis? Et difficultas solùm procedit de sacramẽtis Confirmationis & Ordinis, quia imprimunt characterem.

Prima opinio est affirmatiua. sic Anto. 3. p. tit. 28. cap. 6. §. 3. Nauarr. num. 246. & lib. 1. Consiliorum, cons. 36. de temporibus ordinan. alij verò, quos citat Henri. num. 5. in glossa, litera Z, solùm tenent hanc opinionem quantùm ad sacramentum Confirmationis. probant ex cap. dictum. de consecrat. dist. 5. vbi dicitur, quòd sicut Baptismus iterabilis non est, ita nec Confirmatio.

Secunda opinio est, quòd nec iteratio Ordinis nec Confirmationis inducit irregularitatem, & hæc est longè probabilior, & communior; eam tenet Couarru. p. 1. in initio. num. 8. Castro lib. 1. de lege pœnali. cap. 7. §. ex ratione huius. Palacios in 4. dist. 5. disputat. 6. ante versiculum, Porrò autem. & Henri. num. 5. vbi citat

citat multos, & communiter iuniores. Probatur primò: nam hæc irregularitas non est expressa in iure.

Dices, quòd eo ipso quòd imponitur contra iterantes Baptismum, conferuntur imposita contra iterantes reliqua sacramenta, quæ imprimunt characterem, siquidem in omnibus est eadem ratio, nempe quòd non possunt iterari.

Contrà: nam illa regula, *Vbi est eadem ratio, est eadem iuris dispositio*, licèt habeat locum in legibus dispositiuis, non tamen in pœnalibus, & rationem differentiæ assignat Castro, quòd leges dispositiuæ ita pendent ex ratione, vt ratio legis dicatur anima legis, & ideo meritò iudicantur habere vim, vbicunque militat eadem ratio; at verò leges pœnales cùm non dependeant ex ratione, sed ex sola voluntate Legislatoris imponentis pœnam, non debent extendi de vno casu in alium; vnde glossa cap. in pœnis, de reg. iur. in 6. dicit, argumentum à simili non valere in pœnis. Secundò probatur: nam licèt gratis daremus, pœnam irregularitatis extendendam esse ex identitate rationis, non tamen haberet locum in præsenti, quia non est eadem ratio de Baptismo & reliquis sacramentis: in Baptismo enim est specialis ratio ad imponendam irregularitatem contra reiterantes, tum ad detestandam hæresim rebaptizantium, tum etiam quia Baptismus est regeneratio, & configuratio mortis Christi, & quoniam eadem res semel tantùm generatur; & Christus semel mortuus est, ideo Baptismo de se repugnat iteratio.

Ad cap. dictum, respondetur, quòd ibi Baptismus & Confirmatio comparantur quantùm ad peccatum iterationis, non quantùm ad pœnam irregularitatis, vt patet ex ipso textu, ibi, *non seculo*, sed, *soli Deo sub habitu regulari, vel clericali, &c.*

Dvbitatvr sextò, quis possit dispensare in irregularitate iterandi Baptismum?

Prima conclusio. Solus Papa dispensat, siue priuatim, siue publicè iteretur, ita Sylvest. ver. Baptismus. 5. num. 3. quando rebaptizatio fit scienter. Sed conclusio etiam est intelligenda, licèt fiat ex ignorantia culpabili. ita Soto artic. 9. in fine. Henri. num. 5. Emanuel concl. 4.

Secunda conclusio. Si delictum sit occultum, Episcopus dispensat post Tridentinum. ita Henri. cap. 20. num. 3. vbi nota, quòd licèt secundus Baptismus fiat publicè, erit delictum occultum; si ratio rebaptizandi sit occulta, vtpote quia primus Baptismus est occultus. sic Emanuel, & est de mente Nauarr. in alio simili n. 241.

Disputatio VIII.

De irregularitate proueniente ex iteratione matrimonij, quæ dicitur bigamia.

De qua tractant doctores Canonistæ sup. tit. de bigamis. Soto dist. 27. q. 3. Villadiego c. 13. Nau. n. 195. Couar. Clemen. si furiosus p. 1. §. 2. Henri. lib. 14. c. 4. & latiùs de matrimonio lib. 2. c. 6. n. 9. & Emanuel ver. irregularitas. cap. 158. & Summistæ verb. bigamia.

Dvbitatvr primò, vtrùm bigamus sit irregularis?

Conclusio. Quicunque bigamus, est irregularis, vt patet ex tit. de bigamis. per totum, vnde inhabilis est ad Ordines, & ad quæcunque ecclesiastica beneficia recipienda. Pro huius conclusionis explicatione notandum est primò, quòd bigamus dicitur, qui binas contraxit nuptias, sicut monogamus dicitur, qui vnicas contraxit. Ideo autem bigamus est irregularis, quia qui duas contraxit nuptias, nò potest aptè significare vnionem Christi cum Ecclesia, vnica eius Sponsa. Præterea, quia est signum incontinentiæ, & ideo non potest efficaciter persuadere castitatem.

Secundò notandum est cum Nauar. &

glossa cap. 2. de bigamis. recepta communiter, quòd triplex est bigamia; vera, interpretatiua, & similitudinaria. Vera est, quando aliquis habuit duas vxores legitimas successiuè, vnam post mortem alterius, & cum vtraque consummauit: hîc enim reperiuntur duo matrimonia vera, & hoc habet locum, quamuis alteram vel vtramque duxerit ante Baptismum, ita D. Thom. in additionibus. quæst. 66. art. 4. Nauarr. num. 195. Henri. dicto capit. 6. n. 9. litera O, & est text. cap. deinde, & cap. acutius. 26. dist. Vnde qui videntur requirere ad bigamiam, quòd vir contrahat vtrumque matrimoniũ post Baptismum, piè sunt exponendi, quòd non censeatur bigamus quantùm ad dispensationẽ, quia facilè obtinebit eam. Dixi, *legitimas*: nam quamuis Henri. num. 6. litera S, dicat esse propriam bigamiam, quando vir contrahit cum vna legitimè, & cum altera de facto, ad est, vnualidè, tamen hæc bigamia non est propria, sed interpretatiua, vt ait Nauarr. Emanuel notab. 2. Soto art. 1. Et probatur: nam licèt affectus cum copula subsequuta sufficiat ad interpretationem & fictionem duorum matrimoniorũ, non tamen sufficit ad veritatem. Interpretatiua est, quando fingitur, aliquem habuisse duas vxores, quod multis modis contingit. Primò, quando quis duas vxores habuit simul, aut successiuè, vnam legitimam, alteram de facto, sed inualidè, scilicet quia viuebat prima, vel propter aliud impedimentum, verbi gratia, consanguinitatis vel affinitatis, & cum vtraque consummauit: ad bigamiam enim non requiritur, quòd vtrumque matrimonium fuerit validum: nam propter affectum intentionis cum opere subsequuto carnalis copulæ, est interpretatio duorum matrimoniorum, vt probatur cap. nuper. de bigamis. Henri. num. 9. in glossa litera Z, ait, quòd si prius contraxit matrimonium nullum, & postea contrahit, validè cum alia, non fit bigamus. Sed ego dico, quòd si primum consummauit affectu maritali, fit bigamus, vnde parum refert, quòd matrimonium inualidum præcedat, vel subsequatur, dummodo illud consummet affectu maritali. Dixi, *consanguinitatis, vel affinitatis*: nam si vnum matrimonium sit nullum ex defectu consensus; quia contraxit delusoriè solùm ad obtinendam copulam, non erit bigamus. hoc est contra Palud. in 4. dist. 27. q. 4. & Supplemen. Gabrielis quæst. 3. art. 3. sed est de mente Henri. num. 9. post literam S, & aliquorum iuniorum. Et probatur: nam ibi non interuenit maritalis affectus cum opere subsequuto; quæ ratio habetur expressè in cap. nuper. de bigamis.

Vtrùm verò qui contraxit duo matrimonia, & vtrumque inualidum, propter aliquod impedimentum, sit bigamus interpretatiuè?

Partẽ affirmatiuã tenet Nau. Soto art. 1. post secundã concl. Emanuel nõtabili 2.

Sed partem negatiuam, quæ probabilior mihi videtur, tenet Henri. n. 9. in fine. Probatur primò, quia non inuenitur expressum in iure.

Si obijcias dictum cap. nuper. vbi decernitur, *Bigamus sacerdos, qui contraxit inualidè*? Respondeo, textus iste non decidit nostrum casum, vt faterur ipse Soto: nam ille presbyter iam cõtraxerat matrimonium similitudinarium, validum tamen. Eandem solutionem tradit Nau. lib. 1. Cons. cons. 1. num. 2. de bigam. Secundò probatur, quia non datur aliquod sacramentũ matrimonij, cui deficiat significatio: nam qui contrahit inualidè cum corrupta, non est bigamus, vt tenet ipse Nau. & nos dicemus dub. 2.

Secundò contingit bigamia interpretatiua, quando aliquis contrahit cum vidua, quæ matrimonium consummauerat, idem est si contrahat cum corrupta per alium. De contrahente cum vidua patet ex cap. maritum. 33. dist. de contrahente cum corrupta, patet ex optimo textu in c. curandum. 44. dist. vbi nota, quòd licèt iste post amissum vsum rationis per phrenesim, vel amentiam consummet cũ vidua, vel corrupta, manet bigamus. ita Emanuel concl.

concl. 2. & probat: nam iste verè consummauit matrimonium. Patet: nam quamuis redeat in sanam mentem, non potest ingredi Religionem. Præterea, notandum sufficere copulam absque seminatione vt fiat bigamus in vtroque foro. sic. Hérd. in. de matrim. cap. 15. n. 3. lit. B, & in glossa citat alios. Dixi, *per alium*: nam secus erit, si ipse eam deflorauit ante matrimonium, quia tunc neuter diuidit suam carnem in plures. ita D. Thom. ar. 1. Sotus, Couarr. & Nauar. per glossam receptam in cap. finali. de bigamis. & cap. secundum. de clericis coniugatis.

Sed contrà in dicto c. curandum. habetur, quòd non ordinetur, qui contrahit cum non virgine, sed qui contrahit cum corrupta à se, contrahit cum non virgine; ergo. Respondetur, quòd iste moraliter contrahit cum virgine secundùm ius: nam ex quo nō est corrupta per alium, vitium præcedens purgatur per subsequens matrimonium, vt inquit Couar. & probat ex c. tanta. qui filij sint legitimi.

Præterea notandum est, quòd licèt Soto in quarto modo dicat, quòd quando aliquis contrahit cum vidua, quæ cōsummauit matrimoniū, est bigamia propria, quia ex parte vxoris reperitur duplex matrimonium; tamen probabilius iudico, quòd est interpretatiua. ita Nauarr. Emanuel, & alij, imò idem videtur tenere ipse Soto in 3. concl. & probatur: nam cùm bigamia ponatur in viro, ex parte ipsius, debent dari duo matrimonia, vt bigamia sit vera.

Si obijcias cap. debitum. de bigamis: vbi loquens Papa de vidua, quæ secundò contraxit, ait, nec illa est vnica vnici, nec iste vnus vnius. Respondeo, hoc intelligendum esse proportionaliter, quia illa non est vnica vnici verè, iste verò non est vnus vnius interpretatiuè.

Præterea notandum est, quòd licèt ex matrimonio contracto cum corrupta cōtrahatur bigamia, non tamen contrahitur ex hoc, quòd corruptus cōtrahat matrimonium. Probat D. Thom. ar. 3. quia actus contrahendi matrimonium nō specificatur à se ipso, nec cadit super se ipsū, sed super alterum coniugem; ergo vitium corruptionis non habet effectum quoad corruptum; quia motus specificantur à terminis, vnde si vxor esset capax irregularitatis, fieret bigamia, si cōtraheret cum corruptō.

Tertio modo cōtingit bigamia interpretatiua, quando quis legitimè contraxit cū virgine, & cognouit eam, postquam ipsa adulterauit cum alio. cap. si cuius. 24. dist. Et notādum est, quòd in his duobus casibus contrahitur bigamia, siue contingant scienter, siue ignoranter, ita Nauar. & alij, imò etiam est verum, licèt maritus compulsus per censuras Ecclesiæ (quia non plenè probauit adulterium in foro exteriori, vel alia de causa) cognoscat vxorem, quæ fornicata est. ita D. Thom. Sylues. ver. bigamia. & alij multi relati à Couarr. num. 3. Probat D. Thom. quia ad bigamiā non requiritur peccatum, sed defectus significationis sacramenti matrimonij.

Bigamia similitudinaria est, quādo aliquis post votum solemne castitatis, nempe post sacros Ordines, vel post solēnem professionem religionis contrahit de facto matrimonium cum aliqua, & consummat. ita Soto concl. 2. nam per votum solemne castitatis, quasi spirituali matrimonio copulatur Christo & Ecclesiæ; & hoc est verum, licèt contrahat cum virgine. ita Nau. num. 195. qui citat Angelum, Syluestrum, & Anto. & quamuis Henri. num. 10. litera K, solùm concedat hoc in ordinato sacris, per cap. nuper. de bigamis. non tamen in professo, at verò etiam concedendum est in professo, & ita concedunt iuniores, & est de mente Soti, Nauar. remedetiam lib. 1. Cons. cons. 1. num. 6. de bigamis. vbi citat Innocent. & Syluest. ver. bigamia. quæst. 2. & probatur ex can. quotquot. 27. quæst. 1. vbi absolutè dicitur, omnes qui violant (scilicet per matrimonium) virginitatem professam, esse bigamos.

Ratio est, quia in vtroque est eadem

ratio matrimonij spiritualis.

Ex quo sequitur primò, quando c. nuper. de bigamis dicit, presbyteros contrahentes matrimonium non esse verè bigamos, non negat, quin sint similitudinariè.

Sequitur secundò ex dictis, quòd vt aliquis fiat bigamus, duo requirũtur. Primum, quòd bis contrahat matrimonium de iure, vel de facto, verè vel similitudinariè. Secundum, quòd interueniat copula, & ratio huius est: nam, vt inquit Innocentius III. cap. debitum. de bigamis. sacramentum matrimonij ante consummationem solùm significat vnionem verbi cum Ecclesia per charitatem; at verò postquam est consummatum, significat vnionem realem Christi cum Ecclesia mediante humanitate assumpta, quam nunquam dimisit; & ideo qui contrahit duo matrimonia, si ea consummet, non repræsentat perfectè hanc vnionem.

Hinc sequitur, nó esse bigamum eum, qui contraxit cum vna & virgine, licèt ipse adulteretur cum aliis concubinis, nec etiam qui duxit viduam virginem, quæ ante consummationem matrimonij primum virum amisit, cap. acutius. 28. quæst. vlt. & cap. debitum. de bigamis. imò nec ille, qui plura contraxit matrimonia, si solùm consummauit cum vna & virgine, ita D. Th. & omnes contra Magistrum sententiarum, & patet ex dicto cap. debitum.

DVBITATVR secundò, vtrùm sit bigamus laicus vel ordinatus minoribus, qui contrahit cum corrupta inualidè propter aliquod impedimentum, & consummat?

Palud. dist. 24. quæst. 4. Richard. art. 12. tenent, esse bigamum. Sed oppositum est probabilius. ita Henric. n. 9. in fine, Emanuel concl. 4. Nauar. lib. 1. Cons. cons. 1. de bigam. vbi latè probat, qui it dudum fuisse decisum in sacra pœnitentiaria.

Probatur primò, quia non inuenitur expressum in iure, & irregularitas non incurritur nisi in casibus à iure expressis. Secundò, quia hîc non datur aliquod sacramentum matrimonij, cui deficiat significatio. Nec obstat cap. nuper. de bigamis. nam loquitur de presbytero, qui contraxerat matrimonium similitudinarium, validum tamen.

DVBITATVR tertiò, vtrùm bigami sunt priuati omni priuilegio clericali? De qua quæstione fuit olim magna controuersia; sed iam est determinata in Cõcilio Lugdunensi, & refertur cap. vnico. de bigamis. in 6. vbi dicitur, *Bigamos omni priuilegio clericali declaramus esse nudatos, & coertioni fori secularis addictos, ipsis quoque sub anathemate prohibemus deferre tonsuram, vel habitum clericalem.*

Pro intelligentia huius constitutionis notandum est primò, hîc tantùm esse sermonem de clericis in minoribus: nam qui sunt in sacris, licèt sint priuati Ordinum executione, gaudent tamen priuilegio clericali. ita glossa & Geminia. ibid. Angel. ver. bigamia. §. 10. Syluest. quæstion. 8. & communis. Probat Syluester: nam qui est in minoribus, potest, imò tenetur viuere vt laicus, qui verò est in sacris, non potest ad vitam laicam redire: vnde si aliquis eum violenter percusserit, manet excommunicatus; & idem dicendum est secundùm omnes de monacho professo in Religione approbata. Quæ resolutio, quãtùm ad clericos in sacris, habet verum in omni bigamia, etiam in similitudinaria, cæterùm quoad clericos in minoribus, qui non sunt professi, solùm habet verum in bigamia vera & interpretatiua, non tamen in similitudinaria, quia hæc solùm reperitur in his, qui voluerunt solemniter castitatem, vt patet ex dictis.

Secundò notandum est, quòd bigami in minoribus peccant mortaliter, si deferant habitum & tonsuram clericalem. sic Angel. & Sylu. sup. & aliqui Magistri: nam textus hoc illis prohibet sub excõmunicatione: sed pœna excommunicationis obligat ad mortale, vt diximus in materia de excommunicatione; ergo.

Hinc

Hinc sequitur, quòd non possunt ministeria minorum Ordinum exercere tanquam ex officio, quod etiam patet ex Trident. sess. 23. c. 17. in fine. Vnde non possunt esse Ecclesiarum æditui, scilicet Sacristiani.

DVBITATVR quartò, quis possit dispensare in bigamia?

Prima conclusio. Papa potestate ordinaria potest dispensare in quacunque bigamia. Est communis, vt refert Nauar. n. 197. & probatur, quia bigamia est de iure humano.

Sed contrà: nam Paul. 1. ad Timoth. 3. dicit, Episcopum, vel sacerdotem debere esse vnius vxoris virum; ergo est de iure diuino. Respondetur cum Soto, quòd nō loquitur tāquam Apostolus promulgando ius diuinum, sed tanquam Episcopus & Pastor Ecclesiæ condendo leges ecclesiasticas, verum est, quòd Papa rarò dispensat in bigamia vera. sic Henriq. dicto c. 6. num. 11. Dixi, *potestate ordinaria*, quia licèt aliqui Canonistæ dicant, non posse dispensare, nisi de potestate absoluta; tamen communior sententia tenet, quòd potest de potestate ordinaria; & quamuis isti Canonistę non explicent, quid intelligant per potestatem absolutam, vel per ordinariam, tamen quantum colligere possum ex Couarru. part. 1. §. 2. num. 4. per potestatem absolutam intelligunt, quòd dispensatio erit valida, abstrahendo ab hoc, quòd sit licita, vel illicita; per ordinariam verò intelligunt, quādo dispensatio est valida & licita, & ita dicimus, quòd Papa potest dispensare non solùm validè, sed etiam licitè iusta existente causa.

Secunda conclusio. Episcopus non potest dispensare cum bigamo propriè nec interpretatiuè ad sacros Ordines suscipiendos, nec ad vsum susceptorum. ita Nauar. num. 197. Soto dist. 27. q. 3. art. 3. concl. 2. & communiter alij, & habetur ex cap. super eo. de bigamis.

Tertia conclusio. Potest tamen Episcopus dispensare ad minores Ordines, non solùm vt vtatur susceptis, sed etiam vt de nouo recipiat. Hæc secunda pars conclusionis est cōtra Nauarrum & Emmanuelem, dicentes, quòd solùm potest dispēsare, vt vtatur susceptis: sed nostram sententiam tenet D. Th. Soto, Sylvest ver. bigamia. q. 7. Henriq. dicto num. 11. qui citat alios, & communiter iuniores Theologi.

Hinc sequitur, Episcopum posse dispensare cum bigamo, vt sit æditus Ecclesiæ, quod erit expediens in oppido paruo, vbi alius non facilè inuenitur, & hoc ipse Nauar. debet concedere: nam munera, quę æditus exercet, vt plurimū pertinent ad minores ordines, quos etiam secundùm Nauarr. bigamus exercere potest ex Episcopi dispensatione.

Quarta conclusio. In bigamia similitudinaria potest Episcopus dispensare etiam ad recipiendos sacros Ordines, verbi gratia, cum Diacono, vel Subdiacono, vel professo, qui de facto contraxit matrimonium cum virgine. ita Couarr. & Nauarr. sup. & communis, idem tenet Henr. n. 11. litera C, vbi ait, hoc esse verum, licèt delictum sit publicum. Probatur conclusio: nam cùm hæc irregularitas non sit propria, sed similitudinaria, mitiùs agitur cum eis in iure. Præterea est bonus tex. c. 1. qui clerici, vel vouentes. & c. sanè. el 2. de clericis coniugatis.

Si opponas textum in c. nuper. de bigamis. vbi prohibetur dispensatio cū istis clericis. Respondetur cum glossa, ibi, verbo, dispensari, quòd dictum c. sanè loquitur de illo, qui post susceptum ordinem sacrum contraxit. at verò c. nuper. loquitur de illo, qui primò existens laicus, contraxit, & postea factus sacerdos iterum contraxit: nam hîc concurrunt bigamia interpretatiua & similitudinaria.

Quinta conclusio. Abbates seculares non possunt dispensare in bigamia, nisi id habeant ex priuilegio vel consuetudine. ita Soto post secundam conclusionem, & Henr. cap. 6. num. 11. litera F; sed hæc conclusio, vt bene aduertunt quidam Theologi, intelligenda est de illis Abbatibus, qui non habent iurisdictionem Episcopalem

palem: at verò qui habent, & dispensant in votis, & exponunt Confessores, possunt dispensare, sicut Episcopi.

Sexta conclusio. Commissarius Bullæ Cruciatæ non potest dispensare in bigamia. ita Henri. lib. 7. de indulgentiis. c. 13. num. 5. & probatur: nam ibi excipiuntur aliæ irregularitates minores; ergo à fortiori censetur excepta bigamia, quæ est difficilis dispensationis, eò quòd fuit inducta à tempore Apostolorum.

Septima conclusio. Nec etiam possunt dispẽsare Episcopi Indiarum per priuilegium Pij V. relatũ in Cõcilio Limensi celebrato anno 83. nã hoc priuilegiũ solũ est ad irregularitates proueniẽtes ex delicto; & hęc cõclusio apud me est omnino certa.

Octaua conclusio. Prælati mendicantium possunt dispensare in bigamia cum suis Religiosis. ita Henr. dicto cap. 6. n. 11. in glossa, litera Z, allegat Compendium Minorum. ver. dispensatio. §. 4. sed ibi nil dicitur, habetur tamen ver. absolutio extraordinaria quoad fratres. §. 4. vbi Sixtus IV. concedit facultatem dispensandi in omnibus irregularitatibus, excepto homicidio voluntario, & mutilation. Hæc dispensatio est tantùm semel, & facultas conceditur Confessori audita confessione, & iniuncta pœnitẽtia salutari. Et quia Emanuel non vidit hoc priuilegium, tenet contra communem in cap. 158. concl. 5. Est etiam hæc conclusio contra collectorem in eodem §. vbi ait, quòd semper censetur excepta bigamia, & idem dicit Nauarr. conf. 1. de homicidio. Sed nostra conclusio probatur, quia ibi solùm excipitur homicidium volũtarium, quæ irregularitas est grauissima omnium, & non excipitur alia irregularitas, quę sit facilior bigamia; ergo nec obstat, quòd in aliis priuilegiis Minorum excipiatur bigamia: nam hæc exceptio non comprehendit alia priuilegia, vt patet ex dictis d. 2. 6. sect. 5. dub. 3. notab. 2.

Præterea Carthusienses habent priuilegium, quòd refertur in Compendio Societatis. verbo, dispensatio. §. 4. vbi conceditur facultas dispensandi in foro conscientiæ in omnibus irregularitatibus nulla excepta; dispensatio autem in homicidio voluntario conceditur citra altaris ministerium.

Vltima conclusio. In petenda dispensatione satis est explicare se duo contraxisse matrimonia, quamuis contraxerit quatuor, vel plura. ita Henr. c. 6. num. 9. & Nauarr. libr. 1. Cons. cons. 2. de bigam. vbi id latè probat.

Disputatio IX.

De irregularitate proueniente ex mala receptione vel vsu Ordinum.

De qua tractat Nauarr. capit. 27. à num. 241. Henriq. cap. 6. & 7. Emanuel capit. 166. & 168. Quam disputationem in duas diuidam sectiones. Prima est, de mala Ordinum receptione; secunda, de malo vsu.

Sectio I.

De mala Ordinum receptione.

ET inprimis erit primum Dvbivm, de quibusdam irregularitatibus, quæ antecedũt ipsam ordinationem? Vnde sit

Prima conclusio. Quando aliquis Religiosus egreditur clausstrum ad audiẽdas leges, vel Physicam, idest, Medicinam, manet irregularis, nisi reuertatur ante duos menses. ita Sylues. q. citata. Probatur ex c. super specula, ne clerici vel mon. in illis verbis, *totius spẽ promotionis amittant*, & dispensatio huius irregularitatis reseruatur Papæ, vt patet ex cod. text. Secunda conclusio, etiam homo adultus qui differt baptismum vsque ad ægritudinem, manet irregularis. ita Sylu. q. citata. Probatur in cap. si quis in ægritudine. 17. dist. reddit rationem text. quia fides illius magis

gis videtur esse ex necessitate, quàm ex voluntate.

Tertia conclusio. Episcopus, Diaconus, vel Presbyter, qui prætextu iniustæ excommunicationis Imperatorem vel Principem adierit, est irregularis. ita Sylvest. sup. q. 23. Probat ex c. si quis Episcopus. 21. q. 5. sed quidam Theologi dicunt, ibi non imponi irregularitatem, sed excommunicationem, quia dicitur, quòd non habent spem reconciliationis. Ego autem dico, quòd imponitur irregularitas, & probo ex glossa, quæ in alio simili, in cap. medicinalis. de sentent. excommuncat. in 6. verb irregularitatem, dicit, quòd in can. si quis Episcopus in Concilio. imponitur irregularitas, per hæc verba, *non habeat spem reconciliationis*. Præterea: nam Ecclesia non tollit spem absolutionis ab excommunicatione. Dicit præterea Sylvest. quòd postea in c. si quis Episcopus. 23. q. 8. extenditur hæc irregularitas ad alios ecclesiasticos: decernitur enim quòd quicunque viuens sub ecclesiastica regula sine consilio, vel literis Episcoporũ adierit Imperatorem, talis non solùm debet eiici de communione, verùm debet priuari propria dignitate. Sed in hoc textu non cõtinetur pœna irregularitatis, sed pœna excommunicationis ferendæ & depositionis ferendæ. fauet glossa ibidem. vnde colligo deceptum fuisse Sylvestrum dicentem, quòd in hoc c. continetur pœna irregularitatis non ipso facto, sed ferendæ: vtrumque enim est falsum, quia illa pœna non est irregularitas; & præterea nulla est irregularitas, quæ non sit ipso iure. Sed circa irragularitatem dicti cap. si quis Episcopus. attendenda est consuetudo.

DVBITATVR secundò, vtrùm sit irregularis, qui ordinatur per saltum, id est, qui conuolat ad superiores Ordines, relicto inferiori?

Et supponendum est tanquam certum, quòd recipit verum Ordinem, quamuis de laico immediatè fiat sacerdos, ita supponitur in c. vnico. de clerico per saltum promoto.

Hoc supposito, prima opinio dicit esse irregularem, atque adeò nec posse vti ordine susceptò, nec prætermissum recipere sine dispensatione, poterit tamen Episcopus dispensare, si non fuerit vsus Ordine sic recepto, alioquin solus Papa dispensat. ita Nau. num. 242. & Henri. c. 6. n. 4.

Secunda opinio per alterum extremum dicit, nec esse irregularem, nec esse suspẽsum ipso iure ab Ordine per saltũ susceptò, sed esse suspendendum. ita tenet Archidiaconus relatus à Sylvestro ver. irregularitas. q. 11. tenet Angelus ver. irregularitas. 1. n. 36. Armil. verb. irregularitas. num. 68. Probatur ex can. sollicitudo. 52. dist. vbi de quodam presbytero, qui per saltum susceperat Diaconatum & Presbyteratum, prætermisso Subdiaconatu, dicitur, quòd Episcopus ab officio sacerdotali prohibeat, donec recipiat Subdiaconatum. Ex quo textu colligitur, hunc non esse suspensum, sed suspendendum.

Sed est tertia opinio media & probabilior, quæ consistit in duabus conclusionibus.

Prima conclusio. Per hoc solùm quòd aliquis recipiat Ordinem per saltum, non manet irregularis; hæc est contra primam opinionem, sed est de mente secundæ, & eam tenent aliqui viri docti. Probatur, quia non datur textus, ex quo talis irregularitas colligatur: nam cap. vnicum, de clerico per saltum promoto. quod allegatur ab Autoribus primæ opinionis, non ponit talem irregularitatem, vt patet ex illis verbis, *eum in Diaconum ordinare procures*, quæ verba nullam denotant dispensationem.

Secunda conclusio. Iste manet suspẽsus ab Ordine per saltem recepto. ita Henri. sup. & lib. 7. de indulg cap. 13. num 5. post lit. M, Anton. 3. p. tit. 27. cap. 4. colum. 3. ad medium, Soto dist. 25. quæ. 1. art. 3. colum. penult. casu 3. Sylvest. ver. irregularitas. q. 11. cum Hostiense & Panormit. dicto c. vnico. & probatur ex eodem cap. vbi de quodam presbytero, qui diaconatu prætermisso factus est sacerdos, dicitur Episcopo,

scopo,vt eum procuret ordinare diaconatu,& tunc misericorditer permittat ministrare in sacerdotio;ergo supponit Pontifex,quòd erat suspensus ab Ordinis executione.Secundò probatur ex Concilio Trident.sess.13.cap.14.vbi dicitur,quòd cum promotis per saltum, si non ministrauerint, Episcopus ex legitima causa possit dispensare;ergo manet suspensus:nam illa verba,*si non ministrauerint*, clarè denotant suspensionem. Dixi, *ab Ordine per saltum recepto*,quia non manet suspensus ab vsu Ordinum inferiorum,quos legitimè recepit.ita Henri. & colligitur ex dicto c.vnico.in vltimis verbis.

Ex dictis sequitur primò, quòd si iste ante absolutionem suspensionis ministret in ordine per saltum recepto, fit irregularis.ita Sylvest.& Soto locis citatis, & patebit ex dicendis infrà. Similiter fiet irregularis, si ministret in Ordine prætermisso:nam ministrans in Ordine quem non habet,fit irregularis,vt infrà dicemus.

Sequitur secundò ex dicto Decreto Concilij, quòd si iste non ministrauit in Ordine per saltum recepto,potest Episcopus dispensare in prædicta suspensione, quamuis delictum sit publicũ, quia Concilium nõ limitat ad delictum occultum; at verò si ministrauit,non poterit Episcopus ex vi huius Decreti dispensare in suspẽsione,nec in irregularitate cõtracta ex tali celebratione,poterit tamen ex vi cap. 6.sess.24 dispensare,si delictum sit occultum.ita Henri.num.3.& alij.

Ad fundamentum secundæ opinionis respondetur,quòd illud verbum,*prohibeat*, non significat prohibere per censuram,sed compellere eum, qui iam erat censura ligatus,vt eam obseruet.Secundò respondetur,quòd licèt demus ibi non contineri suspensionem latam,sed ferẽdam, nihilominus istud c.correctum est per dictum c. vnicum.quod est magis nouum & secundùm hoc loquitur Tridentinum.

DVBITATVR tertiò,vtrùm sit irregularis qui recipit Ordinem, antequam recipiat sacramentum Confirmationis?

Prima conclusio.Non est irregularis, nec suspensus.ita Henri. c. 6.num.3.Soto dist. 24.q. 1, art.4.circa finem.& communis,quia non inuenitur in iure talis irregularitas,nec suspensio.

Secunda conclusio.Qui sine sacramento Confirmationis recipit,vel exercet Ordinem,tantùm peccat venialiter.ita Soto, & Henri.Nau.cap.22. numer.9.in fine.de quo plura dixi sup.3.p.q.72. art.6.

DVBITATVR quartò,vtrùm qui in eodem die recipit plures Ordines, fiat irregularis?

Prima conclusio.Qui in eodem die recipit primam tonsuram,& quatuor minores Ordines, non incurrit irregularitatem,nec aliam censuram; probatur,quia talis censura non reperitur in iure, imò ante Tridentinum erat licita talis receptio,vt tenet Nau.cap. 25.num.71.& colligitur ex c. 2. de eo qui furtiuè Ordinem suscepit.

Secunda conclusio.Qui eodem die recipit quatuor minores Ordines & Subdiaconatum,vbi cõsuetudo contraria non prævalet, manet irregularis,& idem est,si eodem die recipiat duos Ordines sacros. ita Sylvest.ver.irregularitas.q. 3.Ang.ver. irregularitas. 1. num. 23.Nau.c. 27.n.241. Henri.cap.6.num. 5.imò Salcedo ad Bernard.Diaz in Pract. cap. 25. vers. vna eadem die,ait idem esse,si eodem die recipiat vltimum gradum & Subdiaconatum, idem tenet Armil. ver.irregularitas. n. 69. Et hæc conclusio partim est contra Salcedum dicentem, istam consuetudinem derogatam esse per Concilium.Sed contrarium tenet Nauar.Henri.& aliqui Magistri.Et prima pars conclusionis habetur in cap.2.de eo qui furtiuè Ordinem suscepit. & ex eodem textu probat Nau.à fortiori secundam partem conclusionis,scilicet de recipiẽte eodem die duos Ordines sacros.

Aliqui tenent sic ordinatum in his duobus casibus manere suspẽsum,non tamen irregularem,qui fundantur in cap.2.& 3. de eo qui furtiuè,&c.in quibus solùm fit mentio de prohibitione administrationis,

quæ

quæ quidem ad ſuſpenſionem pertinet, non verò de prohibitione ſuſceptionis vlterioris Ordinis, quæ pertinet ad irregularitatem; imò ipſe Nau. cap. 25. num. 71. dicit, hûc manere ſuſpenſum, ſed reſpondetur, quòd in prædicto c. 2. in fine, etiam eſt ſermo de prohibitione ſuſceptionis Ordinum, ibi, *Mandamus, quatenus eum in minoribus duntaxat Ordinibus celebrare permittas*; ſi verò religionem intret, Abbas in aliis poterit Ordinibus diſpenſare, vbi ſecundùm communem interpretationem ſermo eſt de diſpẽſatione ad ſuſcipiendos reliquos Ordines, quæ expoſitio legitima eſt: nam cùm ille de quo loquitur tex. ſimul cum minoribus Ordinibus tantùm ſuſceperat Subdiaconatum, eo ipſo quòd dicitur in aliis Ordinibus, intelligendum eſt de ſuſceptione: nam ſi Pontifex ſolùm loqueretur de celebratione, non diceret, *in aliis ordinibus*, ſed, *in alio Ordine*. Reſpõdetur ſecundò, quòd licèt daremus, nec in dicto c. 2. nec in 3. eſſe ſermonem de prohibitione ſuſceptionis Ordinum, ſed tantùm de adminiſtratione in ſuſceptis, nihilominus eſſet vera ſecunda concluſio: nam quamuis in his duobus capitibus nõ fiat expreſſa mentio de irregularitate, tamen ſi cõſideremus deciſionẽ c. 1. eiuſdem tituli, quam duo ſequentia capita ſupponunt, videbimus, illa procedere ex ſuppoſitione, quòd in his duobus caſibus incurratur irregularitas, in primo enim capite ſtatuitur regula generalis, quòd qui furtiuè ſuſcepit Ordines, manet irregularis; ibi enim dicitur, *illum qui furtiuè ſuſceperat Diaconatum*, licèt id ſub excommunicatione non eſſet ſibi prohibitum indigere diſpenſatione Epiſcopi ad recipiendum ſacerdotium: ſed ſic eſt, quòd qui eodem die ſuſcipit minores Ordines & Subdiaconatum, vel duos ſacros Ordines contra prohibitionem Eccleſiæ, furtiuè ſuſcipit Ordinem ſuperiorem; ergo manet irregularis; minorem ſupponit Nau. lib. 1. Cõſiliorum. conſ. 1. de verborum ſignificat. n. 4. Henri. cap. 6. n. 5. & expreſſiùs Bernard. Diaz in ſua Pract. cap. 25. numero 2. & citat Hoſtiẽſem in cap. 1. prædicti tit. §. 1. & conſtat ex eo, quòd iſti caſus ponuntur ſub titulo, de eo qui furtiuè Ordines ſuſcepit, & ex eo quòd Sũmator vnicã Summa ſummauit omnia tria capita, & etiam ex eo quòd in cap. 3. dicitur, *clandeſtinè ſuſceperunt*.

Si opponas, cur ergo in ſecundo & tertio capite ſit ſpecialis mẽtio de ſuſcipiẽte in eodẽ die minores Ordines, & Subdiaconatũ, vel duos ſacros Ordines? Reſpondetur ſolùm factum eſſe ad denotandam ſpecialem difficultatem circa diſpenſationem, quæ nõ eſt in aliis, qui furtiuè ſuſcipiunt Ordines, vt patet ex ipſis capitibus. Vbi ampliùs notandum eſt, quòd quando textus dicit, *ſi erat prohibitum ſub anathemate*, non eſt ſenſus, quòd ideo incurritur irregularitas, quia excommunicatus recipit ſecundum Ordinem: hoc enim falſum eſt, vt patet ex dictis diſput. 5. de ſuſpenſio. dub. 7. vbi diximus, quòd qui incurrit ſuſpenſionem recipiendo Subdiaconatum, vel Diaconatum ante legitimam ætatem, non incurrit ſimul irregularitatem; vnde licèt nõ eſſet prohibitum ſub excommunicatione, maneret irregularis, qui furtiuè ſuſciperet ſecundũ ordinem: ſed illa conditio, *ſi erat prohibitum ſub excommunicatione*, ponitur ad hoc, vt diſpenſatio ſit difficilior.

Ad Nauarrum dicimus, quòd in c. 25. ſumit ſuſpenſionem pro irregularitate, vt ipſe declarat in conſilio allegato, & dicit, quòd in iure canonico frequẽter vſurpatur hoc modo, & ita vſurpant aliquando Summiſtæ, quod confuſionem cauſat, ſed ad eam fugiendam obſeruate hanc regulam, quando in iure vel Auctoribus prohibetur receptio Ordinum, eſt irregularitas, quando prohibetur vſus Ordinum, eſt ſuſpenſio.

Præterea notandum eſt id quod diximus in concluſione, ſcilicet vbi conſuetudo contraria non præualet, non habere locum in eo, qui recipit ſimul duos ſacros Ordines, quia nullibi eſt talis cõſuetudo, nec etiã regulares poſſunt illos recipere,

quia Concilium Trident. sess. 13. cap. 23. derogauit eorum priuilegiis. ita Salcedo ad Bernardum Diaz cap. citato. in fine. & Henr. c. 6. n. 5. in glossa, litera E.

Vltimò dicendum est, quòd in hac irregularitate ante Tridentinum solus Papa dispensabat ad recipiendum vlteriores Ordines, nisi religionem intraret, dispensabat tamen Episcopus, vt vteretur susceptis, nisi esset prohibitum sub excommunicatione recipere simul plures Ordines: modò autem post Tridentinum Episcopus dispensat etiam recipiendum vlteriores Ordines, si delictum sit occultum. ita Henr. c. 6. n. 5.

DVBITATVR quintò, vtrùm sit irregularis, qui post contractum matrimonium per verba de præsenti, quamuis non sit consummatum, recipit sacros Ordines præter casus concessos in iure?

Prima conclusio, quòd manet irregularis. sic Anton. 3. p. tit. 27. cap. 4. colum. 4. & est determinata in extrauaganti, antiquæ concertationi. vbi habetur, quòd nõ possit ministrare in Ordine suscepto, nec prouehi ad superiorem Ordinem, nec ad aliquod beneficium ecclesiasticum.

Secunda conclusio. Si iste mortua vxore vel viuente, sed ante consummationem matrimonij, profiteatur in aliqua religione approbata, concedit ibi Pontifex facultatem Episcopo, vt in prædictis omnibus dispenset.

DVBITATVR sextò, vtrùm qui excommunicatus, suspensus, vel interdictus recipit Ordines, maneat irregularis?

Prima conclusio. Excommunicatus minori excommunicatione, suscipiẽs Ordines etiam maiores, quamuis mortaliter peccet non tamen fit irregularis. ita Nau. n. 241. Henr. c. 6. n. 4. & omnes Doctores, & est text. c. si celebrat. de clerico excommunicato ministrante. vbi decernitur, quòd si iste celebrat, licèt graui. peccet, non fit irregularis: ergo à fortiori non erit irregularis, si recipiat Ordines.

Secunda conclusio. Excommunicatus maiori excommunicatione recipiens Ordines maiores, fit irregularis. ita Soto dist. 25. q. 1. art. 3. versicul. in ordinatione. Syluest. verb. irregularitas. q. 13. particula 3. Henriq. n. 4. Nau. n. 241. & c. 25. n. 72. §. 10. vbi dicit esse communem, idem tenent iuniores. Probatur ex c. cùm illorum. de sententia excommunic. non in 6. vbi allegatur à Soto, sed in Decretalibus. Et quãuis ibi solùm dicat esse depositum, tamen aliquando in iure depositio sumitur pro irregularitate, & ita explicant Doctores; hunc tamen dico depositum, quia licèt textus dicat deponendos, tamen ex consequentibus constat depositionem seu irregularitatem esse latam, non ferendam, & ita explicat Henr. dict. n. 4. litera P, quæ conclusio intelligitur de illo, qui scit, vel culpabiliter ignorat se excommunicatum, iuxta dicta sup. disp. 2. dubio 7.

Tertia cõclusio. Excommunicatus maiori excommunicatione, recipiendo minores Ordines, non incurrit irregularitatem. Conclusio hæc est contra Syluestrũ suprà contra Henr. n. 4. & contra alios, & contra Nau. c. 25. loco citato; sed eam tenet ipse cons. 28. de sentent. excommunicat. ad secundam quæstionem, vbi eam eruditè probat: tenet etiam Emanuel c. 168. concl. 4. Præcipuum fundamentum Nauarri est, quòd irregularitas non sumitur, nisi sit expressa in iure, & hæc irregularitas in nullo textu reperitur expressa: nam textus, qui allegantur, non loquuntur in hoc casu, vt Nau. ibidem ostendit. In eandem conclusionem satis inclinat Soto loco citato, vbi postquam retulit sententiam Syluestri, dicentis esse irregularem, subiunxit; *sed nescio quid veritatis habeat.*

Hinc sequitur à fortiori, quòd excommunicatus maiori recipiens primam tonsuram non est irregularis. ita Nau. in eodem cons. ad 3. quæst. & hoc est verum, licèt teneremus, quòd recipiens minores est irregularis. Ratio est, quia prima tonsura non est Ordo.

De suspenso autem Nauar. c. 27. n. 241. facit idem iudicium, ac de excommunica-

to

ro maiori,& ita dicit,quòd si recipiat Ordines, fit irregularis;in idem videtur propendere Henri.c.6.n.4.

Quarta conclusio.Suspẽsus ex eo quòd recipiat Ordines etiam sacros,non manet irregularis. Hanc conclusionem tenent aliqui viri doctissimi, videtur de mente Soti versicul citato. vbi solùm loquitur de excommunicato.Probatur primò,quia non datur tex.in quo imponatur talis irregularitas,sed irregularitas non incurritur,nisi in casibus à iure expressis; ergo. Maior patet:nam cap.1.de eo qui furtiuè suscepit Ordines,solùm inducit irregularitatem cõtra eum,qui furtiuè ordinatur, & c.cùm illorum.de sentent. excommunicat.solùm loquitur de excommunicato. Secundò probatur:nam suspensio natura sua nõ priuat receptione Ordinis,sed executione Ordinis suscepti,vt dixi disput.1. de suspensio. dub.2. ergo.Probatur ratione c.si celebrat.de clerico excommunicato ministrante. Confirmatur, iura, quæ imponunt irregularitatem violantibus suspensionem, tantùm ponunt illam violantibus suspensionem exercendo aliquem actum proprium Ordinis,vt inquit Couarru.c.alma mater. p.2.§.2.n.3.vbi citat alios:sed recipere Ordinem non est actus Ordinis;ergo non inducit irregularitatem.Vnde

Quarta conclusio videtur de mente Couarru.imò dico,quòd si Henri.attentè legatur, potest etiam adduci in hanc sententiam,quia in fine loquitur ex propria sententia.Dixi in conclusione, *ex eo quòd recipiat Ordines*:nam si suscipiat Subdiaconatum, vel Diaconatum,& fortè ibi canat solemniter Epistolam vel Euangelium, manet irregularis, vt dixi disput.5.de suspensio. dub. 7. licèt contrarium teneat Henri.lib.13.de excommunicat.c.43.circa finem.Idem dico, si ordinetur sacerdos, quia concelebrat,nec in hoc contradico dictis in prædicto dub.7.nam ibi loquutus sum,quando suspensio incurritur in ipsa ordinatione sacerdotij,vt quia ordinatur ante legitimam ætatem; nunc autem loquitur, quando suspensio antecedit ipsam ordinationem.

Quinta conclusio. Personaliter interdictus recipiens Ordinem sacrum fit irregularis.ita Nau.c.27.n.241. Henri.lib.13. c.43.n.3.& lib.14.c.6.n.4.in fine.& aliqui viri docti. Probatur ex c.cùm illorum. de sentent. excommunicat. nam licèt ibi tantùm fit sermo de excommunicato, tamen sicut excommunicatus priuatur receptione Ordinis,sic etiam priuatur personaliter interdictus.

Si petas,quare suspensus recipiens Ordines non incurrit irregularitatem, interdictus autem personaliter incurrit?Respondetur,ratio est,quòd suspensio natura sua tantùm priuat vsu Ordinis,non receptione, interdictum verò personale æqualiter priuat receptione vsu Ordinis.

Ex dictis sequitur; quòd si ille, qui per interdictum est suspensus à sola receptione Sacramentorum,dicat Missam, quamuis peccabit mortaliter, non tamen est irregularis. ita Emanuel c.168.post 9. concl.Probatur:Iste non est suspensus à celebrando, & propter solam exceptionem Sacramentorum (præter sacramentum Ordinis) nulla incurritur irregularitas;ergo non est irregularis. Patet consequentia; nam propter hanc rationem in c.si celebrat. de clerico excommunicato ministrante. decernitur, excommunicatum minori, quamuis peccet mortaliter celebrando,non tamen esse irregularem. Et nota,quòd talis suspensio potiùs est interdictum, quàm suspensio: nam suspensio propriè sumpta non priuat perceptione Sacramentorum,sed vsu Ordinis.

Hîc disputant nonnulli,vtrùm sit irregularis,qui recipit Ordines ab Episcopo excomunicato, suspenso, vel interdicto, schismatico,vel hæretico, vel ab Episcopo,qui renunciauit loco & dignitati?Sed de hoc disputaui in materia de suspensione,disputat.5.dub.8.casu 4.& 5.vbi dixi, hunc manere suspensum. Videte Henri. lib.14.c.6.n.6.Solùm restat addere circa

hoc vltimum, quòd qui recepit Ordines ab Episcopo, qui renunciauit loco, sed non dignitati, si recipiat illos de licentia sui Episcopi, non est irregularis; erit tamen, si eos recipiat sine prædicta licentia. Sylvest. verb. irregularitas. q. 8. & habetur ex cap. 1. de ordinatis ab Episcopo qui renunciauit Episcopatui.

Vtrùm verò maneat irregularis, qui ordinatur Ordine sacro sine licentia proprij Episcopi, idest, sine literis dimissoriis, dicimus, quòd non manet irregularis, sed suspensus, vt latiùs dictum est disp. 5.

Sectio II.

De irregularitate proueniente ex malo vsu Ordinum.

De quo Henriq. capit. 7. & Bernard. Diaz in sua Practica. c. 33.

Dvbitatvr primò, vtrùm excommunicatus, suspensus, vel interdictus exercens actum Ordinis, fiat irregularis? Prima conclusio. Excommunicatus minori, quamuis exerceat actum maioris Ordinis, non manet irregularis. ita Sylvest. ver. irregularitas. q. 13. Nau. n. 244. & communis. nam est determinata in c. si celebrat. de clerico excommunicato ministrante. Probat Sylvest. ex ipso textu, quia minor excommunicatio non suspendit ab executione diuinorum, sicut maior excommunicatio, sed tantùm impedit receptionem Sacramentorum.

Secunda conclusio. Excommunicatus maiori excommunicatione, si exerceat solemniter actum maioris Ordinis, fit irregularis. ita Nauar. sup. Henr. n. 1. Couarr. c. alma mater. p. 1. §. 6. n. 9. vbi citat multos textus, inter quos hi sunt, qui magis fauent conclusioni, scilicet capit. si celebrat. vbi dicit, quòd excommunicatus minori celebrans non fit irregularis; vbi insinuatur, quòd si sit excommunicatus maiori (de quo in præcedentibus capitibus fuerat sermo) erit irregularis. Alij citant caput primum de sententia & re iudicata. & de sententia excommunic. in 6. nam licèt loquatur de suspenso & interdicto, qui se ingerit diuinis, tamen ibi nomine suspensionis & interdicti etiam cõprehenditur excommunicatio maior, vtpote quæ comprehendit omnes effectus suspensionis & interdicti; quamuis sub alia ratione formali, quod tamen non tollit, quin eadem pœna puniatur violans excommunicationem, qua punitur violans suspensionem aut interdictum. Hanc rationem inuenerunt aliqui Theologi, quia non inuenerunt textum aptum conclusioni; ego tamen allego optimum textum in capit. si quis Episcopus damnatus. & c. si quis Episcopus in concilio 11. q. 3. quos allegat glossa cap. 1. de sentent. excommunicationis. in 6. verbo, irregularitatem. quam glossam approbat Soto dist. 25. quæst. 1. artic. 3. versicul. 3. post susceptos tandem hæc conclusio ab omnibus recipitur, vt inquit Couarru.

Tertia conclusio. Suspensus, qui solemniter exercet actum deputatum alicui Ordini maiori, à quo est suspensus, manet irregularis. ita Nauarr. n. 244. Henriq. num. 1. Couarrũ. c. alma mater. part. 2. §. 2. n. 3. vbi citat multos, & est communis, habetur in c. 1. de sententia excommunicat. in 6. in quo textu dicit glossa, verbo, irregularitatem, quam sequitur Soto versicul. modò citato, quòd secundùm antiquos canones; scilicet c. si quis Episcopus damnatus. & c. si quis Episcopus in concilio. modò citato, solus excommunicatus maiori ministrans in sacris Ordinibus, erat irregularis, sed postea hæc irregularitas extensa est ad omnes suspensos in c. 1. de sententia & re iudicata, & de sent. excommunic. modò citatis.

Quarta cõclusio. Quod diximus de suspẽso, idem dicendũ est de interdicto personaliter, itaq; si clericus personaliter interdictus exerceat actũ maioris Ordinis, à quo

quo est interdictus, manet irregularis. ita Sylvest. ver. irregularitas. quæst. 13. Nauar. num. 244. Henri. cap. 7. num. 1. & libr. 13. cap. 43. num. 3. qui allegant multos textus; sed melior omnium est cap. is cui. de sententia excommunicat. in 6.

Sed notandum est 3° quòd si quis excommunicatus & interdictus celebret, duas incurrit irregularitates, vel vnam ex duplici causa, & ideo grauiorem. ita Nauar. consil. 72. de sententia excommunicat. & Emanuel. c. 168. concl. 1.

Præterea notandum est, quòd si aliquis post appellationem ab excommunicatione, suspensione, vel interdicto celebret, confidens suæ appellationi non est irregularis, quamuis postea declaret appellationem non fuisse legitimam. ita glossa cap. solet. de sententia excommunicat. in 6. recepta communiter, vt vidimus cap. 5. de excommunicat. disputat. 5. dubio 12. Dixi in his duabus conclusionibus, *à quo est suspensus, vel interdictus*, quia stat clericum esse suspensum, vel interdictum ab vno Ordine, & non ab alio, vt patet ex materia de suspensione & de interdicto, quæ limitatio non fuit necessaria in secunda conclusione, quia maior excommunicatio generaliter remouet ab omni actu Ordinis.

Deinde notandum est, tres prædictas conclusiones habere verum tam de excommunicatis, suspensis, & interdictis non toleratis, quàm de toleratis, in casibus, in quibus non exercent licitè Ordines. Sensus est, quòd licèt aliquis excommunicatus, suspensus, vel interdictus non sit denunciatus, nec sit excommunicatus ob manifestam percussionem clerici, nihilominus si exerceat solemniter actum deputatum alicui Ordini maiori, est irregularis. Probatur: nam Concilium Constantiense non intendit fauere ipsis excõmunicatis, suspensis, & interdictis, vt vidimus in materia de excommunicat. Dixi, *in casibus, in quibus non exercent licitè Ordines*: nam in illis casibus, in quibus sup. in propriis locis dixi excommunicatum, suspensum, vel interdictum licitè exercere actum Ordinis, non manet irregularis: nam sicut excusatur à culpa, ita etiam à pœna.

Hinc sequitur, quòd si excommunicatus, suspensus, vel interdictus exerceat actum Ordinis ad vitãdum scandalum & grauem infamiam ex manifestatione delicti, non fit irregularis; idem est, si exerceat actum Ordinis, inuincibiliter ignorans se esse excommunicatum, suspensum, vel interdictum, vel quòd ius prohibet celebrationem clerico irretito aliqua censura; secus erit, si culpabiliter & vincibiliter ignorat, vt constat ex disputa. 2. de irregularit. dub. 7. Similiter non manet irregularis excommunicatus, suspensus, vel interdictus, qui est etiam non toleratus, & deficiente copia alterius Confessarij administrat sacramentum pœnitentiæ existenti in articulo mortis. videre Henr. c. 7. n. 1. in fine. & n. 2.

DVBITATVR secundò, vtrùm irregularitas præcedentis dubij incurratur per quamcunque executionem maioris Ordinis factam ab excommunicato, suspenso, vel interdicto, vel requiratur aliqua conditio ad incurrendam eam?

Conclusio. Duæ conditiones requirũtur ad incurrẽdam hanc irregularitatem. Prima, quòd exerceat actum Ordinis maioris. Secunda, quòd exerceat illum solemniter, ideſt, illa solemnitate, cum qua secundùm ius & consuetudinem Ecclesiæ talis actus non potest exerceri nisi ab habentibus talem Ordinem, licèt secundùm substantiam posset exerceri à laicis, vt postea dicemus. Ex quibus conditionibus sequuntur multa vtilia in praxi.

Ex prima enim sequitur primò, quòd licèt irretitus aliqua censura ex prædictis exerceat aliqua munera, quæ non sunt deputata alicui Ordini, sed possunt competere laicis non habentibus vllum Ordinem, non fit irregularis, vnde non manet irregularis in casibus sequentibus.

Primò, si canat etiam intra Ecclesiam Responsoria, vel Lectiones, vel Psalmos

in choro. ita Nauarr. num. 244. & Emanuel cap. 168. concl. 8. Secundò, si sepeliat alium etiam in loco sacro, dummodo non adiungatur diuinum officium, quia sepelire præcisè sumptum non est officium deputatum Ordini sacro, secus si adiungatur: tunc enim erit irregularis, licèt sepeliat in loco profano, quia Officiũ diuinum sepulturæ est proprium munus sacerdotis. ita Sylvest. ver. interdictum. 5. quæst. 8. part. 2. Nauarr. num. 244. Henri. cap. 7. num. 4. litera P. Similiter qui benedicit mensam vel fructus, non est irregularis, quia talis benedictio non est actus proprius alicuius Ordinis, vt ait Héri. lib. 13. cap. 44. num. 1. Tertiò, si exerceat ea, quæ pertinent ad iurisdictionem fori exterioris, vt si aliquem excommunicet, suspendat, vel interdicat, aut si absoluat ab aliqua censura, quod intelligendum est cum vna ampliatione & vna limitatione. Ampliatio est, quòd hæc doctrina habet verum, licèt iste sit suspensus à iurisdictione: nã cùm vsus talis iurisdictionis etiam spiritualis nõ sit actus Ordinis, non inducit irregularitatem. Limitatio est, quòd prædicta doctrina debet intelligi, dummodo absoluat absque solemnitate, nempe sine stola, Psalmis, & orationibus, secus verò si cum prædicta solemnitate: nam talis absolutio est proprius actus Ordinis sacerdotalis. ita Henr. cap. 7. num. 1. & propter eandem rationem manet irregularis, si benedicat solemniter aquam. ita Sylvest. ver. aqua benedicta quæst. vlt. Nauar. n. 244. Henriq. cap. 7. num. 1. & qui tanquam hebdomadarius officiat in choro canendo Capitulum & Orationẽ cum Dominus vobiscũ, quia de consuetudine est actus deputatus Ordini sacerdotali. Dico, cum *Dominus vobiscum*: nam si sacerdos dicat non tanquam sacerdos, sed absque Dominus vobiscum more Monialium, non est irregularis. Sic aliqui viri docti, & significat Sylvest. ver. suspensio. quæst. 1. & ver. irregularitas. quæst. 13. & Henri. cap. 6. n. 1. in glossa, litera D; nam vterque ait, *si recitat Orationem cum Dominus vobiscum*, & Sylvest. dicta quæst. 13. subdit, idem esse, si præstet idem Officium; scilicet, cum Dominus vobiscum, intra Ecclesiam, vt officiando in exercitu: manebit enim irregularis; similiter manet irregularis, si administrat Eucharistiam, quamuis non celebret Missam. ita Emanuel c. 158. concl. 8. quia est actus deputatus Ordini sacro.

Ex dictis sequitur resolutio alterius quæstionis, vtrùm excommunicatus maiori, vel interdictus, aut suspensus ab officio prædicandi, si prædicet, maneat irregularis? Partem affirmatiuam tenet Nauar. cap. 27. num. 163. dicto 8. Probatur: nam actus prædicandi iure humano vel consuetudine est peculiariter deputatus Diaconatui, vt ipsemet tenet capit. 25. n. 141. Nihilominus dicendum est, quòd nõ manet irregularis. ita Sylvest. ver. suspensio. quæst. 5. in fine. vbi allegat Cardinalem, & alios. idem tenet Henri. c. 6. n. 2. in glossa, litera Z; probatur, quia non est actus Ordinis.

Ad fundamentum Nauarri respondetur, quòd prædicare ex institutione vel consuetudine Ecclesiæ, est actus Ordinis Diaconatus, non quòd ipsa prædicatio sit exercitium ipsius Ordinis, sed ad hunc sensum quòd Ecclesia non vult aliquem prædicare, qui ad minus non sit Subdiaconus ad eum modum, quo Ecclesia instituit, nullum fieri magistrum in Theologia, qui non sit Subdiaconus, ex quo non infertur, quòd tale magisterium sit actus Ordinis Subdiaconatus, sed quòd petit Subdiaconatum in subiecto, & propter eandem rationem Religiosus excommunicatus, suspensus, vel interdictus licèt in electionibus habet vocem actiuam & passiuam, non est irregularis, quãuis prædicti ex statuto religionis sunt deputati Ordini sacerdotali. sic Emanuel cap. 166. concl. 1.

Ex secunda conditione, scilicet quòd exerceat solemniter, sequitur, quòd si Subdiaconus, vel Diaconus, vel Presbyter,

excom

excommunicatus, suspensus, vel interdictus canter in altari Epistolam cum dalmatica, sed sine manipulo, non manet irregularis. ita Sylvest. ver. irregularitas. quæ. 15. particula 4. Nauarr. numero. 244. & cons. 1. de celebrat. Missa. & reddit rationem, quia tunc non vtitur ordine Diaconatus, sed Officio Cantoris. Salcedo ad Bernardum Diaz c. 33. corollario 2. Henri. cap. 6. num. 1. & optimè Tabien. verb. irregularitas. 4. num. 1. idem dico, si canat Euãgelium etiam in altari sine stola; imò idem dico, licèt canat Epistolam cum manipulo, vbi est consuetudo quòd laici sic canant eam. ita Nauarr. num. 242. vt ampliùs explicabimus dub. 13. limitat. 5. Similiter sacerdos, qui baptizat absque solemnitate more laicorum, non est irregularis, secus si baptizet solemniter, quia est actus proprius sacerdotis. ita Sylvest. ver. irregularitas. quæst. 13.

Sed est maximè aduertendum, conditionem hanc solemnitatis requisitam esse ad incurrendam irregularitatem in illis actibus, qui secũdùm substantiam possunt fieri à laicis, vt in exemplis positis de canente Epistolam, baptizante, & aliis; at verò sunt alij actus, qui nec secũdùm substantiam fieri possunt à non ordinatis, & hi, quamuis exerceantur sine solemnitate ab excommunicato, suspenso, vel interdicto, inducunt irreglaritatem, quia talis actus etiam exercitus sine solemnitate est proprius Ordinis sacri, quod quibusdam exemplis explicandum est. Primum exemplum sit de sacerdote, qui extra Missam, & sine vlla solemnitate consecrat Eucharistiam, talis enim manet irregularis, ac si consecraret cum solemnitate cõsueta. ita Sylvest. ver. interdictum. 4. quæst. 4. Secundum est in sacerdote absoluente sacramentaliter à peccatis: nam quantumuis in occulto absoluat, est irregularis; hoc est contra Didacum Perez ad Villadiego cap. 2. num. 12. Sed nostram sententiam tenet Palud. in 4. dist. 18 quæ. 4. effectu 4: Sylvest. verb. irregularitas. q. 13. Henri. lib. 13. de excommunicat. cap. 7. num. 1. & in hoc casu est alia specialis ratio, nẽpe quòd iste actus de se non habet aliam solemnitatem.

Similiter dicendũ est de administrante sacramentum Extremæ Vnctionis: nã licèt omittat omnem aliam solẽnitatem, fit irregularis. Tertium exemplum est in Episcopo ligato cẽsura, qui extra Missam, & sine vlla solemnitate ministrat sacramentum Confirmationis, vel Ordinis, consecrando Episcopum, & conferendo Ordines etiam minores: manet enim irregularis. ita Sylvest. ver. interdictum. 4. q. 4. particula 3. Angelus ver. suspensio. 3. num. 3. & quantùm ad conferentem minores Ordines, tenet expressè Couar. cap. alma mater. p. 2. §. 3. num. 4. corollario 1. & Henri. lib. 13. c. 7. n. 1.

Sed contra hoc arguitur, quòd minores Ordines conferri possunt à non Episcopo, scilicet ab Abbate; ergo talis collatio non est actus proprius ordinis Episcopalis, & per consequens, Episcopus, qui confert istos, licèt sit ligatus censura, non erit irregularis. Respondetur cum Couarru. corollario 2. quòd licèt collatio primæ tonsuræ & minorum Ordinum nõ sit proprius actus ordinis Episcopalis, tamen necessariò supponit in ordinãte characterem sacerdotalem, vt habetur c. cùm contingat. de ætate & qualit. ordinandorum

Sed notandum est contra Angelum ver. suspensio. 3. notab. 3. quòd si Episcopus suspensus à Pontificalibus celebret Missam cum apparatu Pontificali, nõ manet irregularis; ita Sylvest. ver. suspensio. quæst. 5. post principium. vbi citat Rosellam & Archidiaconum, ver. interdictum. 4. quæstio. 4. part. 3. Couar. Clem. si furiosus. p. 1. §. 1. num. 4. & aliqui Magistri; quod intelligendum est, dummodo non exerceat aliquod aliud munus characteris Episcopalis. Probatur ratione Sylvestri, quia Pontificalia non sunt de substantia celebrationis. Præterea: nam suspensio à Pontificalibus est ab actibus propriis characteri, inquantũ est Episcopalis.

Vltima

Vltima concluſio. Qui celebrat excommunicatus, ſuſpenſus, vel interdictus, ſi iſta cenſura ſit nulla, non fit irregularis. ita Emanuel cap. 168. concl. 2. vbi citat alios.

DVBITATVR tertiò, vtrùm excommunicatus maiori, ſuſpenſus, vel interdictus exercens ſolemniter actus minorum Ordinum, fiat irregularis?

Prima opinio eſt affirmatiua; ita Sylueſt. ver. irregularitas. quæſt. 13. vbi citat Hoſtienſem, Ioannem Andream, & Panormitan. eandem tenet Nauar. cap. 25. n. 76. & cap. 27. num. 153. & conſ. 28. de ſententia excommunicat. num. 10. Probatur: Iura in primo dubio allegata abſolutè dicunt, eſſe irregularem clericum excommunicatum, ſuſpenſum, vel interdictum, qui agit in officio ſuo, ſicut priùs, & non limitant ad actus maiorum Ordinum; ergo.

Secunda opinio eſt negatiua, & hæc eſt probabilior, quam tenet Palud. diſt. 24. q. 4. artic. 4. Anto. 3. p. tit. 28. cap. 1. §. 1. Soto diſt. 25 quæſt. 1 art. 3. verſicul. quintus caſus. Henri. lib. 14. cap. 7. num. 1. litera F, Emanuel cap. 168. concl. 8. in fine. & communiter iuniores Theologi, imò eandem tenet Nauarr. cap. 27. num. 244. & etiam Sylueſt. ver. irregularitas. quæſt. 37. Probatur: tunc clericus ligatus cenſura fit irregularis miniſtrando, quando exercet aliquem actum ſpecialiter & per ſe deputatum alicui Ordini, ſed actus minorum Ordinum communiter fiunt à merè laicis; ergo ſuppoſita hac conſuetudine iàm non ſunt deputati alicui Ordini; ergo. Confirmatur, & explicatur. Tales actus nec ſecundùm ſubſtantiam ſunt proprij Ordinum minorum, ſiquidem fieri poſſunt à merè laicis, nec ſecundùm ſolemnitatem, ſiquidem conſuetudo recepta concedit eam ſolemnitatem merè laicis; ergo.

DVBITATVR quartò, quando ſuſpenſus vel interdictus ab ingreſſu Eccleſiæ incurrat irregularitatem?

Concluſio. Si celebret intra Eccleſiam, fit irregularis, cap. is cui. de ſententia excommunicat. in 6. non tamen ſi audiat diuina, quamuis in hoc peccabit. ita communiter Doctores dicto cap. is cui de quo latiùs dixi diſputat. 2. de interdicto. ſect. 3. dub. 5. poſt 5. concluſionem.

DVBITATVR quintò, vtrùm quod diximus, ſuſpenſum miniſtrantem in Ordinibus ſacris eſſe irregularem, intelligatur de quocunque ſuſpenſo?

Prima concluſio. Non intelligitur de ſuſpenſo propter defectum, ſed propter delictum, hæc enim eſt vera cenſura. ita Couarru. Clement. ſi furioſus. p. 1. §. 1. n. 5. verſicul. tertiò ab eadem, circa finem. Emanuel cap. 168. concl. 14. & alij citati diſput. 3. dub. 11. concl. 2.

Hinc infertur, quòd qui eſt ſuſpenſus propter illegitimitatem, vel habet aliud vitium corporale, quamuis recipiat Ordines, vel miniſtret in ſuſceptis, non incurrit irregularitatem.

Secunda concluſio. Qui eſt ſuſpenſus propter delictum, ſi miniſtret in ſacris, fit irregularis, quamuis talis ſuſpenſio non ſit poſita per Iudicem, ſed per Canonem. ita Couarru. ſup. & Bernard. Diaz in Practica. cap. 26. num. 3. & Angelus ver. ſuſpenſio. 3. num. 1. ſi attentè legatur. Et probatur efficaciter ex cap. 1. de ſententia & re iudicata. in 6. & cap. 1. de ſententia excommunicat. in eodem lib. vbi ponitur ſuſpenſio & irregularitas violantibus talem ſuſpenſionem celebrando. Et hæc concluſio non eſt contra Villadiego c. 3. num. 10. verſicul. itaque eo caſu. nec contra Panormitan. cap. cùm dilectus. de conſuetud. num. 17. nec contra Felinum cap. Paſtoralis. §. cùm autem. num. 128. de offic. delegati. dicentes, quòd ſuſpenſus à Canone celebrans non manet irregularis, ſed ſuſpenſus à Iudice: nam iſti Doctores ſolùm intendunt, quòd ſuſpenſus propter defectum, quamuis celebret, non manet irregularis, non tamen negant, quin ſuſpenſus propter delictum etiam à iure maneat irregularis, ſi celebret; ita explicat ſe Villadiego, & Felinus

nus in cap. Apostolicæ. de exceptionibus. num. 16. dicit, quòd suspensus ab officio celebrans est irregularis, siue suspensus sit à Canone, siue ab homine, & allegat ibi glossam 2. & 3.

DVBITATVR sextò, vtrùm excommunicatus suspensus, vel interdictus præstans autoritatem celebrationi, maneat irregularis, verbi gratia, si Episcopus, vel alius ecclesiasticus faciat coram se celebrare?

Prima conclusio, quòd est irregularis, ita Angelus ver. irregularitas. 1. §. 40. Sylvest. ver. irregularitas. quæst. 13. particula 4. Villadiego cap. 2. num. 20. Nauarr. c. 27. num. 244 Couarru. cap. alma mater. p. 1. §. 6. num. 9. in fine. vbi citat multos, qui omnes id colligunt ex cap. illud. de clerico excommunicato ministrante. Dixi, *ecclesiasticus*, quia si sit laicus, non incurret. ita Henriquez cap. 7. num 3. litera A.

Secunda conclusio. Si simpliciter audiat Missam non præstans autoritatem, non manet irregularis. ita Villadiego sup. vbi citat Ioannem Andream in dicto cap. illud. idem tenet Geminianus, quem sequitur Sylvest. suprà.

Tertia cõclusio. Qui nõ est ligatus aliqua censura, & facit aliquem excommunicatum, suspensum, vel interdictum coram se celebrare, præstans autoritatem tali celebrationi, non manet irregularis; quę conclusio expressè est contra Nauarr. n. 244. contra Couarru. cap. alma mater. p. 1. §. 6. n. 9. sed eam tenent aliqui viri docti, & in eam inclinat Emanuel cap. 158. concl. 1. & est de mente P. Henri. in alio simili. cap. 7. num. 3. litera Z. Probatur conclusio, quia talis irregularitas non reperitur in iure, & dictum cap. illud, quod aliqui citant pro sententia Nauar. tantùm loquitur de excommunicato, qui facit coram se celebrari, & eodem modo loquitur glossa Clement. 2. de priuilegiis. verbo, celebrari, quam pro se adducit Nauarr.

DVBITATVR septimò, vtrùm clericus non ligatus aliqua censura, qui tamen celebrat coram excommunicato, vel interdicto, fiat irregularis?

Conclusio. Qui non ligatus censura celebrat coram excommunicato, etiam non tolerato, non fit irregularis. ita Couarru. cap. alma mater. p. 1. §. 6. num. 9. Henri. cap. 7. num. 3. text. expressus cap. is qui. de sententia excommunicat. in 6. Reddit rationem textus, quia talis irregularitas non est expressa in iure; mihi videtur idem dicendum esse, quando celebrat coram suspenso.

De eo autem, qui celebrat coram interdicto, idem est dicendum, vt ait Sylvest. ver. interdictum. 6. quæstio. 2. particula 3. Henri. dicto num. 3. & Nauar. cap. 25. num. 94. Dixi, *etiam non tolerato*, quia de tolerato non erat dubitandi ratio, siquidem post Concilium Constantiense non tenemur citare toleratos.

Sed est aduertendum, quòd qui celebrat coram interdictis denunciatis, vel admittẽs publicè excommunicatos ad Officia diuina, vel Sacramenta, vel ecclesiasticam sepulturam, si sit exemptus à iurisdictione ordinaria, manet suspensus ab ingressu Ecclesiæ, & si hac suspensione durante celebret intra Ecclesiam, etiã coram non interdictis fit irregularis. ita Couarru. & Henri. sup. & alij. Dixi, *si sit exẽptus*. quia non exemptus non incurrit prędictam suspensionem. ita Couarr. & Henri. sup. & Nauarr. qui citat multos. Probatur: nam cap. Episcoporum. de priuilegiis. in 6. tantùm loquitur de exemptis, vt inquit Nauarr. Archidiac. & alij. de quo plura dixi disput. 5. de interdicto. dub. 4. concl. 4.

Egimus iam de violante interdictum celebrando, quando ipse est interdictus, & quando celebrat coram personis interdictis; restat modò agere de illo, qui violat interdictum locale. Vnde

DVBITATVR octauò, vtrùm qui violat interdictum locale, quamuis ipse non sit personaliter interdictus, maneat irregularis?

Conclusio. Clericus in sacris, qui vio-

lat interdictum locale celebrando Officia diuina pertinentia ad aliquem sacrum Ordinem, manet irregularis. ita Couarr. cap. alma mater. p. 2. §. 2. num. 2. Sylvest. verb. interdictum. 6. quæstio. 2. partic. 2. Soto dist. 22. quæstio. 3. artic. 1. concl. 5. Nauarrus capit. 25. nume. 86. Henriquez lib. 13. cap. 43. num. 3. pro qua conclusion. multos textus adducit Couarru. sed meliores omnium sunt cap. is qui. §. is verò. & cap. is cui. de sentent. excommunicat. in 6. Et quod dico de celebrante in Ecclesia interdicta, idem dicendum est de celebrante in altari interdicto. ita Nauar. cons. 2. de sententia excommunicat. & Eman. c. 168. concl. 12.

Hæc autem conclusio intelligitur, dummodo talis celebratio fiat absque moderatione, cap. alma mater, scilicet ianuis clausis, voce submissa, exclusis excommunicatis, & interdictis, non pulsatis campanis: nam cum hac moderatione non erit irregularis, erit tamen sine illa; quòd celebrans cum hac moderatione non fit irregularis. Probatur: nam talis celebratio est licita tempore interdicti, vt patet ex dicto capit. alma mater. quòd verò celebrans absque illa sit irregularis, tenet Couarru. dicta p. 2. §. 4. numer. 6. Sylvest. verb. interdictum. 5. quæst. 5. part. 2. Henriquez lib. 14. cap. 7. num. 4. litera F. Probatur, qui ante cap. alma mater. tempore interdicti celebraret etiam seruata prædicta moderatione, fieret irregularis, vt patet ex dicto cap. is qui ibi, *nisi super hoc priuilegium existat*; &c. sed in cap. alma mater non est concessa celebratio diuinorum absque prædicta moderatione; ergo manet irregularis. Probatur cõsequentia: nam quantùm ad alia ius antiquum manet incorruptum.

Sed circa moderationem hanc notandum est primò, quòd vt quis liberetur ab irregularitate, debet seruare præfatas omnes moderationes, taliter quòd si prætermittat vnam, incurret. sic aliqui viri docti, & clarè significat Couar. nam dicit, quòd debent exactissimè obseruari.

Secundò nota, quòd obseruatio harum moderationum liberat ab irregularitate celebrantem in loco generaliter interdicto, non tamen celebrantem in loco specialiter interdicto. sic Henriq. cap 7. num. 4. litera G, & alij: nam capit. alma mater. nihil concessit pro interdicto speciali, vt dixi disput. 4. de interdicto, sect. 2. dub. 3. Consultò dixi in conclusione, *officia diuina pertinentia ad sacrum Ordinem*, quia tũc solùm celebrans in loco interdicto fit irregularis, quando agit vt ordinatus Ordine sacro. ita Sylvest. verb. interdictum. 6. qu. 2. part. 2. dicens, *intellige, si agit vt clericus*, & Henriq. lib. 13. cap. 43. num. 3. litera V, & lib. 14. cap. 7. num. 4. litera F, & alij. Probatur ex dicto cap. is cui. ibi, *in suo agens officio, sicut priùs*, & quamuis hoc prima facie videatur contra Couarru. dicto §. 4. n. 6. nihilominus in §. 2. suprà citato, numer. 3. in principio expressè dicit, quando iura ponunt irregularitatem violantibus suspensionem, vel interdictum, solùm ponunt illam violantibus exercendo actum proprium Ordinis.

Hinc sequitur primò, quòd clerici in choro recitantes Horas, quamuis non obseruent moderationem cap. alma mater. non sunt irregulares, nisi sit hebdomadarius, iuxta dicta sup. dub. 2. nec etiam sunt irregulares, qui in loco interdicto exercent actus iurisdictionis in foro exteriori, vt excommunicando, vel absoluendo ab excommunicatione, & denique in aliis exemplis positis dubio 2. in quibus diximus, clericum excommunicatum, suspensum, vel interdictum personaliter nõ manere irregularem, quia tales actus non sunt deputati Ordini sacro. In eisdem non est irregularis, qui exercet illos in loco interdicto, imò ampliùs dico, quòd in prædicta conclusione nomine diuinorũ Officiorum non intelliguntur ea Sacramenta, quæ licitè administrantur tempore interdicti. Vnde maximè aduertẽda est quædam differentia, scilicet quòd qui existens ligatus aliqua censura exercet aliquem actum deputatum Ordini sacro, fit irregularis

laris, at verò qui non ligatus censura exercet in loco interdicto ea Sacramenta, quæ licitè administrantur tempore interdicti, non manet irregularis, siquidem non peccat. quæ autem si nt hæc Sacramenta, dixi disputat. 4. de interdicto. section. 1. per totam.

Hinc sequitur, quòd licèt clericus excommunicatus, suspensus, vel personaliter interdictus absoluendo ab excommunicatione cum solemnitate, fiat irregularis, vt vidimus dub. 2. at verò si ipse non est ligatus aliqua censura, licitè poterit absoluere tempore interdicti, & per consequens non fit irregularis. ita Sylvest. ver. interdictum. 5. quæst. 6. Angelus ver. interdictum. 7. quæst. 7. Henri. lib. 13. cap. 43. n. 4. nam absolutio ab excommunicatione absolutè permittitur tempore interdicti, cùm sit præambula ad absolutionem à peccatis, quæ tunc temporis permittitur, vt diximus disputat. 4. de interdicto. sect. 1. dub. 2.

Sed specialiter inquiritur, vtrùm clericus, qui non ligatus aliqua censura, sepelit defunctum in loco interdicto, fiat irregularis. Ad quod dico primò, quòd si sepeliat sine Officio diuino, non manet irregularis, licèt sepeliat in loco sacro, quoniam licèt sepultura in loco sacro interdicto sit prohibita; at verò talis tumulatio sine Officio nõ est actus alicuius Ordinis; ergo non inducit irregularitatem. Dico secundò, si sepeliat cum Officio diuino & Missa funerali, erit irregularis, quamuis sepeliat in loco sacro. Dictum hoc generaliter ponitur à Doctoribus, sed indiget limitatione: nam si in tali Officio seruetur moderatio cap. alma mater. non erit irregularis, vt dicit Henri. lib. 14. cap. 7. num. 4 circa finem, quia post istud c. omnia Officia diuina sunt licita tempore interdicti generalis cum prædicta moderatione, quæ omnia patent ex dictis disput. 14. de interdicto. sect. 3. dub. 3. Dixi, *tempore interdicti generalis*: nam si locus esset specialiter interdictus, quamuis clericus in tali Officio funerali seruaret prædictam moderationem, esset irregularis, vt patet ex secundo notabili.

Secundò sequitur, quòd laici vel Religiosi non ordinati quamuis in loco interdicto ministrent solemniter in Ordine sacro, & sine moderatione c. alma mater, non manent irregulares ex tali violatione interdicti. sic Ant. 3. p. tit. 26. c. 4. §. 1. Sylu. ver. interdictum. 6. q. 3. part. 1. Nau. c. 27. n. 87. & probatur efficaciter ex dicto c. is cui. vbi tantùm imponitur irregularitas contra violantes interdictum locale agentes in officio, sicut priùs; quibus verbis clarè supponitur Ordo ad incurrendam irregularitatem, incurrunt tamen isti Religiosi alias pœnas, vt vidimus disput. 5. de interdicto. dub. 7. videte Henri. lib. 13. c. 46. n. 3. Dixi, *ex tali violatione interdicti*: nam aliunde incurrent irregularitatem, vt si ministrent in Ordine sacro, quem non habent, vt infrà dicemus.

DVBITATVR nonò, vtrùm sit irregularis, qui tempore interdicti localis pulsat campanas ad Officia diuina, vel aperit ianuas Ecclesiæ, cùm celebrantur?

Quædam opinio dicit, quòd si de facto celebrantur Officia diuina, manet irregularis. ita Sylvest. ver. interdictum. 5. q. 1. part. 1. pro qua opinione citat multos Couarruu. c. alma mater. p. 2. §. 2. n. 6. Fundamentum huius opinionis est, quòd iste participat cum principali in crimine criminoso, sed principalis, nempe celebrans, manet irregularis; ergo etiam qui participat.

Sit conclusio: Multò probabilius est, quòd non manet irregularis. ita Couarru. & reliqui Magistri. Probatur primò, quia iste actus pulsandi campanas, & aperiẽdi ianuas Ecclesiæ, non est actus proprius alicuius Ordinis. Secundò, quia participare in crimine criminoso non inducit irregularitatem, nam talis irregularitas non est expressa in iure; imò P. Henri. lib. 13. cap. 43. numer. 3. in glossa, litera K, & lib. 14. cap. 7. num. 4. litera N, dicit quòd participare in crimine criminoso non extenditur ad censuram interdicti, & per hoc

corruit fundamentum contrariorum.

Ex his sequitur, falsum esse quod ait Villadiego citatus à Couarru. quòd ministrans sacerdoti celebrãti tempore interdicti sine moderatione cap. alma mater. fit irregularis. ita Henri. libr. 14. cap. 7. n. 4. litera L. Et prædicta conclusio habet verum, quamuis ille pulset campanas, vel aperiat ianuas Ecclesiæ autoritate priuata vel publica, intendens præbere autoritatem solemni & publicæ celebrationi diuinorum Officiorum tempore interdicti. Hoc est contra Couar. sed illud tenet Henri. cap. 7. numer. 4. litera I, & communiter iuniores, & patet ex dictis, dub. 3. concl. 3. de eo, qui non ligatus censura præbet autoritatem, vt ligatus censura celebret. Verum est, quòd in Clement. grauis. de sententia excommunicat. ponitur excommunicatio cõtra dominos temporales, qui tempore interdicti faciunt diuina Officia solemniter celebrari, pulsando campanam, aperiendõ ianuas, vt dixi disputat. 5. de interdicto. dub. 2. in fine.

Dvbitatvr decimò, vtrùm sit irregularis, qui tempore interdicti confert, vel recipit Ordines?

Prima conclusio. Qui confert Ordines etiam minores, fit irregularis. ita Couarr. cap. alma mater. p. 2. §. 3. num. 4. & Bernardus Diaz in sua Practica. cap. 32. num. 2. & 3. Probatur: nam exercet actum characteris sacerdotalis, vt est extensio ad Episcopalia munera.

Secunda conclusio. Similiter erunt irregulares, qui tempore interdicti ministrant sacris vestibus prædictæ ordinationi exercendo ea, quæ continentur in Pontificali pertinentia ad Diaconum, vel Subdiaconum. ita Bernard. Diaz num. 4. Probatur, quia talis actus est deputatus ordini sacro.

Tertia conclusio. Qui tempore interdicti recipit Ordines etiam maiores, nõ manet irregularis. ita Henri. cap. 43. numer. 7. circa finem. & aliqui viri docti, & videtur de mente Nauar. numer. 243. §. 8. Probatur, quia talis irregularitas non est expressa in iure, dicit tamen P. Henri. quòd manet suspensus. Et probatur ex cap. non est vobis. de sponsalibus. sed ibi non imponitur talis suspensio: solùm enim habetur ex isto textu, quòd non potest celebrare in loco interdicto, sicut nec quilibet alius ordinatus, non tamen habetur, quòd non possit celebrare in loco non interdicto.

Sed nota, quòd prædicta conclusio intelligitur, nisi suscipiens Subdiaconatum, vel Diaconatum, fortè canat ibi Epistolam, vel Euangelium publicè & solemniter: tunc enim erit irregularis. hoc est contra P. Henri. sed patet ex his, quæ dixi in loco allegato, sect. præced. dub. 6. concl. 3. concedo tamen, quòd si ordinetur sacerdotio, licèt cõcelebret cum Episcopo, non fit irregularis, vt ibidem dixi.

Hinc sequitur, falsum esse quod ait Couarr. cap. alma mater. p. 2. §. 3. num. 5. corollario 8. esse irregularem eum, qui tempore interdicti recipit Subdiaconatum, vel Diaconatum, quia non potest illum recipere, quin agat solemniter actũ deputatum tali Ordini, quia solemniter legit Epistolam, vel Euangelium, hoc, inquam, falsum est: nam quando simul ordinantur plures, vnus tantùm canit Epistolam & Euangelium in Missa; ergo hic solus manet irregularis. Dixi, *canit publicè & solemniter*, quia si canat cum moderatione cap. alma mater. non incurret irregularitatem, quia cum hac moderatione licitum est dicere Missam. Hæc autem limitatio non habet locum in Episcopo conferente Ordines, quia tempore interdicti, non est licitum conferre Ordines, etiam cum prædicta moderatione, vt dixi disput. 4. de interdicto. sect. 1. dub. 8. habet tamen locum hæc limitatio in 2. cõcl. quia Diaconus & Subdiaconus ministrãtes Episcopo non conferũt Ordines; ergo si ministrent cum hac moderatione, non erunt irregulares. Nec obstat, quòd participent cũ Episcopo in crimine inducente irregularitatem, vt patet ex dictis dub. 8.

Quarta

Quarta conclusio. Ab hac irregularitate incursa propter violationem censurarum recipiendo, vel exercendo Ordines solus Papa dispensat. ita Nauarr. n. 243. & 245. & habetur c. 1. de sententia & re iudicata. in 6. & c. 1. de sententia excommunicat. in eodem libr. at verò post Trident. dispensat Episcopus, si delictum sit occultum.

DVBITATVR vndecimò, vtrùm sit irregularis, qui celebrat tempore cessationis, vel in Ecclesia violata?

Prima conclusio. Qui celebrat etiam in Ordine sacro tempore cessationis etiam generalis, non incurrit irregularitatem. ita Sylvest. ver. cessatio. n. 5. Nau. in Hispania. c. 27. n. 198. & Emanuel c. 158. concl. 23. Probatur, quia talis irregularitas non inuenitur in iure, vt latiùs diximus disputat. 3. de cessatio. dubio 3.

DVBITATVR duodecimò, vtrùm clericus, qui existens irregularis celebrat, incurrat nouam irregularitatem?

Conclusio. Quamuis peccat mortaliter, non tamen incurrit nouam irregularitatem, licèt exerceat actum sacri Ordinis. ita Nau. c. 27. n. 194. Sylvest. verb. irregularitas. q. 27. post medium. Villadiego c. 3. n. 14. quæ conclusio intelligitur, licèt talis irregularitas sit imposita propter delictum. Probatur primò, quia talis irregularitas non inuenitur in iure. Secundò: nam, vt inquit Nau. quando Papa dispensat cum his, qui celebrarunt in irregularitate, tantùm dispensat in irregularitate, quam habebant ante celebrationem. Tertiò, irregularitas non est censura, c. quærenti. de verborũ significat. ergo iste non incurrit irregularitatem positam contra violantem censuras celebrando. Et quoniam ad malum vsum Ordinum reducitur vsus Ordinis non habenti, ideo

DVBITATVR decimotertiò, vtrùm sit irregularis qui ministrat in Ordine, quem non habet?

Conclusio, quòd est irregularis. ita Sylvest. ver. irregularitas. q. 12. & ver. Ordo 5. q. 9. Nauarr. n. 242. Soto dist. 25. q. 1. art. 3. post 4. concl. Henriq. lib. 14. c. 6. n. 1. & habetur c. 1. & 2. de clerico non ordinato ministrante. Quę conclusio, secundùm communem Doctorum, etiam habet verum, quando aliquis ordinatus per saltum ministrat in ordine prætermisso. Hęc autem conclusio intelligenda est aliquibus limitationibus.

Prima, quòd ministret in Ordine sacro non in minoribus Ordinibus. sic Anton. 3. p. tit. 29. c. 1. Henr. num. 1. litera F, & in glossa citat alios: nam in minoribus etiam laici solent ministrare cum solemnitate vestium.

Secunda, quòd ministret scienter, non ex ignorantia, putans se habere talem Ordinem. ita Henriq. & patet ex dicto cap. 1. ibi, *propter temeritatem.* Vnde requiritur, quòd faciat scienter & præsumens, vt inquit Nau. consilio 70. de sentent. excommunicat. versiculo, hoc idem. circa finem. & hoc, licèt sit ignorantia crassa.

Tertia requiritur, quòd ministret seriò: si enim ministret iocò, quamuis peccet, non erit irregularis. ita Sylvest. Nau. & Henriquez. Dico, *si fuit alicuius momenti*: nam si fuit parui momenti, vt si sacerdos non recitauit canonem simul cum Episcopo, non est obligatio supplendi, ita Soto, quem sequitur Emanuel cap. 166. concl. 6.

Quinta, quòd ministret solemniter, est communis, itaque si faciat sine solemnitate, non erit irregularis, verbi gratia, si canat Euangelium, vt dici solet à Monialibus in Matutinis, vel si dicat illud cum dalmatica: sed sine stola, vt verbi gratia, canendo Passionem, Nau. concl. 1. de celebrat. Miss. & reddit rationem, quia id non est vti ordine Diaconatus, sed officio Cantoris. addit tamen, quòd si iste canat totam Passionem, presbyter debet eam sibi legere sub silentio. Idem est si canat Epistolam cum dalmatica, sed sine manipulo. ita Sylvest. locis citatis. & Nau. dicto n. 242. nam, vt inquit Sylvest. ver. irregularitas. q. 12. proprium ornamentum Subdiaconi est manipulus, Diaconi stola, Sa-

cerdotis casula. Addit Henriq. hunc non esse irregularem, quamuis intendat canere solemniter, & quasi ex officio: nam quamdiu deest manipulus, deficit in ipso actu exteriori solemnitas à iure requisita, & per solum actum interiorem incurritur irregularitas, imò dico, quòd non erit irregularis, licèt canat Epistolam cum dalmatica & manipulo, vbi est consuetudo quòd non ordinati sic eam cantent. ita Anton. qualis consuetudo est apud fratres minores, vt testatur Villadiego relatus à Nauar. tunc autem requiritur, quòd non intendat canere solemniter, & quasi ex officio. Dixit præterea Nauarr. quòd si clericus primæ tonsuræ cum dalmatica & manipulo canat Epistolam, vbi non est talis consuetudo, peccabit quidem; at verò si non intendat ministrari quasi ex officio, sed solùm intendat supplere defectum Diaconi, non erit irregularis in foro interiori, quamuis in exteriori præsumetur irregularis. idem tenet Tabien. ver. irregularitas. 4. §. 3. Et quòd non sit irregularis in foro interiori, probatur: nam irregularitas incurritur per actum perfectum & completum, sed iste non ministrauit perfectè in Ordine, quem non habet, siquidem defuit illi actus interior; ergo.

Sed peris, vtrùm sit irregularis laicus, qui cum dalmatica & sine manipulo ministrat calicem Diacono? Sylvest. ver. irregularitas. q. 12. & Angelus ver. irregularitas. 1. n. 38. clarè insinuat, esse irregularem: sed oppositum est probabilius. sic aliqui magistri. Probatur: nam, vt inquit idem Sylvest. ministrare solemniter est ministrare cum propriis ornamentis illius Ordinis, sed manipulus est proprium ornamentum Subdiaconatus; ergo.

Sextam & vltimam limitationem ponit Angelus suprà, scilicet quòd non sit laicus: nam si sit, non incurrit irregularitatem. eandem ponit Henr. n. 1. & lib. 13. c. 6. n. 1. Sed probabilius est, quòd si sit laicus, incurret. ita Sylvest. dicta q. 12. & allegat Calderium. idem tenet Soto suprà. Nauarr. n. 242. in fine, & multi Magistri. Probatur: nam c. 1. citatum loquitur absolutè de quocunque ministrante in Ordine, quem non habet.

DVBITATVR decimoquartò, vtrùm laicus baptizans extra casum necessitatis, fiat irregularis?

Supponendum est, quòd Sacerdos baptizans etiam solemniter alienum parochianum sine licentia proprij etiam extra casum necessitatis, quamuis peccet mortaliter, non tamen fit irregularis. ita Sylvest. ver. Baptismus. 3. n. 1. Palud. in 4. dist. 5. q. 2. ar. 1. concl. 2. Henri. lib. 2. de Bapt. c. 29. n. 2. & communiter alij contra Armillam. ver. Baptismus. n. 50. Probatur, quia ius non ponit irregularitatē contra exercentem iurisdictionem, quam non habet, sed contra exercentem Ordinem, quem non habet, & propter eandem rationem non est irregularis, qui administrat sacramentum Pœnitentiæ, Eucharistiæ, Extremæ Vnctionis, vel Matrimonij non subditis. ita Emanuel cap. 168. concl. 4. & Henr. libr. 14. c. 6. n. 2. Verum est, quòd administrans Matrimonium, erit suspensus, donec absoluatur ab Episcopo proprij Parochi contrahentium, vt decernit Tridentinum sess. 24. Decreto de reformat. matrimonij. Hoc supposito,

Sit prima conclusio. Diaconus baptizans solemniter sine licentia Episcopi, vel Presbyteri etiam in extrema necessitate, manet irregularis. ita Henr. lib. 2. de Bapt. dicto c. 29. n. 1. Nau. c. 22. n. 7. Emanuel c. 166. concl. 4. & alij. Probatur: nam baptizare solemniter competit Sacerdoti, non Diacono; quæ conclusio est vera, licèt Diaconus sit Cardinalis. ita Emanuel c. 178. concl. 2. in fine. Henriq. dicto n. 1. in glossa, litera D. Dixi, *sine licentia Episcopi, vel presbyteri*: nam cum illa licitè baptizare solemniter. ita Caiet. 3. p. q. 67. artic. 1. Soto dist. 4. q. vnica. artic. 1. & glossa can. Diaconos. 93. dist. & per consequens non manet irregularis.

Ex hac conclusione sequitur, quòd laicus solemniter baptizans, etiam in extre-

ma

ma necessitate, est irregularis.

Sed maior difficultas est de laico, qui extra casum necessitatis baptizat sine solemnitate. Palud. in 4. dist. 5. q. 2. art. in concl. 2. Soto dist. 4. q. vnica. art. 3. & alij, dicunt esse irregularem. Probatur ex c. 1. de clerico non ordinato ministrante. vbi dicit, *Si quis baptizauerit, aut aliquod diuinum Officium exercuerit non ordinatus, &c.* vbi textus non limitat ad baptizantem solemniter.

Secunda conclusio. Probabilius est, nō esse irregularem. ita Nau. c. 21. n. 7. Ledesma 1. p 4. q. 67. art. 4. dub. 1. Henri. dicto c. 29. n. 1. & iuniores communiter. Probatur, quia dictum c. 1. solùm loquitur de baptizante solemniter: nam, vt explicat glossa, loquitur de eo, qui baptizat, ac si esset ordinatus presbyter, sed solus ille baptizat vt presbyter, qui baptizat cum solemnitate; ergo. Confirmatur: nam quādo in eodem c. dicit, *aut aliquod diuinum Officium exercuerit*, intelligitur de exercente solemniter & tanquam ordinatus, vt omnes concedunt: ergo: & per hoc patet ad argumentum.

Dvbitatvr decimoquintò, vtrùm laicus absoluens à peccatis seriò & sacramentaliter, fiat irregularis?

Prima opinio est negatiua. ita Ledesma 2. p. 4. q. 7. art. 3. dub. 5. Sylvest. verb. Confessor. 1. in principio, & alij. Probatur, quia talis irregularitas non est in iure.

Secunda opinio est, hunc manere irregularem. ita Soto dist. 8. q. 4. art. 1. circa finem. Nau. c. 27. n. 242. in fine. & multi Magistri. Probatur ex c. 1. de clerico nō ordinato, &c. ibi, *Si quis baptizauerit, vel aliquod diuinum Officium exercuerit, &c.* sed absolutio sacramentalis est diuinum Officium; ergo. Et per hoc patet ad argumentum.

Conclusio. Licèt prima opinio sit valde probabilis, secunda est probabilior.

Hinc sequitur, quòd non sacerdos, licèt sit Diaconus, si sacramentaliter absoluat, est irregularis, ita Henri. c. 6. n. 2. imò certius est quàm de merè laico, vt patet ex dub. 13. limitat. 6.

Secunda conclusio. Si sacerdos, qui non est Episcopus, exerceat actus Episcopales, verbi gratia, si administret sacramentum Confirmationis vel Ordinis, est irregularis. Sic aliqui Magistri. Probatur: nam licèt realiter sit idem character sacerdotalis, & Episcopalis, nihilominus vt character sacerdotalis extendatur ad munera Episcopalia, requiritur noua consecratio, & aliter non extenditur.

Tertia conclusio. In hac irregularitate exercendi Ordinem, quem non habet, Episcopus potest dispensare, vt vtatur Ordine suscepto: at verò vt ascendat ad vlteriores, solus Papa dispensat, sic Angelus ver. irregularitas. 1. num. 38. qui citat Hostiensem, tenet Villadiego c. vlt. de irregul. versic. circa illum verò qui cùm non esset ordinatus. Probatur ex c. 2. de clerico non ordinato, &c. & citat Abbatem ibidem: at verò post Tridentinum Episcopus dispensat etiam ad vlteriores Ordines, si delictum sit occultum.

Dispvtatio X.

De dispensatione in communi.

Qvamvis in singulis speciebus irregularitatis dictum sit de earum dispensatione, tamen aliqua dicenda sunt in communi.

Et inprimis notandum est, dispensationem irregularitatis non habere determinata verba. Conueniens autem forma hæc est, *Dispenso tecum in irregularitate, quam contraxisti propter talem causam.* ita Henriq. lib. 24. c. 17. n. 4.

Dvbitatvr primò, vtrùm dispensatio irregularitatis requirat causam?

Prima conclusio affirmatiua. ita Henri. c. 17. nu. 4. Probatur ex Trident. sess. 25. c. 14. ibi, *cum promotis per saltum, si non ministrauerint, Episcopus ex legitima causa possit dispensare.* Secundò probatus ex D. Thom. 1. 2. q. 97. ar. 4. vbi generaliter docet, quòd dispensatio in quacunque lege, si fiat sine causa, est illicita.

Hinc

Hinc sequitur, quòd si dispensatio in irregularitate etiam homicidij voluntarij fiat à Papa sine vlla causa, erit valida, quãuis illicita, & dispensatus manet tutus in vtroque foro, vt contra Ananiam & Cardinalem docet Villadiego c. 1. n. 10. versiculis igitur. iuncto vers. ex quo infertur. Probatur, quia in omnibus, quæ pertinent ad ius humanum, Papa non est merus dispensator, sed legislator & dominus.

Secunda conclusio. Quò grauior fuerit irregularitas, eo maior causa requiritur ad dispensationem. ita Henri. lib. 14. cap. 8. n. 10. vnde ad dispensandum in bigamia, requiritur magna causa, quia inducta est ab Apostolis, & est quædam imitatio iuris diuini. ita Henri. c. 17. n. 5. litera G.

Tertia conclusio. Facilius conceditur dispensatio ad ministrandum in susceptis, quàm vt promoueatur ad vlteriores Ordines. ita Henri. n. 6.

DVBITATVR secundò, vtrùm irregularitas tollatur per Baptismum?

Et primò agendum est de bigamia, de qua est prima opinio affirmatiua. ita D. Hieronymus in epistola ad Oceanum, & refertur 16. dist. c. 1. & 25. q. 3. c. oportet. Probatur primò, per Baptismum delentur omnia peccata quantumuis enormia; ergo etiam tollitur bigamia. Secundò, bigamia est inducta iure ecclesiastico, sed infideles non obligantur legibus Ecclesiæ; ergo incurrunt irregularitatem ante Baptismum.

Secunda opinio est, quòd non tollitur. sic Aug. lib. de bono coniugali. c. 18. & refertur c. acutius. 26. dist. Eandem sententiam sequutus est Innocentius, & refertur canõne deinde. eadem dist. & D. Thom. in additionibus. q. 66. ar. 4. Supplement. Gab. d. 27. q. 3. dub. 4. Couarru. Clem. si furiosus p. 1. §. 2. n. 5. Didacus Perez ad Villadiego c. 1. n. 15. versiculo irregularitas: verbo, bigamiæ: qui duo dicunt, esse communem sententiam.

Prima conclusio. Hæc secunda opinio est omnino amplectenda. Probatur argumento Augustini: nam licèt pluralitas, vxorum non inducat peccatum, inducit tamen defectum perfectæ significationis vnionis Christi cum Ecclesia vnica eius sponsa; ergo licèt per Baptismum tollatur omne peccatum, non tamen auferetur iste defectus significationis, & per hoc soluitur primum argumentum Hieronym.

Ad secundum respondetur, quòd licèt infideles, quandiu nõ sunt baptizati, non teneantur legibus Ecclesiæ; at verò si iam baptizati velint ordinari, non sunt admittendi contra leges ecclesiasticas.

Sed pro maiori dilucidatione huius difficultatis inquiro, vtrùm concedẽdum sit, quòd ista irregularitas verè incurritur ante Baptismum.

Secunda conclusio. Talis irregularitas proptiè loquendo non incurritur ante Baptismum: nam est impedimentum ecclesiasticum, quod non potest afficere infideles non baptizatos, sed adueniente Baptismo causatur ex illa qualitate, scilicet ex defectu significationis, quæ qualitas cùm non sit peccatum, perseuerat post Baptismum. ita tenet expressè Villadiego c. 16. versic. sed ego considero, & citat glossam in c. fin. 19. q. 3. tenent etiam aliqui viri docti, & Henr. c. 17. n. 2. in gl. lit. V, & est de mente Nau. in alio simili, lib. 4. Consiliorum. consilio 7. de sponsalibus, n. 8. vbi dicit, quòd cognationi contractæ ante Baptismum, post illud oritur impedimentum matrimonij.

Hinc sequitur, quòd propriè & in rigore loquendo nulla irregularitas tollitur per Baptismum; vnde quando Doctores dicunt de aliqua irregularitate, quòd tollitur per Baptismum, sensus est, quòd post Baptismum non perseuerat fundamẽtum, tum, ex quo (si perseueraret) consurgeret irregularitas; & quando dicunt, quòd non tollitur per Baptismum, sensus est, quòd post Baptismum perseuerat illa qualitas, ex qua consurgit irregularitas.

Ex dictis sequitur, quòd irregularitas ex defectu corporis, & aliæ, quę nõ oriuntur ex peccato, non tolluntur per Baptismum. ita Henri. cap. 17. n. 2. loquendo de aliis

aliis irregularitatibus.

Sit tertia conclusio. Omnis irregularitas, quæ contrahitur ex peccato proprio, tollitur per Baptismum. ita Henri. dicto n.2. Perez n.15. citato versiculo, deinde quæro. vbi allegat multos. tenet Sylvest. ver. irregularitas. q.28. & ver. Baptismus. 6. q.1. Armilla, ver. irregularitas. n.87.

Hinc infero cum Henri. n.1. litera L, quòd bigamia proueniens ex culpa tollitur per Baptismum, verbi gratia, si infidelis viuente prima contraxit inualidè cum secunda: nam ille defectus significationis cùm fundetur in peccato, deletur per Baptismum.

Præterea sequitur, irregularitatem homicidij iniusti, etiam directè voluntarij, tolli per Baptismum. ita Perez & Henri. dicto n.2. litera O, & in glossa, littera L. Vtrùm verò tollatur irregularitas homicidij iusti, verbi gratia, non baptizatus fuit Iudex, & iustè occidit latronẽ? Nonnulli citati à Couarru. suprà dicunt, non tolli idem tenet Perez ad Villadiego, dicto c.1. versiculo, deinde quæro.

Quarta cõclusio. Probabilius est, quòd tollitur. ita Henri. n.2. Couarru. Tabiena ver. Baptismus, 8. q.1. verbo bigamia. §.6. & ver. irregularitas. 5. §.11. Sylvest. ver. Baptismus. Probatur: nam licèt non fundetur in peccato, fundatur in illo honore, qui tamen tollitur per Baptismum, per quem homo fit ouis mãsueta, & mutatur in alterum virum.

Præterea dico, quòd licèt diceremus, irregularitatem bigamiæ incurri ante Baptismum, specialiter dicendum esset, irregularitatem homicidij non incurri, vt vidimus disputat. 5. sect. 1. in principio. ex can. si quis viduam. 50. dist. & can. aliquãtos. 51. dist. vbi ad incurrendã irregularitatem homicidij requiritur, quòd occidens sit baptizatus.

DVBITATVR tertiò, vtrùm irregularitas tollatur per professionem Religionis?

Soto dist. 25. q.1. ar. 3. post 1. concl. dicit, quòd est cõsuetudo in Religionibus, vt per professionẽ censeatur sublata omnis irregularitas quãtùm ad Ordines, excepta irregularitate homicidij voluntarij & bigamiæ, siue hoc sit ex iure communi, siue ex consuetudine, vel priuilegio.

Prima conclusio. Ex iure communi solùm tollitur illa, quæ est expressa in iure, scilicet quando aliquis est illegitimus. ita Henri. c.17. n.2. litera T, & Villadiego c. 16. versic. quæro vlteriùs.

Secunda conclusio. Probabilius est, quòd nec ex consuetudine tollitur alia irregularitas. ita Henri. c.8. n.10. littera Z, & clarè sentit Medina in Sum. lib. 1. c.11. §. 12. dicens, etiam est aliqua irregularitas, quæ tollitur per professionem, scilicet quæ prouenit ex proprio delicto, vt quando quis est illegitimus.

Tertia. Professio in omni irregularitate inducit faciliorem dispensationem. ita Perez ibidem, & Villadiego versic. cum ordinaro verò extra tempora. Probatur ex cap 2. qui clerici vel vouentes.

DVBITATVR quartò, vtrùm irregularitas contracta ex peccato possit dispensari per Bullam Cruciatæ?

Dico, *contracta ex peccato*, quia de illa, quæ contrahitur sine peccato, qualis est bigamia, omnes Doctores vnanimiter concedunt, non posse dispensari per Bullam.

Prima opinio est affirmatiua. ita Soto dist. 22. q.3. art.1. nec oppositum tenet lib. 5. de iust. q.1. art.4. vt quidam falsò putarunt: nam ibi tãtùm loquitur de irregularitate, quæ contrahitur sine peccato. Eandem opinionem tenet Medina in Sum. lib.1. c.11. §.9 Cordub in Sum. q. 28. & q. 144. in fine. & lib. 5. Quæstionarij, q.45. dub.4. & aliqui Magistri. Probatur, irregularitas, quæ incurritur ex peccato, vel saltẽ est pœna ecclesiastica, sed omnes Bullæ dicunt, quòd suscipiens illam possit absolui ab omnibus censuris, & aliquæ etiã dicunt, quòd possit absolui à pœnis ecclesiasticis; ergo.

Hanc autem sententiam limitant Soto & Medina, quandò irregularitas contra-

hitur tantùm propter peccatum, non tamen quando contrahitur etiam ex defectu significationis, vt quando quis iniustè occidit hominem: hic enim est irregularis non solùm propter peccatum, quod commisit, sed etiam ex defectu significationis; vnde dicunt, hanc irregularitatem non posse per Bullam absolui. A qua limitatione omnino longè differt Ioannes Gutierrez Canonicarum quæstionum c. 3. vbi ait, quòd per Bullam potest absolui irregularitas, quando est incursa ex delicto violandi censuras, vt quando excommunicatus maiori recepit, vel exercuit Ordines, & in similibus casibus. Probatur, hæc irregularitas est veluti effectus censurarum, quæ violantur; ergo Bulla, quæ concedit absolutionem à censuris, consequenter concedit absolutionem à prædicta irregularitate.

Secunda opinio absolutè dicit, irregularitatem non posse absolui nec dispensari per Bullam. ita Henriquez lib. 7. de indulgétiis. cap. 13. num. 6. & lib. 14. cap. 17. n. 4. litera L, vbi citat multos, tenet Villadiego cap. vlt. in fine. Ledesma 2. p. 4. q. 26. art. 2. de irregularit. in regula 4. Ludouicus Lopez in Instructorio conscientiæ. p. 2. cap. 92. Nau. cap. 27. num. 194. & 250. & libr. 1. Consiliorum. cons. 35. de temporibus ordinandorum. & cons. 66. de sententia excommunicat. ad 1. q. & alibi sæpe. Emanuel Rodriguez in Bullam. §. 9. & multi Magistri, inter quos fuit Magister Pegna. Vnde sit

Conclusio. Non est vllo modo tenenda prima opinio, sed secunda omnino amplectenda. Probatur primò, irregularitas non est censura. c. quærenti. de verborum significat. ergo non comprehenditur in hac Bulla sub nomine censuræ. Confirmatur. Si quis clericus existēs irregularis celebret, non incurrit nouam irregularitatem impositam contra violantes censuras Ecclesiæ celebrando; ergo signum est irregularitatem non esse censuā. Secundò, quia secundùm stylum Romanæ Curiæ nunquam censetur concedi facultas dispensandi in irregularitate, nisi de illa fiat expressa mentio, vt testatur Nau. dicto n. 25. Antonius Gomez in Bullam Cruciatæ, ad 10. clausulam. num. 30. & Henri. dicto c. 13. n. 6. sed stylus Romanæ Curiæ facit ius. tex. in cap. ex literis. de constitutionibus. & c. quàm graui. de crimine falsi. ergo. Vnde consuetudo hæc non solùm est *de los Prouisores*, vt ait Medina. Confirmatur primò: nam olim exprimebatur irregularitas, scilicet in Bulla Pauli IV. anni 1545. vt testatur Henriquez dicto num. 6. in glossa, litera B. Secundò: nam tria vltima Iubilæa plenissima, quæ olim concedebantur centesimo quoque anno, & concessa sunt à Grego. XIV. Sixto V. & Clemente VIII. post amplissimam concessionem ad absoluendum ab omnibus excommunicationibus, suspensionibus, & interdictis, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, à iure, vel ab homine, subdit, *Propter præfentes autem super aliqua irregularitate publica vel occulta non intendimus dispensare.* Non est autem intelligendum, quòd voluerit Papa in hoc Iubilæo restringere, quod in Bulla concessisset.

Tertiò: nam ex opposita sententia sequeretur, quòd Confessarius per Bullam posset absoluere à pluribus irregularitatibus, quàm Commissarius. Sed consequens est falsum; ergo. Maior probatur: nam Commissarius non potest dispensare in irregularitate contracta ex mala Ordinum susceptione, & simonia. Minor autem probatur. Primò: nam in iure specialis clausula efficacior est, quàm generalis. cap. 1. & cap. Pastoralis. §. quoniam autem. de rescriptis. & cap. studuisti. de offic. delegati. Secundò probatur, quia non est verosimile, Papam concedere cuilibet Confessario electo per Bullam, quod expressè denegat Commissario.

Quartò: Potestas absoluendi non potest extendi ad irregularitatem, quæ tollitur dispensatione, non absolutione.

Ad

Ad argumentum primæ opinionis, primò, quòd irregularitas non est censura, vt vidimus 1. p. de censuris in communi. & quamuis sit pœna, tamen Bullæ, quæ expediuntur post Pium V. non habent illam clausulam, *à pœnis*; imò dico, quòd etiam per istam clausulam non poterat irregularitas absolui, quoniam, vt vidimus, secundùm stylum Curiæ non conceditur, nisi exprimatur: sublata autem est ista clausula, *à pœnis*, vt errandi tolleretur occasio; vnde quamuis societas habeat priuilegium absoluendi externos ab omnibus censuris & pœnis ecclesiasticis, nunquam tamen dispensat in irregularitate.

Si peras, quid ergo intelligitur in Bulla nomine pœnæ? Respondeo, quòd est declaratio prioris particulæ, *à censuris*. Secundò respondeo cum Henr. dicto n. 6. & Nauar. dicto n. 250. quòd intelligitur suspensio posita à Confessario, ne in tantum tempus celebret, vel communicet; quæ pœna non est propriè cēsura, & etiam intelligitur illa pœna, quam ipse pœnitens promisit subire, si intra illud tempus celebraret, & communicaret, & denique illa pœna, qua canones aliquot pœnitentiales mandant, per aliquod tempus aliquem non admitti ad communionem.

Ad argumentum Ioannis Gutierrez patet ex dictis, quòd secundùm stylum nunquam conceditur irregularitas, nisi exprimatur.

DVBITATVR quintò, vtrùm Commissarius Cruciatæ possit dispensare in irregularitate?

Prima conclusio. In quibusdam irregularitatibus potest dispensare, vt patet ex commissione sibi facta.

Secunda conclusio. In his irregularitatibus potest dispensare, quamuis publicæ sint. ita Henr. libr. 7. de indulgentiis. c. 13. n. 5. quia Papa non restringit ad occultas, sicut Concilium restringit Episcopis.

Tertia conclusio. Commissarius bene potest dispensare cum Religiosis etiam exemptis, quia est delegatus Papæ. Probatur ex capit. sanè. el 2. de offic. delegati.

DVBITATVR sextò, quæ conditiones requirantur, vt Episcopus dispenset in irregularitate per facultatem concessam à Concilio Trident. sess. 24. c. 6. & suppono ex suprà dictis, quòd potest dispensare in omni irregularitate ex delicto proueniente, excepta ea quæ est homicidij voluntarij. Quo supposito

Sit prima conclusio. Quatuor conditiones requiruntur. Prima est, quòd dispenset cum sibi subditis; secunda, quòd dispenset in diœcesi sua; tertia, quòd delictum sit occultum; quarta, quòd non sit deductum ad forum contentiosum. Quæ conclusio patet ex ipso Concilio circa primam conditionem.

Notandum est primò, quòd capitulum sede vacante bene potest dispensare in his casibus, quia succedit in iurisdictionem Episcop. ita Henr. lib. 14. c. 18. n. 2. in fine.

Secundò notandum est, quòd Archiepiscopus, in illis irregularitatibus, in quibus dispensat cum subditis, potest dispensare cum subditis Episcoporum suffraganeorum in gradu appellationis, vel etiam dum visitat, & tunc potest etiā dispensare cum ipsis Episcopis suffraganeis. ita Henr. cap. 18. n. 3. & extra hos casus non potest, quia illi non sunt simpliciter subditi Archiepiscopi. Sic aliqui viri docti.

Tertiò notandum est, quòd in prædictis casibus Cōcilij etiam possunt dispensare Abbates Metinensis & Vallisolitanus in Hispania, & alij habentes iurisdictionem quasi Episcopalē. Sic aliqui viri doctissimi, qui testātur, id obseruari in praxi. Probatur: nam absolutio & dispēsatio, & de qua loquitur Concilium, nō pertinet ad potestatem Ordinis, sed iurisdictionis, sed Abbates prædicti habēt ferè tam plenariā iurisdictionē, sicut Episcopi; ergo. Generales autem Religionū non possūt dispēsare virtute huius Decreti, quoniā ibi nihil agitur de Regularibus, nec erat necessariū, quia ipsi habent specialia priuilegia. Vbi notandū est cum Medina in Sum. lib. 1. c. 11. §. 12. quòd quando Prælati mittūt

suos Religiosos, vt ordinetur, dispensant cum illis, quamuis id non dicãt. idem tenet Sylvest. verb. irregularitas. q. 28. hoc autem intelligo cum Sylvest. & Nauar. c. 25. n. 74. dummodo Prælatus habeat talem intentionem. Præterea intelligo hoc quantùm ad forum interius, non quantùm ad exterius, iuxta doctrinam Nauar. dicto n. 74. quòd quando Prælatus solo facto dispensat circa legem superioris, talis dispensatio licèt admittatur in foro interiori, non tamen in exteriori. Præterea dico cum Henr. c. 18. n. 4. quòd dum Prælatus religionis, aut Episcopus mittit subditum, vt ordinetur, censetur concedere suas vices Episcopo ordinanti, vt dispenset in defectu occurrenti aut oblito. Probatur ex c præterea. de offic. delegati. Ex dictis sequitur, quòd non potest Episcopus dispensare cum subditis alterius Episcopi. ita Naua. lib. 1. Consil. consil. 8. de offic. ordin.

Dubitabit tamen aliquis vtrùm possit Episcopus dispensare cum Religiosis exemptis de gentibus in sua diœcesi?

Sed videte dicta cap. 7. de excommunicat. disputat. 1. dub. 6. & videte Gemin. c. cùm nullus. de temporibus ordinationum in 6. §. Religiosi. & Henr. lib. 14. cap. vltim. in fine.

Circa secundam conditionem notandum est, quòd licèt Episcopus extra territorium potest absoluere subditos à peccato, & ab excommunicatione non reseruata, quia hæc iurisdictio est gratiosa; at verò non potest dispensare in huiusmodi irregularitate, & aliis casibus reseruatis Papæ, quia id restringit Concilium. ita Henri. cap. 20. n. 5. in glossa, litera L. Circa tertiam conditionem videndum est, quod delictum dicatur occultum hîc.

Secunda conclusio. Hîc non solùm dicitur occultum illud, quod est per se occultum, ita vt non possit probari per testem, sed etiam illud, quod licèt de se possit testibus probari, nihilominus non est publicum, quia nec est notorium, nec est manifestum, aut famosum. ita Nauarr. n. 250. §. 10. & Henriq. cap. 20. num. 4. Probatur: nam sic obuiatur scandalo publico, & hoc fuit intentum Concilij. Notorium autem per euidentiam facti est, quod nulla tergiuersatione celari potest, & quamuis sint diuersæ opiniones, à quot hominibus sciri debeat, vt dicatur notorium per euidentiam facti, certior tamen regula est, quòd relinquatur arbitrio viri prudentis attentis circunstantiis. ita Panormitan. capit. per vestras. de cohabitat. clericorum & mulierum. num. 16. Dixi, *notorium per euidentiam facti*, & prætermitto notorium notorietate iuris, quia notorium hoc modo est illud, quod est manifestum per confessionem partis spontè factam in iudicio, vel per sententiam Iudicis, quæ transiuit in rem iudicatam; & notorium hoc modo pertinet ad quartam conditionem. Manifestum est illud, de quo est fama in maiori parte ciuitatis, viciniæ, vel Collegij orta à scientibus. Famosum verò est, quando est fama in maiori parte prædictarum communitatum, orta non ex scientia, sed ex indiciis & præsumptionibus. ita Nauarr. dicto n. 250. & Henr. libr. 14. c. 3. n. 1.

Ex dictis sequitur, quòd quamuis delictum sciatur à quinque, si tamen toleratur absque fama & murmuratione, dicetur occultum quoad hunc effectũ dispensationis. ita Henriq. cap. 2. num. 4. & est de mente Nauarr. dicto §. 10. vbi notandum est, posse contingere, quòd actus sit publicus, & delictum dicatur occultum, verbi gratia, qui existens in occulta excommunicatione celebrat publicè, tunc celebratio est publica, & delictum est occultum. ita Henriq. dicto num. 4. & Nauarr. dicto num. 250. in fine. & num. 241. vbi ait, sic definitum esse in sacra pœnitentiaria, quia malitia est occulta. Idem dicendum est de excommunicato publico in vna ciuitate, & celebrante in alia, vbi nescitur, eum esse excommunicatum. ita Nauar. lib. 5. Consiliorum, consil. 2. de clerico non ordinato ministrante. & ita responderunt in alio casu grauissimo doctissimi

dissimi Theologi, & Iuristæ Salmanticenses, quorum sententias sequutus est Episcopus. Imò etiam dicitur occultum, quamuis fiat coram multis, si ipsi nesciant prohibitionem iuris, verbi gratia, si Diaconus baptizat solemniter coram multis, qui tamen ignorant hoc esse in iure prohibitum Diacono. ita Nauar. dicto cons. 2. quę sequitur Emmanuel c. 166. concl. 3. qui addunt idem esse dicendum, quamuis illi sciant id esse prohibitum Diacono, si ignorabant per id irregularitatem incurri: sed ego dubito de hoc. Circa vltimam conditionem, scilicet quòd delictum non sit deductum ad forum contentiosum,

Notandum est primò, hoc habere verum, licèt probetur vno solo teste. ita Henriq. c. 7. n. 5.

Secundò notandum est, quòd qui iustè fuit accusatus incurrisse irregularitatem, & tamen ipse falsis testibus & aliis remediis etiam iniquis absolutus ab instantia, potest Episcopus cum eo dispensare, quia dicitur occultum, & cessat ratio deducti ad forum contentiosum. ita Henriq. cap. 20. num. 4. & capit. 4. num. 5. in fine. & in glossa, litera G, ait ita tenere aliquos Doctores consultos de hac re, idem tenet Emmanuel c. 167. concl. 4.

Dvbitatvr septimò, si delictum fuit deductum ad forum contentiosum, & iudicium est finitum, & punitum delictum, vtrùm possit Episcopus in hac irregularitate dispensare?

Partem negatiuam firmiter tenet Ioannes Gutierrez Canonicarum quæstionum c. 3. circa finem. quę sequitur Emmanuel capit. 168. in fine. Fundamentum eorum est, quòd Concilium absolutè dicit, *dummodo non sit deductum ad forum contentiosum*, & vbi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus. Cæterùm hoc fundamentum parum me mouet. Sed ego arguo fortiùs: nam Concilium dicit, *in delictis occultis*, sed huiusmodi delictum iam est publicum; ergo.

Conclusio est, quòd bene potest Episcopus dispensare. Quam conclusionem firmiter asseuero, eámque obseruaui sæpe in praxi in alio casu simili absoluendo per Bullam ab excommunicatione deducta ad forum contentiosum finito iam iudicio. Eandem conclusionem tenuerunt quidam Theologi, vt concedit ipse Gutierrez, & apertè est de mente P. Henri. cap. 7. num. 5. in illis verbis, *quandiu manet deductum ad forum contentiosum*. Probatur conclusio: nam intentum Concilij fuit, conseruare autoritatem Iudicibus, sed in hoc casu nihil autoritatis detrahitur Iudici, quia iã est functus officio suo; ergo. Quod argumentũ apud me firmissimum est, & per ipsum sufficientissimè soluitur primum argumentum.

Ad secundum respondetur, quòd ideo requirit Concilium, delictum esse occultum, vt vitetur publicum scandalum; hoc autem cessat per punitionem factam per Iudicem humiliter toleratam à delinquẽte: per illam enim purgat delictum, & satisfacit Reipublicæ offensæ per tale delictum.

Dvbitatvr octauò, de illo qui sæpius commisit delictum inducens irregularitatem?

Emmanuel c. 182. concl. 2. dicit, quòd si in petitione dispensationis non exprimit numerum omnium delictorum, dispensatio erit subreptitia.

Pro resolutione notandum est, quòd vel delicta sunt eiusdem rationis, vt si sæpius celebrauit excommunicatus, vel diuersæ, vt si celebrauit excommunicatus, & occidit hominem.

Dico ergo primò, doctrinam Emmanuelis verum esse, quando delicta sunt diuersa, quia tunc etiam irregularitates sunt diuersæ, & hoc est apertè de mente Naua. cons. 71. de sententia excommunicat. & P. Henr. lib. 12. de matr. c. 10. n. 3. in fin.

Secundò dico, quãdo delicta non sunt diuersa, sed vnum pluries repetitum, verbi gratia, si pluries celebrauit excommunicatus, sufficit dicere, se esse irregularem, quia celebrauit excõmunicatus. ita Henri. lib. 13. de excommunicat. c. 30. num. 3. in

glossa, litera F, Nauar. in addit. ad cap. 27. num. 32. vbi allegat stylum Curiæ; nec requiritur in dispensatione addere, *toties*, *quoties incurristi*, vt ait Henri. lib. 14. cap. 7. n. 5. & dicto cap. 10. de matrim.

Ex dictis sequitur, quòd qui excommunicatus & suspensus celebrauit, debet exprimere vtramque censuram in petenda dispensatione. ita Emanuel c. 168. cõcl. 1. & Nau. dicto cons. 72.

Sequitur etiam, quòd qui voluntariè occidit Presbyterum, & in petenda dispẽsatione solùm dicit, se occidisse hominẽ, non manet tutus, nec dispensatio est valida. ita Nauar. lib. 5. Consiliorum, cons. 4. de homicidio. Probatur, quia iura iubent exprimi delictum, ex quo orta est irregularitas, & delictum erat presbytericidium, quod est grauissimè qualificatum; ergo.

DVBITATVR vltimò, vtrùm in illis irregularitatibus in quibus Episcopus potest dispensare cum suis subditis, possit etiam dare facultatem alteri, vt dispenset cum ipso Episcopo?

Conclusio affirmatiua, ita habet P. Henri. lib. 7. de indulgent. c. 28. §. 1. lit. H, & lib. 14. de irregul. c. 18. §. 3. & Palud. in 4. d. 38. quæst. 4. art. 4. c. 4. & Maiolus lib. 2. de irreg. c. 2. in fine. qui etiam citat alios. Et probatur: nam ista iurisdictio non est contentiosa, sed gratiosa; ergo bene potest Episcopus eam committere alteri, vt eam exerceat in ipsummet.

Hæc de Censuris dicta sufficiant, ad laudem & gloriam omnipotentis Dei, & beatæ Virginis Mariæ.

F I N I S.

INDEX ALPHABETICVS

OMNIVM, QVÆ IN MATERIIS DE CENSVRIS IN COMMVNI, DE *excommunicatione, de ſuſpenſione, de depoſitione, & degradatione, de interdicto, de ceſſatione à diuinis, & denique de irregularitate continentur.*

A

Abbas.

ABBAS, vt Abbas Metinenſis poteſt diſpẽſare in caſibus, in quibus poteſt Epiſcopus, ex Concilio Tridentino. parte 7. diſputatione 10. dubio 6. poſt primam concluſionem.

Abbatiſſæ, quæ in exercenda iuriſdictione, ſuſpenſione, aut interdicto vti videntur, non vtuntur illis, vt vera cenſura. 1. p. dub. 6. concl. 1.

Aborſus.

Aborſum procurando Monialis in ſe potione, vel phlebotomia non incurrit excommunicationem Sixti V. ſecus ſi procuret in alia. 2. p. c. 5. diſp. 3. dub. 12. illat. 5. poſt 2. concl.

Aborſum procurans in alia fœmina eſt excommunicatus, ibid.

Aborſũ cauſans ſi dubitat, an fœtus eſſet animatus, nẽne, debet ſe reputare irregularẽ. 7. p. diſp. 2. dub. 5. concl. 1. illat. 1.

Aborſum, cauſans in adultera, eam intrare faciendo per loca periculoſa, eſt irregularis. p. 7. diſput. 5. ſect. 3. dub. 5. concl. 1. in fine.

Aborſu ſequuto ſaltans cum muliere grauida an ſit irregularis. ibidem, diſp. 6. ſect. 1. dub. 6.

Aborſus, vt ſequatur, qui dat remedium ſi ſequitur, eſt irregularis ex homicidio directè voluntario. ibid. ſect. 2. dub. 1. cõcl. 1. & quid, quãdo ex percuſſione leui aborſũ patitur mulier grauida. cõc. 2

Aborſus conſilio dato, ſi non poteſt conſiliarius reuocare conſilium, aborſu ſequuto an maneat irregularis. part. 7. diſp. 6. ſect. 2. dub. 4. in fine.

Aborſu ſequuto, quando fœmina dicit illi, à quo concepit, ſe ad talem aborſum medicinam velle ſumere, ſi ipſe non impedit, eſt irregularis. ibidem, dub. 7. verſ. ſequitur. 4.

Aborſus materia quoad irregularitatem tractatur. p. 7. diſputatione 6. ſectione 4. per totam.

Abrogatio.

Abrogari bene poſſunt cenſuræ per contrariam conſuetudinem. 1 p. dub. 8.

Abſens.

Abſente lõgè perſona læſa quomodo debeat ſatisfacere excommunicatus. 2. p. c. 7. diſp. 3. dub. 5. not. 1. & de alio abſentiæ caſu, vide ibid. dub. 10. concl. 3.

Absens an possit absolui à suspensione. 3. parte disput. 6. dub. 3. & ab interdicto. 5. p. disp. 6. dub. 3. concl. 1. & an ab excommunicatione. 2. p. c. 7. disp. 2. dub. 1.

Absentes canonici sunt vocandi ad imponendam cessationem, sicut vocantur ad eligendum. 9. p. disput. 2. dub. 2. condit. 8.

Absolutio.

Absolue potest Prælatus Sacerdos suum subditum extra proprium territorium. 2. p. c. 3. disput. 2. dub. 1.

Absolutus ab vna excommunicatione manet in alia, si bis propter distinctum crimen fuit excommunicatus. ibidem, c. 4. disp. 2. dub. 7. in concl. & latiùs c. 7. disp. 2. dub. 3.

Absolui an possit defunctus ab excommunicatione. ibid. dub. 8. concl. 5. & quid eum possit absoluere. ibid.

Absolutus ab excommunicatione ante confessionem an teneatur in confessione confitendo peccatum, confiteri circunstantiam excommunicationis. 2. p. c. 5. disp. 1. dub. 11. corolla. 2.

Absoluere excommunicatum ob participationem in crimine criminoso quis possit. ibid. c. 6. disp. 10. dub. 3. concl. 4.

Absolutionis modus inter duos clericos minori excommunicatione excommunicatos. ibid. disp. 12. dub. 3. corol. 2.

Absoluere ab excommunicatione quis possit. 2. p. c. 7. per totum. & quis ab excommunicatione minori. ib. disp. 1. dub. 1.

Absoluendi ab excommunicatione maiori non reseruata est concessa facultas parochis & confessoribus expositis ab ordinario. ibid. in fine.

Absoluere ab excommunicatione an possit non Sacerdos. 2. p. c. 7. disp. 1. dub. 2.

Absoluere potest ab excommunicatione qui excommunicauit, exceptis 5. casib. ibidem, & dub. 9. vbi numerantur, & absolutionem committere scil. prima tonsura initiato. eodem dub. 2.

Absoluere ab excommunicatione in articulo mortis, an possit laicus sola prima tonsura initiatus. dub. 3.

Absoluere in articulo mortis quilibet Sacerdos, vt potest ab omnibus peccatis, ita ab omnibus censuris etiam reseruatis Papæ. 2. p. c. 7. disp. 1. dub. 4. in fin.

Absoluere ab excommunicatione iuris nemine reseruata quis possit, & ab excommunicatione constitutionis Prouincialis confirmatæ per VIII. Pontificem. ibid. dub. 4.

Absoluere ab excommunicatione reseruata iuris vel hominis quis possit. 2. p. c. 7. disp. 1. dub. 5.

Absoluere ab excommunicatione reseruata Papæ, quando delictum est occultum, potest Episcopus. ibid. dub. 6.

Absoluere potest etiam, quando excommunicatus est impeditus ire ad Papam aliquo ex impedimentis relatis. 2. p. c. 6. disp. 1. dub. 6. concl. 2. ibid.

Absolutus propter tale impedimentũ ab Episcopo, vel quouis alio, nisi fit absolutus virtute Bullæ, tenetur se Papæ præsentare cessante impedimẽto. ibid. & disp. 2. dub. 4. concl. 1. & per totum.

Absolutionem concedentia iura in solo articulo mortis quomodo intelligantur. 2. p. c. 7. disp. 1. dub. 6. post 3. concl.

Absolui potest excommunicatus ob percussionem clerici in octo casibus ab Episcopo. ibid. ferè in fine dubij.

Absolui virtute Bullæ an aliquis possit ab excommunicatione reseruata Papæ, vel Episcopo. ibid. dub. 7.

Absolui ab excommunicatione incursa propter hæresim nemo potest virtute Bullæ. ibid.

Absoluere ab excommunicatione imposita ab homine in generali quis possit. ibid. dub. 8. & ab excommunicatione lata in speciali, & nominatim, verbi gratia, contra Petrum. dub. 9.

Absoluere an possit Archiepiscopus ab excommunicatione lata à Suffraganeis in suos subditos. p. 2. c. 7. disp. 1. dub. 10.

Absoluere an possit Episcopus, quem Prælatus inferior excommunicauit, vel an possit absoluere aliis ex eius commissione. dub. 11.

Absoluere an possit Episcopus eum, qui in alia Prouincia commisit crimen publicum, si in sua est occultus, vt si committens in Hispania veniat Limam ib. ante finem dubij.

Absoluere ab excommunicatione incursa ob delictum deductum ad forum contentiosum, an possit Episcopus, ib.

Absoluere extra proprium territorium an possit Episcopus, quem excommunicauit in proprio territorio. 2. p. cap. 7. disp. 1. dub. 12.

Absoluere in suo Episcopatu an possit Episcopus eum, qui est excommunicatus in alio Episcopatu. dub. 13.

Absolui an possit in proprio territorio, qui ad illud venit excommunicatus in alio. dub. 14.

Absolui an possit absens, vel inuitus. 2. p. c. 7. disp. 2. dub. 1. & 2.

Absolutus ab vna hæresi occultans aliam manet excommunicatus, dub. 3. in fine. Similiter & occultans actus hæresis. ibid.

Absolutio ex falsa causa an, quando, & quomodo nulla. dub. 4.

Absolutio obtenta per vim, vel metum an inualida. dubio 5. & eam sic extorquens est ipso facto excommunicatus. ibidem concl. 3.

Absolutio data timore innato, & non illato est valida, ibid. concl. 3. notab. 4.

Absolutus an maneat excommunicatus transacto tempore, vel impleta conditione, qui ad certum tempus, vel sub conditione, donec satisfeceris, erat excommunicatus sine alia noua absolutione. 2. p. c. 7. disp. 2. dub. 6.

Absoluendi ab excommunicatione forma & modus obseruandus. ibid. disp. 3. per totam.

Absolutionis ab excommunicatione aliqua verba essentialia non sunt, sed sic sunt, vt licitè fiat absolutio. ibidem dubio 1. & 2.

Absolutionem ab excõmunicatione quæ debeant præcedere, eodem dubio 2. & an absolutionem ab ea in foro interiori ea cæremonialia debeant præcedere quæ præcedunt absolutionem in foro exteriori. 2. p. c. 7. disp. 3 dubio 3.

Absoluatur ne aliquis in articulo mortis per eum, qui de iure non poterat absoluere, quis modus seruandus, & absoluens, quid ei debeat iniungere. dubio 4.

Absolui quomodo debeat, qui excommunicatus est excommunicatione, quæ habet annexam satisfactionem partis, vt cùm aliquis percussit clericum, vel propter debitum, vel furtum. dubio 5.

Absoluens non præmissa satisfactione, vel si non potest præstari satisfactio sine cautione, peccat contra iustitiam, & patti tenetur restituere damnum. ibidem concl. 2. & 3.

Absoluendus ab excommunicatione si non potest præstare cautionem pignoratitiam, vel fideiussoriam, quid debeat facere, vt absoluatur. ibid. dub. 6.

Absolui ab excommunicatione quando possit aliquis, antequam soluat iura Iudici, vel Notario. 2. p. c. 7. disp. 3. dub. 7.

Absolui simoniacus potest, antequam restituat pretium, vel resignet beneficium. ibid.

Absolui potest excommunicatus, quia non denunciat, si proponat denunciare, nisi denunciatio sit facienda Inquisitoribus. eodem dub. 7. in fine.

Absolui ab excommunicatione an possit quis præstita cautione virtute Bullæ, vel Iubilæi, quando ipsis dicitur, vt absoluatur satisfacta parte. 2. p. cap. 7. disp. 3. dubio 8. & an sit valida absolutio, si nec cautionem recipiat absoluens. dubio 9.

Absoluens non seruata forma iuris communis, & si ea forma ei in delegatione præcipiatur verè absoluit. ibidem concl. 2.

Absolutus ab excommunicatione ab vno iniustè, sed validè, potest ab alio validè & iustè absolui à peccatis, eodem dubio 9. illat. 1.

Absolui an possit quis lite pendente, &

quid cum eo faciendum. 2.p.c.7.disp.3.dub.10.& an possit absolui lite finita.dub.12.in medio.

Absolutio in foro interiori ab excommunicatione quando possit dari nõ præiudicando Iudici in foro exteriori.ibi. eodem dub.12.

Absolutionem rigidè vel malitiosè Iudice nefante, quis possit absoluere in foro interiori ab excommunicatione pendente lite.ibid concl.4.dub.10.

Absolui quando possit aliquis ab excommunicatione per Bullam, & si reclamet pars quòd priùs satisfaciat. 2.p.c. 7.disp.3.dub.10.in fine.

Absolutioni ab excommunicatione ob iniuriam alteri illatam,quæ satisfactio præmittenda.dub.11.

Absolutio data virtute Bullæ, vel Iubilæi an valeat pro foro exteriori,& iudiciali.dub.12.

Absoluere ab omnibus censuris, exceptis Bullæ Cœnæ possunt confessores Societatis.2.p.c.7.disp.3.dub.8.

Absolutio ad effectum lucrãdi Iubilæum ibid.dub.12.ferè in fine.

Absolui ab excommunicatione maiori vel minori an quis possit virtute Bullæ, vel priuilegij extra confessionem.ibid. dub.13.

Absoluere in foro conscientiæ, & absoluere intra confessionem, maximè distant.2.part.c.7.disp.3.dub.13.ferè in fine.

Absoluere ad reincidentiam quid, & an per Bullam vel priuilegium possit quis absolui ad reincidentiam.dub.14.

Absolutus præstita cautione de satisfaciẽdo, & si non satisfaciat, non reincidit in excommunicationem. ibidem conclusio.1.

Absolutus ad reincidentiam an reincidat elapso termino,si non potest satisfacere.ibid.

Absolutio ab excommunicatione an possit dari sub conditione. 2.p.c.7.disp.3. dub.15.

Absoluat vt aliquis ad reincidentiam,requiritur potestas ad excommunicandum.ibid.dub.14.concl.1.2.

Absoluendo confessor aliquem ex consensu partis, verbi gratia, per viginti dies, quid debeat necessariò facere. ibid.corol.2.

Absolutio est conformis petitioni. ibid. in fine dubij.

Absolutus sub illa conditione generali, si fortè incurristi, manet absolutus ab excommunicatione oblita, nec cùm recordatur, iterum absolui necesse est. 2.p.c.7.disp.3.dub.vlt.in concl.

Absolutus ad cautelam virtute Iubilæi concedentis absolutionem ab omnib. censuris,manet absolutus etiam à censura incursa ob peccatum, quod obliuione vel ignorantia non fuit confessus.ib.corol.1.

Absolutionem petere in nullo foro tenetur, qui excommunicationem prætendit esse nullam, & si petat, non confitetur se excommunicationem incurrisse.ibid.in fine.

Absolui ab excommunicatione, & à peccatis durante suspensione bene potest suspensus.3.p.disp.2.dub.1.

Absoluere à suspensione incursa propter susceptionem ordinum extra tempora, & ante ætatem, &c.quis possit.3.part. disp.5.dub.7.notab.1.

Absoluere à suspensione in generali quis possit iure ordinario.3.p.disp.6.per totam.& quos possit ex commissione.ib. dub.3.

Absolui quis bene potest ab vna suspensione, manentibus aliis.ibid.dub.eod.

Absoluendi à suspensione modus seruandus.ibid.

Absolutio generalis licèt tempore interdicti. 5.p.disp.4.sect.4. dub.1.post 2. concl.

Absoluere à censuris an liceat tempore interdicti.dub.2 concl.2.

Absolutione an indigeat interdictus ab ingressu Ecclesiæ,vt sepeliatur(si fortè moriatur)in loco sacro, & an ea indigeat absolutione ad eundem effectum simpli-

ſimpliciter interdictus. 5. p.diſp.4. ſectio.3.dub.1.concl.1.

Abſoluere ab interdicto quis poſſit via ordinaria,& quis ex commiſſione.5.p. diſp.6.dub.1.& 2.

Abſoluere ab interdicto reſeruato Papæ quis poſſit.eod.dub.1.concl.7.

Abſoluere ab interdicto vno, & non ab aliis bene poteſt. ibid. dub. 3. concl.3.

Abſoluendi ab interdicto forma. ibid. dub.6.

Abſoluere confeſſor bene poteſt à peccato, propter quod incurſa eſt irregularitas ſine eo,quòd abſoluat ab irregularitate.p.7.diſp.2.dub.7.concl.6.

Abſoluendo ab excõmunicatione in foro exteriori, qui eſt interdictus perſonaliter excommunicatus, aut ſuſpenſus,an incurrat irregularitatem. ibid. diſp.9.ſect.2.dub 2. & abſoluens tempore interdicti in eodem foro exteriori.ibid.dub.8.poſt 2.concl.

Abſoluendo à peccatis laicus ſeriò, & ſacramentaliter an fiat irregularis. ibid. dub.15.

Abſoluere ab irregularitate. Vide verbo, *Diſpenſare.*

Acceleratio.

Accelerationem mortis cauſans, quando irregularis efficiatur.p.7. diſp.6. ſect.1. dub.10.

Acceptatio.

Acceptatio beneficij, quod collatum eſt Petro,antequam ipſe ſit excommunicatus,an ſit valida.2.part.cap. 6.diſp.5. dub.6.

Accidentia.

Accidentia ſolo numero differentia, quæ non poſſint eſſe in eodem ſubiecto. ibid.c.4.diſp.1.dub.1.ad 2.argumentũ.

Accuſator.

Accuſator cõcurrens ad deformationem eſt irregularis.p.7.diſp.5.ſect.2.dub.1. verſic.2.promotor.

Accuſator, qui proteſtatur ſe non intendere deformationem rei, ſi deformetur,an excuſetur ab irregularitate.ibid. dub.9.

Accuſatio in cauſa ſanguinis quare prohibita clerico.eod.dub.9.poſt 1.concl. verſic.2.etiam & quando cum proteſtatione permittitur.eodem dub.9.10. & 11.

ſiue Accuſatore nemo eſt degradatus. 4. p.diſput.vnica.dub.4.concl. 1.

Acolytus.

Acolytus miniſtrans iterationi Baptiſmi eſt irregularis.p.7.diſp.7.dub.1.

Actus.

Actus non malus de facto, & in indiuiduo ab Eccleſia non punitur. 1.p.dub. 11.concl.1.

Actus verò malus, quamuis non volitus in ſe,ſed in cauſa ſic.ibid.concl.2.

Actus exterior malus non procedens ab actu interiori habente eam malitiam, quæ prohiberur aliqua cenſura, poteſt puniri ab Eccleſia,ſed de facto non incidit in cenſuram poſitam contra tale peccatum,qui talem actum fecit.ibid. concl.3.

Actus exterior dicitur per ſe & ſimpliciter manifeſtus,ſed per accidens dicitur occultus.7.p. diſput.2.dub. 2.in principio,& latè p.2.dub.10.

Actor excommunicatus an poſſit eſſe in iudicio.2.p.c.6.diſp.7. dub.1.

Adulter.

Adulter qui ſe defendendo occidit maritum adulteratæ, an ſit irregularis. p.7. diſp.5.ſect.3.dub.3.& an ſi maritus occidat vxorem, adulter ſit irregularis. ibid.concl.2.& eſt irregularis,ſi ex eo, quòd fecit prægnantem adulteram intrare per loca periculoſa, mortua eſt, vel ab ortiuit.ibid.concl.11.

Aduocatus.

Aduocatus an poſſit eſſe excommunicatus,& ſi eſt non toleratus,an teneatur reſtituere ſtipendium. 2. p.cap.4.diſp. 1.dub.1.ad 1.

Aduocatus concurrens ad deformationẽ eſt irregularis.p.7. diſp.5.ſect.2.dub.1. verſ. 2. promotor. & an eum excuſet proteſtatio.dub.12.

Aduocatus rei an maneat irregularis,

Dispensare in omnibus irregularitatibus prouenientibus ex delicto occulto potest Episcopus. p. 7. disp. 3. dub. 3. in fine.

Diſpenſare an poſſit Epiſcopus ad Canonicatum.p.7.diſp.3.dub.6.not.3.
Diſpenſare in irregularitate ex defectu corporis quis poſſit.ibid.
Diſpenſare in irregularitate proueniente ex morbo quis poſſit. ibid. dub.4.concluſ.2.
Diſpẽſare cum illegitimo quis poſſit.dub. 2.concl. 2. & an cum illegitimo ex delicto occulto proueniente Epiſcopus poſſit diſpenſare ex facultate Concilij Trid.p.7.diſp.3.dub.7.
Diſpenſare cum illegitimo eò difficilior eſt,quo grauior fuerit copula parẽtum. p.7.diſp.3.dub.6.concl.2.
Diſpenſatio, & legitimatio differunt.p.7. diſp.3.dub.6.notab.4.
Diſpenſat cum illegitimo profitente religionem ius commune, quoad ordines, non quoad prælatiam. ibid. in fine dubij.
Diſpenſatus ad certum beneficium Curatum non poteſt virtute talis diſpenſationis obtinere. 2. ſecus ſi ſimpliciter ſit diſpenſatus. p.7.diſ.3.dub.6.in fine. notab.4.
Diſpẽſatio quando odioſa, & quando fauorabilis dicatur.p.7. diſp.3.dub. 7.in concl.
Diſpenſari an poſſit cum illiterato ad ordines.ibid.diſp.4.dub.1.
Diſpenſare cum neophyto quis poſſit.ibi. dub.4.
Diſpenſare cum infami infamia iuris, vel facti.dub.5.concl.3.& 4.
Diſpenſare in homicidio perpretato in defenſione, vbi exceſſum eſt in moderamine. p.7. diſp. 5. ſect.3. dub.1.concluſ.2.
Diſpenſationis circa irregularitatem proueniẽtem ex homicidio voluntario exceptio, quæ ſit in omnibus priuilegiis, quomodo intelligenda.p.7. dip.6.ſect. 2.dub.1.
Diſpenſare in irregularitate proueniente ex homicidio iuſto, an ſit Papæ reſeruatum.ibid.diſp.6.ſect.5.dub.1.
Diſpenſare in ea poteſt, qui habet priuilegium diſpenſandi in omnibus irregularitatibus, excepta bigamia, & homicidio voluntario. ibid. concl.2.non verò qui habet priuilegium ad diſpenſandum in homicidio caſuali, nec Epiſcopus ex facultate Concilij Tridentini, nec Epiſcopi Indiarum ex priuilegio Pij V. relato in Concilio Limenſi celebrato anno 1583.ibid.concl.3.poteſt autem Commiſſarius Bullæ Cruciatæ,ibid.in fine dubij.
Diſpenſare in irregularitate in homicidio caſuali, ſeu mixto quis poſſit.p.7.diſp. 6.ſect.5.dub.2.
Diſpenſare cum homicida directè voluntario quis poſſit. ibid.dub.3.
Diſpenſandi priuilegium vni conceſſum quoad certam rem, & ſi ea res in alio priuilegio excipiatur,non cenſetur derogatum.ibid.not.2.
Diſpenſatione indiget quiuis homicida. ibi.not.3.
Diſpenſatio in iure cùm conceditur,conceſſa Epiſcopis intelligitur,& econtra ſi prohibetur diſpenſatio.ibid.concl.1.
Diſpenſatio in mutilatione voluntaria an reſeruetur Papæ. p. 7. diſp. 6. ſect. 5. dub.4.
Diſpenſare an poſſit Epiſcopus modo in homicidio volito in ſe cauſa defenſionis excedendo moderamen inculpatæ tutelæ,ſi homicidium ſit occultum.ibi. dub.5.
Diſpenſare an poſſit Epiſcopus in homicidio caſuali contingente,non quidem ex propoſito, ſed in ſubita rixa. ibid. concl.2.
Diſpenſare poteſt Epiſcopus cum clerico in ſacris occidente in bello iuſto. ibid. in fine dubij.
Diſpenſare cum clerico accuſante ſine proteſtatione, & Aduocato, vel teſte deponente cõtra reum victum in cauſa ſanguinis,quis poſſit.ibid.in fine.
Diſpenſare cum iterante Baptiſmum quis poſſit.p.7.diſp.7.dub.vlt.
Diſpenſare cum bigamo quis poſſit.ibid. diſp.8.dub.4.per totum.

Dispensatio in bigamia quomodo petenda.ibi.dub.vlt.in fine.
Dispensare cum ordinato per saltum quis possit.p.7.disp.9.dub.2.post 2.concl.
Dispensare in irregularitate incursa propter violationem cęsurarum, recipiendo vel exercendo ordines quis possit. p.7.sect.2.dub.10.concl.4.
Dispensare in irregularitate propter exercitium ordinis, quem exercens non habet, quis possit. ibid.dub.15.concl. vltim.
Dispensatio irregularitatis non habet determinata verba, & quæ conuenientia ad hoc.p.7.disp.10.ante 1.dub.
Dispensatio irregularitatis an requirat causam.ibi.dub.1.
Dispensatio in quacunque lege si fiat sine causa est illicita.ibid.in concl.
Dispensari in irregularitate contracta ex peccato (quod dicitur ad differentiam bigamiæ) an possit per Bullam Cruciatæ.p.7.disp.10.dub.4.
Dispensandi in irregularitate facultas nemini censetur concessa, nisi fiat expressa mentio.ibid.in concl.
Dispensare in irregularitate quando possit Commissarius Cruciatæ tam cum laicis,quàm cũ Religiosis.ibid.dub.5.
Dispensare Episcopus vt possit in irregularitate per facultatem à Concilio Tridentino datam, quæ cõditiones requirantur.dub.6.
Dispensare potest Capitulum sede vacante in casu,in quo potest Episcopus.p.7. disp.10.dub.6.post 1.concl.& disput.3. dub.6.concl.2.
Dispensare potest Archiepiscopus cum subditis Suffraganeorum in casibus, in quibus potest cum suis subditis in gradu appellationis,& dum visitat, & tũc etiam cum ipsis Episcopis suffraganeis. ibid.
Dispensare possunt Abbates,vt Setinensis & cæteri in casibus, in quibus potest Episcopus.ibid.
Dispensare censentur Prælati Religionũ, quando mittunt suos Religiosos, ad ordines in casu necessario, quamuis id non dicant,& etiam censentur concedere suas vices Episcopo ordinanti, vt dispenset in defectu occurrenti, quod procedit etiam in Episcopo mittente suum subditum ad ordines.p.7.disp.10. dub.6.post 1.concl.
Dispensare extra territoriũ in homicidio nõ potest Episcopus.ibid.ante 2 concl.
Dispẽsare an possit Episcopus, si delictum fuit deductum ad forum cõtentiosum & iudicium est iã finitum,& delictum punitum.p.7.disp.10.dub.7.
Dispensatio quomodo peręda,& quomodo danda circa plures irregularitates, & etiam circa vnam.ibid.dub.8.
Dispensatio est strictè interpretanda,scilicet in eo solùm quod sonat, licèt dispensatus ad beneficia Curata,& ordines & dignitates censetur dispensatus ad Episcopatum. part.7. disp.3.dub.6. notab.4.

Diuinum officium.

Diuinum officium cum deuotione recitent clerici. 1.part.dub.10.opinio.1.de aliis vide verbo, *Officium diuinum.*

Doctores.

Doctoribus Academiæ, vel ciuitatis interdictis comprehenduntur Doctores clerici.5.p.disp.1.dub.4.concl.9.

Doctus.

Doctus an possit ordinari,sine patrimonio ex Episcopi dispẽsatione. 3. p.disp. 5.dub.6.in fine.

Dolus.

Dolus præsumptus quid sit. 2.p.c.5.disp. 54.dub.9. post 1 concl.

Dominus.

Dominus an possit communicare cum famulis excommunicatis non tolerati. 2.p.c.6.disp.1.dub.2.concl.2.
Domino excommunicato non tolerato an sit præstanda obedientia. dub.4. concl.2.& dub.9.

Dormire.

Dormire cum excommunicato quomodo prohibitum. 2.part.cap.6.disput.9. dub.11.

Dos.

Dotis hypotheca præfertur hypothecis tacitis anterioribus,& expreſſis poſterioribus.2.p.c.5.diſp.5.dubio 1.illat.1.

Dubia cauſa.

Dubia cauſa exiſtente ex vtraque parte excommunicatio in vtroque foro ligat quem Iudex excommunicauit.2.p.c.6. diſp.1.dubio 2.concl.2.

E

Ebrius.

EBrius,qui ſciens,& aduertẽs,quòd factus ebrius ſolet arma ſumere, ſi occidat aliquem,fit irregularis.p.1.dubio 10.concl.2.& latiùs p.7.diſp.6.ſect. 1.dubio 15.

Eccleſia.

Eccleſia priuat ſuis bonis rebelles.1.p.dubio 2.concl.3.

Eccleſia indirectè verſatur circa temporalia,& ſic poteſt Regialium ſubſtituere.ibid.dubio 4.not.1.

Eccleſia non habet poteſtatem erga defunctos.2.p.c.4.diſp.1.dub.8. concl.2.

Eccleſia, ideſt, *templum*, quare conſecratur,& violata quare reconciliatur.p.7. diſp.2.dub.2.ad 2.argumentum. & per quem & quomodo reconcilietur.5.p. diſp.7.dubio 4.

Edere Scripturam.

Vide verbo,*Scriptura.*

Edicta.

Edicta non audientes quando peccent,& incurrant excommunicationem.2.p.c. 5.diſp.1.dub.3.in fine.

Edicta Prælatorum quanto tempore durent.ibid.diſp.5.dubio 5.

Effectus.

Effectu non ſequuto in delicto habente annexam excommunicationem, non incurrit eam, qui illud intentauit.2.p. c.5.diſp.3.dub. 5. nec irregularitatem. p.7.diſp.2.dub.1.

Effectus excommunicationis ſunt connexi,& ſic nõ poteſt excommunicans eos ſeparare.3.p.diſp.2.dubio 1.

Effectus excommunicationis maioris numerantur.2.part.cap.6.diſp.1.dubio 2. in fine.

Effectus excõmunicationis minoris duo, de quibus 2.part.cap.6.diſputat. 12.per totam.

Effectus interdicti an iidem ſint ſemper, & quales ſunt,& quomodo cognoſcãtur.5.p.diſp.4.ſect.3.dubio 5.& per totam diſputationem.

Effectus ceſſationis.6.p.diſp.1.per totam. & an ſint connexi.dub.vlt.ibid.

Effectus irregularitatis qui.part. 7.diſp.2. dub.6.per totum.

Effectus ſuſpenſionis, & quomodo cognoſcetur, quos effectus habeat hæc vel illa ſuſpenſio in particulari.3. part. diſp.2.dubio 1.

Electio.

Electio facta ab excommunicato an ſit valida.2.p.c.6.diſp.5.dubio 1.& diſp.6. dubio 3.

Electio, ſeu collatio beneficij facta excõmunicato an ſit valida.ibid.dub.2.

Eligendo excommunicatos non peccat mortaliter. diſputat.8. dubio 3.poſt 2. concl.

Electio paſſiua,hoc eſt,vt eligatur,prohiberur excommunicato excommunicatione minori;& ſi eligatur, eſt irritanda electio,&eligens peccat mortaliter. 2.part. capit.6. diſputat. 12. dubio 4. concl.1.

Eligentes inhabilẽ ſunt ſuſpenſi per triennium, & manent inhabiles ad electionem.2.part.cap.6.diſput.12.dubio vlt. in fine.

Electio fit per maiorem partem. 6. p.diſp. 2.dubio 2.concl.10.

Eligere non poteſt ſuſpenſus ab officio,ſi eſt denunciatus.3.p.diſput. 2.dubio 1. concluſio.5. eligi verò etiam minimè, quamuis ſit occultus.ibid.

Eleemoſyna.

Eleemoſynam petere ab excommunicato non tolerato quando liceat.2.part.c.6. diſp.11.dubio 13.concl.3.

Ener

Energumenus.

Energumenus, ideſt, à dæmone obſeſſus, eſt irregularis. part. 7. diſput. 3. dubio 4. concluſ. 1.

Epiſcopus.

Epiſcopus non poteſt committere merè laico, vt cenſuras ferat: Papa autem ſic. 1. p. dub. 6. concl. 2.

Epiſcopus per ſententiam excommunicationis pro culpa futura non ligat, niſi eos, qui tempore ſententiæ ſui ſunt ſubditi. ibid. ſi verò excommunicatio feratur per modum ſtatuti, etiam eos, qui poſtea ſunt ſubditi, comprehendi. concl. 4.

Epiſcopus non poteſt excommunicare delinquentem in loco exempto ſito intra ſuum territorium, vt in domo Religioſorum. ead. 1. p. dub. 5.

Epiſcopus excommunicans ingrediẽtem ad loquẽdum monaſteria monialium, non comprehendit ingredientem monaſteria exempta: ſecus ſi ferat excommunicationem contra accedentes ad monaſteria. eod. dub. 5.

Epiſcopus ſecundùm ius nouum non poteſt excommunicari ab Archiepiſcopo per modum punitionis; ſecundùm verò ius antiquum ſic. 2. p. c. 4. diſp. 1. dub. 9. concl. 1. per modum verò præcepti bene poteſt excommunicari ab eo, & ei ſubditus eſt. 2. p. cap. 4. diſp. 1. dub. 9. concl. 2. abſoluere verò quando poſſit Archiepiſcopus Epiſcopos Suffraganeos. ibid. cap. 7. diſp.... dub. 10. & vide verbo, *Abſoluere.*

Epiſcoporum cauſæ criminales grauiores reſeruantur ſummo Pontifici; minores verò in Concilio Prouinciali cognoſcuntur, & determinantur. ibid.

Epiſcopos, qui in Concilio vſurpare volunt Archiepiſcopi iuriſdictionem, poteſt Archiepiſcopus extra Concilium excommunicare. ibid. concl.

Epiſcopus non poteſt præcipere ſub excommunicatione, vt in propria Parochia ſubditi Miſſam audiant. 2. p. cap. 5. diſp. 1. dub. 12.

Epiſcopi comprehenduntur in ſententia generali excommunicationis, niſi expreſsè excipiantur; in ſententia verò ſuſpenſionis, aut interdicti non comprehenduntur, niſi expreſſa mentio fiat de illis. 2. p. c. 5. diſp. 3. dub. 1. & 3. p. diſput. 4. dub. 2. & 5. p. diſp. 1. dub. 6. & diſput. 5. dub. 6.

Epiſcopus publicè excommunicatus conferendo ordines verè confert, ſed non exſequutionem ordinis. 2. p. c. 6. diſput. 3. dubio 1. minori verò excommunicatione excommunicatus conferẽdo ordines, & moraliter & venialiter peccat. ibid. diſp. 12. dub. 3. illat. 1.

Epiſcopus excõmunicatus an poſſit actus iudiciales exercere. Vide verbo, *Iudex.*

Epiſcopus excommunicatus non toleratus an concedat validas reuerendas. 3. p. diſput. 5. dubio 7. dicto 4. ante finem dubij.

Epiſcopi communicantes etiam cum excommunicato à ſe, incurrunt minorem excommunicationem, nec poſſunt dare licentiam communicandi aliis fidelibus. diſp. 9. dub. 1.

Epiſcopo excommunicato non tenentur ſacerdotes, nec vaſſalli præſtare obedientiam. 2. p. c. 6. diſp. 11. dub. 4. concluſ. 2.

Epiſcopi ſoli poſſunt anathematizare. 2. p. c. 1. diſp. 2. dub. 1.

Epiſcopi licèt non conſecrati, dummodo confirmati, poſſunt excommunicare. c. 3. diſp. 1. dub. 1.

Epiſcopus electus confirmatus, non conſecratus, poteſt decernere circa ea, quę ſunt iuriſdictionis: non verò quæ ſunt ordinis. ibid. & an huiuſmodi Epiſcopus poſſit ferre ſentẽtiam degradationis. 4. p. diſp. vnica. dub. 2. concl. 4.

Epiſcopus poteſt reuocare ſtatum Capitulo ſede vacante factum. p. 3. diſput. 1. dub. 4. in fine dicti 2.

Epiſcopi habent poteſtatem excommunicandi iure diuino. ibid. dub. 5. concl. 2.

Epiſcopi ſuccedunt Apoſtolis. ibid.

Epiſcopus extra proprium territoriũ non poteſt

poteſt excõmunicare ſuum ſubditum. 2.p.c.3.diſp.2. dub.1. niſi in loco viciniori, aut in re tã manifeſta, quòd cauſæ cognitionem non requirat: nec in proprio territorio poteſt excommunicare ſubditum exiſtẽtem in alieno pro crimine, quod ibi commiſit, ſiue ferat excõmunicationem per ſtatutum, aut ſententiam generalem, aut particularem. ibid. dub.2. concl.1. poteſt tamen ſi commiſit crimen in proprio territorio, aut principiauit illud, & aufugit ad aliud. concl.2. vel quando ſtatutum reſpicit rem exiſtentem in territorio ſtatuentis, poteſt quis excommunicari, licèt exiſtat in alieno territorio. concl.3.

Epiſcopus extra proprium territorium an poſſit ſuſpendere. 3.part.diſp.4. dub.2. concl.2. & an interdicere. 4.p. diſput.2. dub.2. & an diſpenſare etiam extra territorium. part.7. diſp.10. dub.6. ante 2. concl.

Epiſcopus ſi præcipiat, vt omnes clerici veniant ad Synodum ſub excommunicatione, ſui ſubditi etiam exiſtentes in alieno territorio ligantur. 2.p.cap.3. diſp.2. dubio 2. concl.3.

Epiſcopus ſuum ſubditum exiſtentem in alieno territorio, ibíque delinquentem citare non poteſt, ſecus verò ſi delinquat in quoquo territorio, ſubiecto tamen eidem Epiſcopo, *como en el territorio del vicario de Truxillo, ò Yca.* ibid. concl.4. Sed tamen

Epiſcopus poteſt citare ſuum ſubditum exiſtẽtem in alieno Epiſcopatu, quando citatio fit ratione contractus. ibid.

Epiſcopus in caſu, in quo poteſt citare, non poteſt excommunicare. concl.5.

Epiſcopus poteſt excommunicare ſubditum delinquentem in alieno territorio, quando ad proprium reuertitur, & ibi conuenitur. concl.6.

Epiſcopus bene poteſt excommunicare ſubditum alienum, qui delinquit in ſua diœceſi; ſecus ſi antequam proferret excommunicationẽ, profectus eſt delinquens, niſi ſit præuentus citatione, aut ad requiſitionem Epiſcopi territorij, citetur à proprio Epiſcopo. 2.p.c.3. diſp.1. dubio 3. concl.1. & 2.

Epiſcopo vel Abbati præcipienti cantare Miſſas pro hæretico, vel excommunicato, non eſt obediendum. 2.p.cap.6. diſp.9. dubio 3. concl.2. in fine.

Epiſcopus excommunicatus non toleratus non eſt nominandus in canone Miſſæ. ibi, in fine dubij.

Epiſcopus bene poteſt cõmunicare cum ſuis famulis excommunicatis non toleratis, & econtra. 2.p.c.6. diſp.11. dub. 8. concl.1.

Epiſcopus an poſſit in aliquo caſu abſoluere ab excommunicatione reſeruata Papæ. 2.p.c.7. diſput.1. dub.6. & poteſt quidem iure communi, quãdo excommunicatus eſt impeditus aliquo ex impedimentis, quæ requiruntur. 2.p.c.7. diſp.1. dub.6. concl.2. & 3.

Epiſcopus an poſſit abſoluere quem Prælatus inferior excommunicauit. ibid. dubio 6.

Epiſcopus exiſtens extra proprium territorium an poſſit abſoluere ſubditum, quem excommunicauit exiſtẽs in proprio territorio. ibid. dubio 12.

Epiſcopis quare non concedit Tridentinum facultatem abſoluendi à cenſuris deductis ad forum contentioſum. 2.p. c.7. diſp.3. dub.10. concl.4. & an poſſint abſoluere, ſi quamuis delictum ſit deductum ad forum contentioſum, eſt tamen finitum iudicium, & punitum delictum. p.7. diſp.10. dubio 7.

Epiſcopus poteſt committere quæ ſunt Iuriſdictionis clericis ſimplicibus, non verò quæ ſunt ordinis Epiſcopalis. 3.p. diſp.2. dub.1. concl.3.

Epiſcopus ſuſpenſus à beneficio poteſt, ſi aliàs eſt patronus in quantũ talis præſentare, vel eligere. 2.p. diſput.2. dub.1. concl.4.

Epiſcopus ſuſpenſus à Pontificali, & ſuſpenſus à collatione ordinum, à quibus ſuſpenſus eſſe intelligatur. ibid. concl. 11, & 12.

Episcopus concubinarius, si admonitus à Synodo non se emendauerit, est ipso iure suspẽsus. 3.p.disp.5.dub.2. conc.2.

Episcopus ordinans aliquẽ sacro ordine sine patrimonio, quando incurrat suspensionem. ibidem dubio 4.

Episcopus tenetur inquirere, an patrimonium ordinandi sit verum. ibidem dub. 5.concl.1.ad 3.

Episcopus an possit ordinare aliquem in aliquo casu sine patrimonio. ibid.dub. 6.in fine.

Episcopus potest alienos subditos in trib. casibus ordinare sine dimissoriis. 3.p. disp.5.dub.7. dub.5. ante finem dubij.

Episcopus quem familiarem suum possit ordinare. ibid. in fine dubij.

Episcopus ordinans alienum subditum, sine informatione proprij Episcopi, est suspensus per annum à collatione ordinum. 3.p.disp.5.dubio 8. casu 6.& etiam Episcopus titularis, etsi solam primam tonsuram conferat. casu 17.

Episcopus simoniacus ordinans punitur in ordinato à se. 3.p.disp.5.dub.9.concluf.3 in fine.

Episcopum solus Papa potest deponere. 4.p.disp.vnica.dub.2.concl.1.

Episcopus quomodo, & à quo degradandus. ibid.dub.4.concl.2.

Episcopi quot, quando, & quomodo debent assistere in sententia degradationis, & an tunc sint Iudices. 4.p.disp. vnica.dub.4.& 5.

Episcopus fruitur indulgẽtiis à se concessis. 5.p.disp.2.dub.4.post concl.

Episcopus an teneatur obseruare interdictum à se positum. 5.p.disp. 5. dubio 3.in fine.

Episcopus potest absoluere ab interdicto reseruato Papæ, quando prouenit ex delicto occulto. 5.part.disp.6. dubio 1. concl.7.

Episcopus non potest committere Sacerdoti simplici reconciliationem Ecclesiæ violatæ, si est Ecclesia consecrata. ibid.dub.4.

Episcopus non cessans ex causa notoria, qua pœna mulctetur. 6.p.disp.7. dubio 3.concl.2.

Episcopus est, qui debet cognoscere de defectu corporis, vel notabili deformitate, quæ impedire videtur ordinis receptionem, vel celebrationem. p.7. disp.3 dub.2.& an super illegitimitate proueniente ex eodem delicto occulto. ibidem dubio 7.

Episcopus potest dispensare in omnibus irregularitatibus proueniẽtibus ex delicto occulto, excepto homicidio voluntario, ibid.dub.3.in fine. & de vnoquoq; casu vide infrà hoc eod.verb.

Episcopus potest dispensare cum illegitimo ad minores ordines, & beneficium simplex. ibid.dubio 2.concl.2.

Episcopus an possit dispensare ad Canonicatum cum illegitimo. part.7. disp.3. dubio 6.notab.3.

Episcopus vt quis fiat, quæ conditiones requirantur. p.7.disp.4.dubio 4.in fine.

Episcopus quando dispensat cum infami ad ordines. dub.5.concl.4.

Episcopus non potest dispensare quantũ ad maiores ordines in irregularitate proueniente ex defectu perfectæ lenitatis, neque ex facultate Concilij Trid. nec ex priuilegio Pij V. relato in Concilio Limensi celebrato anno 1583.p. 7.disp.6.sect.5.dub.1.concl.3, illat.1.& 2. quoad minores ordines verò bene potest. ibid.dub.2.concl.4.

Episcopus post Trident. potest dispensare in homicidio casuali, si homicidium sit occultum, nec deductum ad forũ contentiosum quoad sacros ordines in totum, & quoad quodcunq; beneficium quoad minores verò potest, etsi homicidium sit publicum. ibid. dubio 2.

Episcopus non potest dispensare cum homicida voluntario iure nouo, nec antiquo poterat. p.7. disp.6.sect.5. dub.3. concl.1.& 2.

Episcopus an possit dispensare in homicidio volito in se causa defensionis, excedendo moderamen inculpatæ tutelæ, si est occultum, & in homicidio casuali

ſuali contingente in ſubita rixa, & cum clerico in iuſto bello occidente. p.7,diſp.6.ſect.5.dub.5.

Epiſcopus poteſt diſpenſare cum iterante Baptiſmum, ſi delictum eſt occultum. ibid.diſp.7.dub.6.concl.2.

Epiſcopus an, & quando, & cum quo bigamo poſſit diſpenſare. ibid.diſput. 8. dub.4.à 2.concl.

Epiſcopus, qui prætextu iniuſtæ excommunicationis adiit Imperatorem, vel Principem, eſt irregularis. p.7. diſp.9. ſect.1.dub.1. concl.3. Vide ibi ver.extendatur ad alios eccleſiaſticos.

Epiſcopus, qui ligatus cẽſura etiam extra Miſſam, vel ſine alia ſolemnitate, miniſtrat ſacramentum Confirmationis, vel Ordinis, conſecrando Epiſcopum, vel conferẽdo Ordines etiam minores, eſt irregularis. ibid. ſect.2. dub. 2.verſ. 3. exemplum.

Epiſcopus ſuſpenſus à Pontificali tantùm non fit irregularis celebrando etiam cum ſolemnitate Pontificali. p.7. diſp. 9.ſect.2.dub.2.ferè in fine.

Epiſcopus conferendo ordines etiam minores tempore interdicti, fit irregularis.p.7.diſp.9.ſect.2.dub. 10.concl.2.& 3.verſ.hæc autem limitatio.

Epiſcopus poteſt diſpenſare in irregularitate incurſa propter violationem cenſurarum, recipiendo vel exercendo ordines, ſi delictum eſt occultũ.ibid.diſp. 9.ſect.2.dub.10.concl.4.

Epiſcopus poteſt diſpenſare in irregularitate incurſa propter exercitium ordinis quem quis non habet.p.7.diſput.9. ſect.1.dub.15.concl.vlt.

Epiſcopus vt diſpenſet in irregularitate per facultatem ſibi à Tridentino conceſſam, quæ conditiones requirantur. p.7.diſp.10.dub.6.

Epiſcopus mittendo ſuum ſubditum alij Epiſcopo, vt ab eo ordinetur, committere cenſetur ſuas vices illi Epiſcopo. vt diſpenſet cum ordinando in defectu occurrenti.ibi, poſt 1.concl.

Epiſcopus an poſſit diſpenſare in irregularitate, ſi delictum eſt deductum ad forũ contentioſum, & tamen iudicium eſt finitum, & punitum delictum. p.7. diſput. 10. dub.7. Quoad hoc verbum, vide quæ deſunt verbo, *Diſpenſare.* & verbo, *Abſoluere*, & verbo, *Prælatus.*

Error.

Erasmi error quidam referatur.1.p.dub.2.

Error intolerabilis eſt punire innocẽtem. 2.p.c.4.diſp.1.dub.6.concl.2.

Error communis, & autoritas Superioris tribuit Iuriſdictionem. ibid. cap.6. diſp.3.dub.1.concl.3.diſp.6.dub.7.

Ethnicus.

Ethnicus non reputatur intra gremium Eccleſiæ.p.1.dub.2.concl.3.

Euchariſtia.

Euchariſtia quare dicatur communio.2. p.diſp.1.dub.1.

Euchariſtia cùm defertur ad infirmos, ſi in comitatu fidelium eat excommunicatus, quid faciendum ſit.2.p.c.6.diſp. 9.dub.7.in fine.

Euchariſtiam an liceat ſumere tempore interdicti, & in quibus caſibus.5.p.diſp. 4.ſect.1.dub.5.per totum.

Euchariſtiã videre non prohibetur tempore interdicti, niſi tempore Miſſæ. ibid.concl.4.

Euchariſtiam licitum eſt renouare tempore ceſſationis octauo quoque die. 6. p.diſp.1.dub.4. concl.2. & tunc etiam deferetur infirmis.dub.9.

Exceptio.

Exceptio excommunicationis quomodo, & intra quod tempus debeat opponi. 2.p.c.6.diſp.7.dub.1.

Excommunicatio.

Excommunicandi poteſtas eſt in Eccleſia.1.p.dub.2.concl.1.& eſt à iure diuino.ibid.in fine dubij.

Excommunicatio quibus priuet. ibid. & quomodo priuet.dub.7.in fine.

Excommunicationis maioris vndecim effectus numerantur.2.p.c.6.diſp.1.dub. 2.in fine.

Excommunicatio appellatur gladius ſpiritualis. part.1.dubio 2.concl.5.& ap-

pellatur nerui ecclesiasticæ disciplinæ.2.p.c.3.disp.vnica.dub.1.
Excommunicatus quare dicatur tradi Satanæ.ibid.
Excommunicatio non priuat communicatione,quæ fit per charitatem. 1.part. dub.2.in solut. ad 1. & sic si conuertitur excõmunicatus ad Deum,per contritionem ea communicatione fruitur. ibid.
Excommunicatio quomodo dicatur medicinalis.1.p.dub.2.ad 2.
Excommunicatio quàm sit timenda.ibid. ad 3.
Excommunicatio est censura.1.p.dub.5.
Excommunicatio quandoque incurritur ipso facto, & ratio quare ita incurratur.dub.7.in concl.
Excommunicationis etymologia. 2.p.c.1. disp.1.dub.1.
Excommunicationis & anathematis differentia.ibid.
Excommunicationis definitio. ibid. dub. 2.& etiam excommunicationis minoris.ibid.in fine dubij.
Excommunicatio, & aliæ pœnæ differũt, ibid.illat.2.
Excommunicatio diuerso respectu quàm aliæ censuræ priuant sacramentis. 2.p. c.1.disp.1.dub.2.illatione 2.
Excommunicationis & suspensionis differentia.3.p.disp.1.dub.2.
Excommunicatio minor quare minor dicatur.ibid.disp.2.dub.1.in princ.
Excõmunicationis minoris effectus duo, scilicet sacramentorum passiua participatio,& electio passiua, de quibus 2. p.c.6.disp.12.dub.1.
Excommunicatione minori excommunicatus omnia potest facere, quæ numerantur.ibid. & an talis peccet sacramẽtum aliquod accipiendo.ibid.dub.2.& celebrando non incurrit irregularitatem.ibid.in fine dubij.
Excommunicationem minorẽ qui obliuiscitur se incurrisse, si recordetur incœpta Missa,prosequatur.ibid.
Excommunicatione minori excommunicatus an peccet administrando aliquod sacramentum. 2.p.c.6.disput.12. dub.3.
Excommunicatus minori excommunicatione nec eligendus,nec præsentandus est, & si eligatur, vel præsentetur, est electio nulla,& irritanda,& eligens vel præsentans peccat mortaliter. 2.p.c.6. disp.12.dub.4.
Excommunicatione absolutè lata de maiori intelligitur. 3.p.disput. 2.dub.1.in princ.
Excommunicatio diuiditur in maiorem & minorem, in generalem & particularem,in latam à iure, & latam ab homine,in iustam,& iniustam,in latam & ferendam. 2. p. c.1.disp.2.dub.1.lata & ferenda quibus verbis imponãtur.ibid. cap.2.disp.vnica.dub.2.& in dubio excõmunicatio intelligitur ferenda.ibid.
Excommuuicationis diuisio in validam, & inualidam,iustam,&iniustam rursus traditur latiùs.2.p.c.6.disp.1.dub.1.
Excommunicatio lata ab homine expirat mortuo, vel amoto ferente;at verò excommunicatio lata à iure semper durat.2.p.c.1.disp.2.dub.1.in 3.diuis.
Excommunicationes contentæ in Bulla Cœnæ,redactæ sunt ad naturã excommunicationis à iure.ibid.
Excommunicatio comminatoria dicitur excommunicatio ferenda. p.2.c.1.disp. 2.dub.1.in fine dubij.
Excommunicatio vt feratur, sufficiunt quæcunque verba, quibus Iudex suam intentionem manifestet. 2.p.c.2. disp. vnica,dub.1.
Excommunicatio contra vnum de duob. determinatur ab intẽtione excommunicantis.ibid.dub 2.
Excommunicatio debet ferri in scriptis, & qui excommunicat sine scriptura continente causam excommunicationis,& sine monitione præmissa,& peccat mortaliter,& punitur pœna suspẽsionis per mensem, intra quem si celebret, fit irregularis.2.p.c.2.disp.vnica. dub.3.& an,& quando possit ferri sine

dicta ſolemnitate. ibid. & non temere eſt feréda. 2.p.c.4.diſp. 1. dub. 1. notab. 1. & cum magna circunſpectione, & pro graui peccato, ibi. c.5.diſp.2.dub.1. concl.1.

Excommunicans citationē omittens non incurrit pœnas ſup. dictas. ibid. cap. 5. diſp.1.dub.5.

Excommunicare poſſunt omnes habentes iuriſdictionem in foro exteriori ordinariam, aut delegatam, aut ex conſuetudine præſcripta, vt Papa, Epiſcopi confirmati, licèt non conſecrati, eorum Vicarij, Capitulum ſede vacante, Concilium generale & Prouinciale, Abbates, Præpoſiti, Priores Eccleſiarum collegiatarum, licèt non conſecrati, nec benedicti, dummodo confirmati, aut prouiſi; non tamen Rectores, qui dicuntur Priores (vt ſunt multi in Gallicia & Nauarra) excommunicare item poſſunt Prælati Religionum, vt Generales Prouinciales, Priores, Guardiani, Præpoſiti, aut Rectores Societatis, & Metropolitanus ſuos Suffraganeos. 2. p.c.3.diſp.1.dub.1.

Excommunicandi poteſtas reſpicit forum exterius, tanquam illi neceſſaria. ibid. in medio dubij.

Excommunicans ſine poteſtate mortaliter peccat. ibid. in fine dubij.

Excommunicare per modum ſententiæ poſſunt omnes, qui habent poteſtatem excommunicandi; per modum autem ſtatuti vel canonis, vt condendo legem S.P.& Cōcilia generalia, Epiſcopi,& Concilium Prouinciale,& Capitulum ſede vacante. 2.p.c.3.diſp.1.dub. 4.dicto 2.

Excommunicantes ex commiſſione, aut ex conſuetudine non habent poteſtatem ex iure diuino. ibid. dub.5. concl.1.

Excommunicatio nulla eſt iure diuino lata, hoc eſt lege lata à Chriſto.

Excommunicare ſe ipſum, aut ſe excommunicatum denunciare an quis poſſit. ibid. dub.7.

Excommunicatio eſt actus iuſtitiæ coactiuæ. ibid.

Excommunicare ſibi æqualem an quis poſſit, vel ſibi ſuperiorem, ibid. concl.3.

Excommunicare extra proprium territorium. Vide verb. *Epiſcopus.*

Excommunicatio nulla non poteſt ratificari per proprium Epiſcopum. 2.p.c.3. diſp.2.dub.2.not.1.

Excommunicatio ſecum trahit exſequutionem. ib. in fine dubij.

Excommunicatur aliquando qui excommunicatione potiùs eſt indurandus, quàm corrigendus, ſi alia priùs ſunt adhibita remedia. 2.p.c.4.diſp.1.dub.1. concl.2.

Excommunicari non poteſt, qui eſt incapax culpæ. ibid. dub.3.

Excommunicatus ſemel iterum poteſt excommunicari. ibid. dub.7. concl.1. & etiam ſemel ſuſpenſus iterum ſuſpendi. 3.p.diſp.4.dub.2.concl.4.

Excommunicatus, qui ſic moritur, etiam poſt mortem manet excommunicatus, niſi poſtea abſoluatur. 2.p.c.4.diſput.1. dub.8. concl.1. & an mortuus poſſit excommunicari. ibid. per totum dubium.

Excommunicatio non poteſt ferri, niſi propter aliquod peccatum, quod non ſit purè interius. 2.p.c.5.diſp.1. in notabili, & nonniſi pro culpa mortali. ibid. dub.2.concl.1. & 2. & non pro quolibet, niſi pro peccato inobedientiæ & contumaciæ. ibid. dub. 2. & aliquando imponitur pro damno illato, & tunc, quamuis damnum non ſit mortale, virtus obedientiæ obligat ſub mortali ad reſtituendum, ibid. diſp.2.dub.3. concl. 3. & vide totum dubium.

Excommunicationis latæ & ferendæ pœna, cùm aliquid præcipitur, an obliget mandatum ſub mortali. 2.p.c.5. diſp.1. dub.2.corol.4.& dub.3. per totum. & dupliciter poteſt poni, ita vt nō requiratur monitio, vel vt requiratur. ibid. & vide verbo, *Monitio.*

Excommunicatio non poteſt ferri ab Eccleſia, nec de plenitudine poteſtatis pro

peccato merè præterito, vbi nulla præcessit monitio. 2.p.c.5.disp.1.dub.10. in opinione 2. Suspensio autem sic. 3.p. disp.3.dub.1.concl.5.

Excommunicatio potest ferri pro peccatis futuris. 2.p.c.5.du.1.in fine.

Excommunicatio potest ferri pro graui damno temporali, dum damnificator sit occultus, & tunc non ob vtilitatem dánificati, sed damnificatoris: etsi damnum & damnificator sunt manifesti, non inualidè, sed iniustè fertur excommunicatio. ibid.disp.2.dub.1.per totũ. & aliquando fertur pro bono spirituali damnificati.ibid.dub.3.concl.3.

Excommunicationem pro damno temporali, seu rebus deperditis potest ferre Nuntius à latere Papæ, Episcopus, & eius Vicarius generalis, licèt non habeat speciale mandatum & Capitulum sede vacante.2.p.c.5.disp.2.dub.2.

Excommunicatio ad instantiam alicuius regulatur secundùm eius intentionem. ibid.disp.5.dub.1.

Excommunicatio contra eos, qui sutori fecerunt furtum, non comprehendit eum, qui ab eo acum furatus est, etsi ob defectum acus sutor per quatuor dies non fuerit lucratus in officio. 2. p. c.5. disp.2.dub.4.

Excommunicatio generaliter lata comprehendit Episcopos, nisi expressè excipiãtur, secus in suspensione, quia non comprehenduntur. ibid. disp. 3. dub.1. & 3.p.disp.4.dub.2.

Excommunicatio vt incurratur pro communione in crimine criminoso, quæ requirantur. 2.p.c.5 disp.3.dub.12.post 2.concl.& c.6.disp.10.dub.7.concl.3. casu 2.& dub.2.3.& 4.

Excommunicatio non incurritur ob percussionem clerici in 18.casibus. 2.p.c. 5.disp.3.dub.13.

Excommunicationem non incurrit committens crimen, quod falsò putabat habere annexam excommunicationem. ibid.dub.14.

Excommunicatio cõtra non manifestantes scripturas, quos, & quando comprehendat. 2.p.c.5.disp.4.dub.1.

Excommunicatio contra nõ manifestantes delicta, tam ea, quæ sunt in damnum tertij, quàm ea quæ non sunt, quando obliget, & an incurratur post primam chartam. ibid.dub.3.& 4.

Excommunicatio post appellationem est nulla 2.part. cap. 5. disput.5.dubio 11. concl.3.

Excommunicatio iniusta nulla contingit in multis casibus, qui numerantur. 2. p.c.6.disp.1.dub. 1. & nullos habet effectus; iniusta verò valida sic. ibid. & dub.2.

Excommunicatio, quæ fertur per modum sententiæ, si nõ habuit suum effectum in vita sententiantis, expirat eo mortuo, vel amoto. 2.p.cap.5.disp.5.dub.1. ante finem.

Excommunicatio quando dicatur continere errorem intolerabilem. 2.p.cap.6. disp.1.dub.1.casu 4.& dub. 2.in princ.

Excommunicatio iusta secundùm allegata & probata, non verò in rei veritate an liget, ibid. & an celebrando qui huiusmodi excommunicatione est excommunicatus, fiat irregularis. ibidem. concl.4.

Excommunicatus toleratus quis, & quis non toleratus. ibid.disp.3.dub.1. & an validè conferat sacramenta, dub. 2.& an licitè. dub.3.

Excommunicatus contritus de peccatis an possit in aliquibus casibus fidelibus administrare sacramenta. 2. p.c.6.disp. 8.dub.2.

ab Excommunicato gesta tanquam à publica persona (vt quando est Iudex) an sint valida. 2.p.c.6.disp.6.dub.3.& tam quam à persona particulari. dub.6.

Excommunicatus an possit esse actor, reus, testis, vel procurator, aut procuratorem instituere in iudicio. 2. part. cap.6.disput.7.per totam. & quomodo debeat in iudicio respondere excommunicatus. ibid.

Excommunicatus toleratus, qui exercitia

tia tenetur conferre ſacramenta, an poſſit licitè conferre ea, vel fideles ab eo petere. ibid. diſp. 8. dub. 2.

Excommunicatus toleratus licitè adminiſtrans ſacramenta, non incurrit irregularitatem. ibi. poſt 3. ampliationem.

Excommunicatus toleratus an poſſit inducere fidelem in extrema neceſſitate ad ſuſcipiendum ab eo Sacramenta. ibid. in fine.

Excómunicato in quibus reductiuè prohibeatur communicatio cum fidelibus. 2. p. c. 6. diſp. 8. dub. 3. in princ. & an ſemper peccet communicando in eis. ibid. & in quibus ſpecificè prohibeatur communicatio, quæ continentur in verſu, os, orare, &c. diſp. 9. ante 1. dub.

Excommunicatus non toleratus an poſſit communicare in orationibus, vel officiis diuinis cum fidelibus, & ſi ſe ingerat, an ſit admittendus, & quando dicetur communicare, & ſi audiat Miſſam in vna capella; & ego in alia vnius Eccleſiæ, vel in diuerſis altaribus, in eadem capella, an communicem cum eo, & alia multa ad praxim notanda. vide 2. p. c. 6. diſp. 9. dub. 7.

Excommunicatus non toleratus ſi ingrediatur Eccleſiam ad intereſſendum ibi eo tempore, quo Miſſa, vel officia diuina celebrantur; quid faciendum. ibid. dub. 8.

Excommunicatus pertinaciter perſeuerás per annum in excómunicatione, eſt ſuſpectus de hęreſi. 2. p. c. 6. diſp. 9. dub. vlt.

Excommunicatio maior quando incurratur propter participationem cum excommunicato. diſp. 10, dub. 1. concl. 5. & vt incurratur, quę códitiones requirantur. ibid. dub. 5.

Excommunicatio maior incurſa propter participationem in crimine criminoſo eſt excommunicatio iuris, nõ hominis. 2. p. c. 6. diſp. 10. dub 1. concl. 3.

Excommunicatum publicum in vna Prouincia, in alia vbi eſt occultus, quomodo teneamur vitare, & an ſi petat Euchariſtiam in publico, debeat eam Parochus illi dare. 2. p. c. 6. diſp. 11. dub. 12.

Excommunicatio quãdo prouenit ex delicto occulto, poteſt Epiſcopus ab ea ſibi ſubditos abſoluere, etſi excommunicatio ſit ex reſeruatis in Bulla Cœnę: & etiã poteſt abſoluere Religioſum, ſi quoad hoc ſubiiciatur Epiſcopo quoad hoc. 2. p. c. 6. diſp. 12. dub. 5.

Excommunicatio quamuis ſit publica & reſeruata Papæ, ſi excommunicatus eſt impeditus recurrere ad Papam, Epiſcopus eum abſoluit iure communi; ſed excommunicatus ceſſante impedimẽto tenetur ſe præſentare Papæ. ibid.

Excommunicatio poſita ab homine in generali ferè in omnib. aſſimilatur excómunicationi iuris. 2. p. c. 7. diſp. 1. dub. 8. opinio. 2.

Excómunicans incendiarium non poteſt eum abſoluere, ibid. dub. 9. in concl.

Excommunicatus in ſuo Epiſcopatu an poſſit ab alio Epiſcopo abſolui in alio. 2. p. c. 7. diſp. 1. dub. 13. & econtra excõmunicatus in alieno Epiſcopatu an poſſit abſolui in ſuo. dub. 14.

Excommunicatus pluribus excommunicationibus, abſolutus ab vna, an cenſeatur ab omnibus abſolutus. 2. p. c. 7. diſp. 2. dub. 3.

Excommunicatio ex falſa cauſa quare ſit nulla, abſolutio verò non. ibid. dub. 4. opinio. 2.

Excommunicationem incurrit ipſo facto abſolutionem per vim extorquens, 2. p. c. 7. diſp. 2. dub. 5. concl. 3.

Excommunicatus ad certum tempus, vel ſub conditione, donec ſatisfeceris, an maneat ipſo facto abſolutus tranſacto tempore, vel impleta cõditione, an verò requiritur abſolutio. ibid. dub. 6.

Excommunicationem incurrit qui nõ reſtituit partem, ſi non poteſt totum reſtituere, quando, vt reſtituat, excommunicatur. 2. p. c. 7. diſp. 3. dub. 2.

Excómunicato denunciato conceſſæ Reuerendæ an ſint validæ, & quæ concẽduntur ab excommunicato. 3. p. diſp. 5. dub. 7. dicto 7. ante finem dubij.

Excommunicato eſt prohibitum tempore interdicti Sacramentum pœnitentiæ.5.p.diſp.4.ſect.1.dubio 3.concl.4.
Excommunicationem in quibus caſibus incurrant laici violantes interdictum. 5.p.diſp.5.dubio 2.in fine.
Excommunicatio an poſſit ſuſpendi. 5.p. diſp.6.dubio 4.concl.5.
Excommunicati in Eccleſia ſepulti corpus eſt exhumandum.ibidem diſput.7. dubio 4.concl.4.
Excommunicationem an incurrant Religioſi non ſeruantes ceſſationem, & alias cenſuras impoſitas ab ordinario. 5.p.diſp.5.dubio 3.& dubio 4.concl.5. & 6.p.diſp.1.dubio 9.in fine.& diſp.3. dubio 2.concl.2.
Excommunicatus recipiendo ordines an maneat irregularis.p.7.diſputat.9.ſect. 1.dubio 6.& quid ſi exerceat eos.ibid. ſect.2.dubio 1.& vide etiam ſecundum dubium.
Excommunicatus celebrando quando fiat irregularis.vide ver.irregularitas.
Excommunicantur Religioſi, qui animo nocendi ſuos Prælatos,pergunt ad curias Principum.1. p.dubio 10.in opinio.1.
Excommunicatur qui cùm teneatur ex iuſtitia non defendit clericum.ibid.

Excuſatio.

Excuſentur qui ab excommunicatione lata pro furtis.2.p.c.5.dubio 1.
Excuſentur qui à denunciando ſcripturas &c.ibidem,dubio 2.
Excuſent quæ cauſæ ab incurrenda irregularitate.p.7.diſput.2.dub.8.per totum.& quæ ab incurrenda ſuſpenſione.3.p.diſp.3.dub.4.

Exhibitio.

Exhibere ſcripturas, vel inſtrumentum. Vide verbo,*Scriptura.*

Exhortatio.

Exhortans in bello. Vide verbo,*Bellum.*

Expoſitus.

Expoſitus, cuius parentes ignorantur, an ſit cenſendus irregularis.part.7.diſp.3, dub.9.& quid ſi non eſt expoſitus, & tamen parentes eius ignorantur. ibid. dubio 10.

Extrauagans.

Extrauagantes, cùm ex ſacrorum. & quæ incipit, ſanctum & ſalutare, quæ eſt Sixti V. circa ordines explicantur. 3.p. diſp.5.dub.7.ſed nota,quòd hæc extrauagans Sixti iam eſt reuocata per Clementem VIII.

Extrema vnctio.

Extrema vnctio an liceat tempore interdicti.5.p.diſp.4.ſect.1.dub.7.

F

FAciliùs aliquid conſeruatur in eſſe quàm de nouo fiat p.7.diſp.3.dub. 1.parum ante finem.

Factum.

Factum nomine alterius quid ſit,& quando intelligatur.2.p.c.5.diſp.2.dubio 9.
Factum non dicitur illud, in quo aliquid ſupereſt agendum.3.p.diſp.5. dubio 7. poſt notabile 11.dicto 3.

Falſarius.

Falſarius literarum Apoſtolicarum eſt actualiter degradatus,& tradendus Curiæ:falſarius verò literarum Regis verbaliter eſt deponendus.4.par.diſp.vnica.dubio 3.concl.5.

Familia,& Familiares.

Familiam & filios alendi obligatio excuſat ire ad ſanctum Patrem propter abſolutionem.2.p.c.7.diſputat.1.dubio 6. concl.3.
Familiares Epiſcopi bene poſſunt communicare cum Epiſcopo non tolerato, & econtra Epiſcopus cum ſuis familiaribus.2.p. cap.6.diſput.11.dubio 8. concl.1.
Familiarem ſuum quem, & quando poſſit Epiſcopus ordinare.3.p. diſp.5.dub. 7.ferè in fine.
Familiarium nomine ſeu familiæ qui intelligantur ad effectum vt tempore interdicti priuilegiatus ſecum ducat ſuos familiares vel familiam ad audiendum officia diuina.5.p.diſp.4.ſect.2.dubio 7.concl.2.

Famosum.

Famosum quid sit. part. 7.disp.10.dub.6. concl.1.

Famulus.

Famulus bene potest communicare cum domino excommunicato non tolerato.2.p.c.6.disp.11.dub.6.

Famulus an incurrat irregularitatem, si iussus à domino attulit processum Notario, vel Iudici equum associaturo reum ad deformationem.p.7.disput.5. sect.2.dub.2.vers.3.fit.

Fauer.

Fauer an sit infamis.part.7. disp.4.dub.5. notab.2.

Fauer lignarius, qui facit furcam, vt aliquis occidatur,est irregularis. p.7.disp. 5.sect.2.dub.2.versic.sextò omnes.

Fautor.

Fautores hæreticorum, & fautorum filij an censeantur hæretici.p.7.disp.4.dub. 2.& 3.

Fautor homicidæ quando sit irregularis. ibid.disp.6.sect.2.dub.2.in princ.

Fera.

Feram alens, si fera aliquem occidat, an efficiatur irregularis.p.7. disp. 6.sect.1. dub.7.

Festum.

Festi nomine quid intelligatur ad effectũ celebrandi diuina tempore interdicti in festis relatis in c.alma mater.5.part. disp.4.sect.2.dub.9.not.2.

Festum à quo tempore, vel parte diei incipit.ibid.dub.10.

Fœtus.

Fœtus quando dicatur animatus ad effectum irregularitatis causatæ ex abortu.p.7.disp.6.sect.4.dub.1.

Filius.

Filius percutiens in continenti clericum turpiter agentem cum matre, non incurrit excommunicationem. 2. p. c. 5. disp.3.dub.13.casu 16.

Filius patrem hæreticum accusare tenetur, &. è contra pater filium.ibid.disp. 5.dub 2.

Filius bene potest communicare cum parentibus excommunicatis non toleratis.2.p.c.6.disp.11.dub.6.concl.1.

Filij familias non tenentur ire propter absolutionem ad S.P.2. p.c. 7.disput.1. dub.6.concl.3.

Filij hæreticorum vsque ad quem gradum consanguinitatis sint irregulares. p. 7. disp.4.dub.3.

Filius meretricis publicæ etsi coniugatæ est irregularis.ibid.dub.5.concl.2.illat. 2.De aliis vide verbo, *Illegitimus.*& verbo, *Legitimus.*

Fiscalis.

Fiscalis,qui concurrit ad deformationem, est irregularis.p.7.disp.5. sect.2.dub.1. vers.2.promotor.& an excusetur p rotestatione.dub.11.

Flagellare.

Flagellare excommunicatum ante absolutionem vnde habuit ortum. 2.p. c.7. disp.2.dub.2.

Forma.

Forma excommunicandi.Vide verbo, *Excommunicatio.*

Forma absoluendi ab excommunicatione.2.p.c.7.disp.2.dub.2.

Forma ferendi sententiam degradationis & depositionis.2.p.disp.vnica. dub.vlt.

Forma seruanda in ferenda suspensione. 3.p.disp.3. dub.1.& pœna contra Iudicem qui eam formam non seruat. ibid.

Forma absoluendi ab ea.disp.6.dub.3.

Forma ponendi interdictum. 5. p. disp.6. dub.4.

Forma absoluendi ab eo. ibid. disput.6. dub.6.

Forma imponendi cessationem. 6. p. disp. 2.dub.2.

Forma imponendi accusationem ciuilem remissiuè. p.7. disp. 5.sect.2.dub.10.in fine.

Forma dispensandi in irregularitate. p.7. disp.10.ante primum dubium.

Fornicarius.

Fornicarius.Vide, *Clericus.*

Fragilitas.

Fragilitas sexus excusat ire ad summum

Pontificem propter absolutionem, vt mulierem. 2. p. c. 7. disp. 1. dub. 6. conc. 1.

Frater.

Frater percutiens in continenti clericum turpiter agentem cum sorore, non incurrit excommunicationem. 2. p. cap. 5. disp. 5. dub. 13.

Fructus.

Fructus beneficij non facit suos, qui excommunicatus obtinuit beneficium. 2. p. c. 6. disp. 5. dub. 4. in concl.

Fructibus beneficij acquisitis legitimè ante excommunicationem, an priuet excommunicatio. disp. 6. dub. 1. & an restituere teneatur ante Iudicis sententiam. ibid. concl. 1. & cui sint restituendi dub. 2.

Fructus beneficij an lucretur suspensus. 3. p. disp. 2. dub. 1. post 6. concl.

Fugere.

Fugiendo an qui potest euadere mortem, si occidat inuasorem, an sit irregularis. p. 7. disput. 5. sect. 3. dub. 1. post 3. concl. vbi latè de fuga quoad hoc.

Furiosus.

Furiosus est irregularis, & quomodo sit de illo iudicandum, si relinquat furorem p. 7. disp. 3. dub. 4. concl. 1.

Furiosus fratium occidat, an efficiatur irregularis, & an in foro ciuili teneatur de occisione. p. 7. disput. 6. sect. 2. dub. 3. in princ.

G

Gallicus.

GAllicus morbus quando faciat hominem irregularem. p. 7. disput. 3. dub. 4. concl. 1.

Gestum.

Gesta ab excommunicato non tolerato ratione publici officij tanquam à persona publica, an sint valida. 2. p. c. p. 5. disp. 6. dub. 3.

Gesta ab excommunicato non tolerato tanquam à persona priuata. dub. 6.

Gesti ab eo qui non obtinuit verum titulum beneficij, quia electio vel collatio fuit inualida, quia facta fuit excommunicato, vel simoniaco, vel alium defectum patienti, an sit valida, dub. 7.

Glossa.

Glossa velut erronea reiicitur in c. quodcunque 17. q. 1. in p. 1. dub. 2. concl. 2.

Gregorius.

Gregorius excommunicauit quẽdam diffamatorem. 2. p. c. 5. disp. 1. dub. 10.

H

Habitare.

HAbitare cum excommunicato quomodo prohibitum. 2. p. c. 6. disp. 9. dub. 10.

Hæresis, & Hæreticus.

de Hæresi suspectus, an sit qui per annum pertinaciter perseuerat in excommunicatione. 2. p. c. 6. disp. 9. dub. vlt.

Hæresis crimen statim est denunciadum, & si non præcedat diffamatio, nec correctio fraterna. 2. p. c. 5. disp. 4. dub. 3. & filius contra patrem, & pater contra filium denunciare tenentur. ibid. disp. 5. dub. 1.

Hæreticus non amittit ipso facto dominium suorum bonorum, nec priuari potest vsu suorum bonorum ante sententiam Iudicis. 1. p. dub. 7. illat. 1.

Hæreticus merè interior non incurrit excommunicationem latam contra hæreticos; hæreticus verò occultus, per accidens sic. ibid. dub. 10. concl. 2.

Hæreticus vt sit propriè hæreticus, debet habere errorem in intellectu. ibidem. concl. 3.

Hæreticus absolutus ab vna excommunicatione propter vnã hæresim, si aliam occultat, manet adhuc excommunicatus; similiter si occultat aliquot actus exteriores hæresis. 2. p. c. 7. disp. 2. dub. 3. in fine.

Hæreticus clericus nisi in continenti pœniteat degradatus est tradendus curiæ seculari. p. 4. disp. vnica. dub. 3. concl. 6.

Hæreticus, aut apostata an sit irregularis. part. 7. disp. 4. dub. 2. & an sint irregulares eorum fautores, & eorum filij. ibid.

ibid.2.& 3.per totum.
Hæreticus reconciliatus quis sit.ibid.

Hermaphroditus.

Hermaphroditus quando sit irregularis, & quis cum eo dispenset.part.7.disp.3. dub.5.

Histrio.

Histrio an sit infamis.p.7.disput.4. dub.5. concl.2.illat.1.

Homicidium,& Homicida.

Homicidium casuale quid,& in quantum casuale non est peccatum: & homicidium casuale est in duplici differentia, & multa de eo. p.7. disp.6.sect.1.ante 1.dubium.

Homicidium voluntarium in causa dicitur,quod sequitur ex opere illicito periculoso de se, quod quomodo sequatur.ibi. dub. primo.in 3. opinio. vers. Secunda verò pars.

Homicidium directè voluntarium, cuius dispensatio semper excipitur in omnibus priuilegiis,quod sit.p.7.disp.6.sect. 2.dub.1.

Homicidium quantumuis occultum inducit irregularitatem. p.7. disp.4.dub. 7.concl.1.

Homicidium iustum quare inducat irregularitatem.ibid.disp.5.sect.1.notab.2.

Homicidium committendi voluntas, nec conatus, nec vulnus quantumuis lethale, nō inducit irregularitatem. ibid. notab.3.

Homicida in sui defensione excedendo moderamen inculpatæ tutelæ,est irregularis, & quis cum eo dispenset.p.7. disp.5.sect 3.dub.1.

Homicida directè voluntarius non est, qui in rixa inopinata alium occidit; præcipuè autorem rixæ; p.7.disput. 6. sect.2. dubio 1.concl. 1. vers.præterea dico.

Homicida quantum ad irregularitatem. Vide verbo, *Deformare.* & verbo, *Irregularitas.*

Homicida qualificatus est tradendus post actualem degradationem Curiæ seculari.4.p.disp.vnica.dub. 3.post concl.5.

Hora.

Hora canonica.Vide, *Officium diuinum.*

Hospitalia.

